BIBL. NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
13 — L
42

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
16. b.

6 . B . 23.

6.6.22.
6
B
22

COMMENTARIVM
IN SACROSANCTVM EVANGELIVM

beati Marci, à Reuerend. domino D. Ioanne Soarez Epiſcopo Conimbricenſi, & Arganilli comite æditum.



CONIMBRICÆ

Apud Ioannem Barrerium Typographum Regium. De mandato D. Epiſcopi, & ſanctæ Inquiſitionis officij excuſſum.

Anno M. D. LXVI.

Ex Legato Illustriss:

Approbatio officij ſanctæ Inquiſitionis.

IN toto hoc opere ſuper Marcum nihil inueni quod pias aures offendere poſsit, & poterit mandari Typis. Datis Olyſippone xj. die Decembris. 65.

Frater Emanuel da Veiga.

SEBASTIANVS STOCHAMERVS Germanus candido lectori S. D.

NON EXISTIMAVI NECESSARIVM fore, lector optime, vt (quod plerique alij facere conſueuerunt) huius operis principio, illius tibi vel voluptatem, vel fructũ pluribus verbis cõmendarem. Quod enim cæteros arbitrari video, futurũ vt ea ſcribendi ratione iucundiores lucubrationes ſuas, & vtiliores eſſe lector opinetur: id ego ex huius operis ingreſſu, & primo quaſi limine cuiuis vel mediocriter erudito, ſatis ſuperq́; cognitum ac compertum fore iudico: vt omnino ſuperuacaneum ſit, omnibus ſuis partibus abſolutos, & planè perfectos Cõmentarios externa atq́; aduentitia prædicatione cõmendare velle, aut (id quod fieri non poteſt) aliqua ratione illuſtrare. Si enim quis ad ipſius operis contextum attendat, & ſingula cogitatione atque animo circunſpiciat, videbit Chriſtũ opt. max. generoſi Leonis more in genus hominũ improborum rugientem: & in ipſo totius voluminis veſtibulo, tanquam exordij loco, ſempiterna ſupplicia inſolenter elatis minitantem: omnes ad ſcelerum pœnitentiam, & veram animi demiſſionẽ excitantem. Impios autem & temere reluctantes omni verborum acerbitate, & grauiſſimarum pœnarum metu ab improbitate deterrentẽ. Hæc tam ſeuera, tam aſpera, tam terribilia quis non magnoperè perhorreſcat? quis ad eum, qui tot ſontibus ſupplicia comminetur, cùm ſibi ſuorum ſcelerum ſit conſcius peruenire non timeat? Sed occurret ſtatim legenti, vigilãtiſſimi Paſtoris ſolers admodũ, & mirifica horum omniũ explicatio, vbi tanta lenitate ac moderatione illæ omnes verborum ac rerum acerbitates condiuntur, vt timidiſſimus etiam quiſque ſeueriſſimi quidem Leonis rugitu terreatur: ſed ita tamen terreatur, vt ipſi & dicto audiẽs eſſe velit, & ad eum audiendum propius accedere non reformidet. Quid verô nouum illud tibi prædicem Εἰδύλλιον, miræ ſuauitatis elegantiſſimum carmen? quod vetuſta Hieroſolymarum myſteria explicat: nec minus etiam peregrina quàm adorãda nobis veſtigia ceu ſpeculo demonſtrat! Sed non conſtitui hæc, neque cætera quæ toto opere continentur ſigillatim perſequi dicendo, ne longior ſim quàm initio propoſueram: mihi tamen non gratulari nullo modo poſſum, cui rurſus ea contigit felicitas, vt omnium ferè primus hoc totũ opus expeditè perlegerem. Quod cũ feciſſem quâm potui diligentiſsimè operã hic etiam meã qualemcunque tibi, benigne lector (vt olim etiam in D. Matthæi præclara eiuſdem auctoris commẽtaria fecimus) lubenti & alacri animo officioſe impartiri volui: ſparſasq́; & diſsipatas huius Codicis materias tanquã in faſciculũ compendioſum, ac ſuum ordine locum congerere, atque inde vberrimum Indicem conſtruere: hunc haud mediocriter tibi vſui futurum arbitratus. Noſtra itaque hæc, vel nuda, vt æquo animo feras oro ac obſecro: ipſum verò herculeum profectò opus, quod in totius eccleſiæ cõmodum, fideliumque omnium fructum cum maximo labore ſuſceptũ eſt, vt ſtudioſe complectaris non oro tantum, verum etiã hortor: ſpero enim fore vt is labor, quem in eo perlegendo ſuſceperis, non iucunditate tantum incredibili, verum etiã admirabili vtilitate compenſetur. Vale. Ex noſtro apud inclytam Conimbricam muſeolo, Calend. Septembr. Anno M. D. LXVI.

INDEX MATERIARVM AC RERVM

huius operis: cuius ſeries eſt, vt numerus paginam: litera A, priorem paginæ partem ad medium vſque: B verò reliquam ſignificet.

A

Abiathar etiam Achimelech apellatur: & huius rei ſcripturæ elegans concordantia.60.a.
Ablutio hominum per aquam, teſtimonium erat euidentiſſimum aduentus Chriſti.6.b. 17.a.b. (ſeq.
Abnegare ſemetipſum Chriſtũ ſequuturus quomodo debeat.150.b.&
Abnegatio noſtra eſt, inſurgentes in nobis tentationum fluctus comprimere.151.b.
Aeger ſanum ſe ſibi perſuadens, periculoſiſſimè infirmatur.52.b.
Aegro ad ſpiritualia prius quàm corporalia medicamenta confugiendum.39.b.45.b.
Aenigmaticè frequenter locutus dñs, tum propter phariſæorũ & ſcribarũ perpetuas calumnias: tum propter populi faciliorẽ captu, & alias etiam ob cauſas.80.a. 83.a.b.
Aenigmaticè ab Adam vſque ad Moyſen diuinitas Chriſti annũciatur.192.b.& ſeq.
Affectus carnis à Chriſti deificata carne longè abfuiſſe.77.a.
Ambitio interdum etiam bonos viros occultè inuadit.56.b.
Ambitio habet domeſticum in corde periculum 163.a.
Ambitio & dominandi cupiditas exitium eſt maximũ ſpiritualium hominum.184.b
Amor immoderatus nulli rei eſt apponendus.111.b.
Amplexus: amoris, pacis & gaudij ſignum eſt.174.a.
Anadochi pro paruulis fidem in ſacro baptiſmate confitentur.299.b. 304.b. & ſeq.
Angeli ideò noſtri dicũtur, q in neceſſitatibus nobis à Deo cuſtodes ſint cõſtituti.154.a.
Angeli diligunt ſuos conſortes.292.a.
Angelus omnem ambiguitatem dominicæ reſurrectionis à mentibus mulierum remouere voluit.292.a.
Anima Deo debetur, quia ad eius imaginem & ſimilitudinem factã.213.b.& ſeq.
Anima aliquando vitam in ſcriptura ſignificat.152.a.
Anima immortalis eſt, principium quidem habens, ſed fine carens.216.b.
Animam immortalem eſſe, ſub anathemate firmiter credendum.314.a.
Animæ immortalitas multis argumentis & exemplis pleniſſime comprobatur.314.a. b. cum multis ſequentib.
Animæ ſalutis cauſa tentanda omnia, quamuis difficilia & extraordinaria ſint 45.a.
Antechriſto adueniente qualis perſecutio fidelibus futura.229.b.
Antiquitas cum vniuerſalitate coniungenda, ne erremus.322.b.
Antrum eſt ſubtus terrã lapide exciſum, vbi dñs trinã patri obtulit orationẽ.246.a.
Apolophanis de eclipſi ꝑter naturã in morte Chri viſa reſpõſum & admiratio.280.b.
Apoſtoli duodecim, iuxta numerum duodecim tribuum Iſraël.72.a.
Apoſtoli nequaquam leuitatis ſunt arguendi quòd Chriſtũ obedienter & facillimè fuerint ſequuti. contra hæreticos.34.b. 49.b. 50.& ſeq.
Apoſtolos ideò quòd facilè Chriſto crediderint exaltatos fuiſſe.35.b.
Apoſtolos non feſtinanter credidiſſe, contra Porphyrium & hæret.49.b. 50.& ſeq.
Apoſtolorum tarditas in fide Chriſti etiam diuinitatem comprobat.138.a.
Apoſtolos ſacerdotes conſtitutos in vltima cœna domini.238.b.
Apoſtolorum latibula in deſcenſu vallis Ioſaphat.250.a.
Apparitiones domini poſt eius reſurrectionem, quia variè ab Euangeliſtis ponuntur, attentum lectorem requirunt.294.a.
Aqua tingẽs populos Ioãnes, ſignũ erat manifeſtũ aduentus Meſſiæ.6.b. 17.b.& ſeq.

Aqua præ cæteris elementis à Chriſto ſanctificata, eaque vera & vnica noſtræ regenerationis materia conſtituta.12.b.
Aqua naturalis vbique inuentu facilis, quia noſtræ expiationis materia.13.a.
Aquas ſanctificauit Chriſtus tactu ſuæ puriſſimæ carnis ibid.
Aquarum ablutione præter Meſſiani nemo vſus eſt.18.b.
Arrogantiæ & vanitatis pœnæ exemplum.124.a.
Auaritiæ & immanitatis flagelli exemplum.124.a.
Auari confidentes in diuitijs, idolis ſeruiunt.178.b. 211.a.
Auaris difficilis aditus ad regnum cœlorum.178.a.b.
Aſcendit dominus in cœlum propria virtute, in cacumine montis Oliueti.300.a.
Aſcenſio domini glorioſa ad cœlos initium ſumpſit à culmine montis Oliueti: à cuius radice & eius paſſio ignominioſa incepit.301.a.
Aſcenſionis dominicæ locus.ſ.in ſummitate montis Oliueti: ibi ſacellum, plantarũ impreſſio, & veſtigia.301.a.b.
Aſcenſio noſtra in cœlum triplex.302.a.b.& ſeq. (241 b.
Azimũ panẽ dñs cõſecrauit in vltima cœna: contra græcorũ ſtultã opinionem 238.a.

B

Baptiſmus Ioannis per aquam non tollebat peccata.5. a.9. b.10. a.
Baptiſmus Ioannis certiſſimum teſtimonium aduentus Meſſiæ.5.b. 6.b. 17.a.b.
Baptiſmus aquæ in peccatorum remiſſionem non per aliũ quàm ipſum Meſſiam primò perfici oportuit.5.a.
Baptiſmũ noſtram eſſe purificationem & regenerationẽ, Pater & Filius & Spiritus ſanctus teſtantur.13.b.
Baptiſmi lauacrum in aquis inſtituendum à creatione mundi præfiguratum & prophetatum.17.b. & ſeq.
Baptiſmatis fonte adueniente non eſt amplius expectandus Meſſias.18.a.b.
Baptiſmus non datur fictè petentibus. 140.b.
Baptizatus templum factus eſt Spiritus ſancti.10.b.
Baptizatus Chriſtum induit ibid.
Baptizati otium fugiant, ne in laqueos dæmonis incidant. 16. b.
Baptizati paruuli in Chriſto viuificantur per baptiſmi ſacramentum: contra hæreticos.299.b. 304.b. & ſeq.
Barbarorum etiam eſt animæ immortalitatis probatio.315.a.
Benedicendum Deo ſemper: & quomodo. 303.a.b.
Benedictione & gratiarum actione panis frangendus.115.b.
Benedictio, eſt copioſa bonorum largitio.174.a.b.
Beneficia & officia nequaquã carnali affectione diſtribuenda.33.b. 70.b. 71.a. 115.b.
Bethania tribus milliaribus ab Hieroſolyma diſtat: eiuſq; ſitus & incolæ.190.b.195.b.
Bethphage ſitus indicatur.190.b.
Bona opera liberi quidẽ operamur, ſed Dei gratia ad ea mouemur & iuuamur.43.a.
Bona opera noſtra nequaquam à nobis prædicanda.97.b.100.b.
Bonis operibus inſiſtendum ſemper Chriſti exemplo: contra hæret.49.a.74.b.
Boni plures haud rarò vnius peruerſi contagio corrumpuntur.235.a. (316.b.
Boni ſunt ideo malis in hac vita infeliciores, quia eſt recõpẽſatio in alia vita æterna.
Breue eſt omne quod finitur.277.b.

C

Caiphas & Annas ſimoniacè ſummũ ſacerdotium vſurparunt.259.a.b.
Caluariæ locus qualis ſit deſcribitur.271.a. 276.a
Calumnijs pro viribus reſiſtendum.63 a.
Camelus funis eſt nauticus groſſus, quo anchoræ alligantur.178.b.
Caro ne aduerſetur ſpiritui, cibo & potu moderatè eſt vtendum.118.a.

Cantu celebraturos ſacerdotes myſteria corporis & ſanguinis dñi p̄dictũ eſt.244.b.
Caro pluiimum aduerſatur ſpiritui,& è conuerſo:181.a.
Cauda quare Moyſi ſerpentem tollere præceptum fuerit.164.b.
Cauſam quam poſuit Pilatus ſuper crucem,miraculoſe immutatam.275.b. & ſeq.
Cibi & potus immoderatus vſus multa mala excitat.118.a.
Chriſtus verus ille Meſſias qui à prophetis prædictus 2.b.4.a.b.203.a.310.b.
Chriſti nomina in ſcriptura qualia.4.a.
Chriſti gloria à fortitudine oſtenditur.7.b.130.b.
Chriſti fortitudo maxima.8.a. 130.b.& ſeq.
Chriſtum nudis pedibus ambulaſſe.9.a.b.
Chriſtus præcepta legis obſeruauit diligenter.11.a.43.b.
Chriſtus ſecundum carnem ex Iſraël,& tribu Iuda.11.b.
Chriſti diuinitatis teſtimonia perhibent Pater & Spiritus ſanctus.15.a.
Chriſtum Dei filium eſſe naturalem,verum Meſſiam,& omnium ſaluatorem,ipſius etiam patris vox teſtatur.21 b. 157.a.
Chriſtus in monte Sion conſtitutus eſt Rex regum,& dominus dominantium.22.a
Chriſti doctrina admirabilis fuit,& tanquam clariſſima lampas.36.a.
Chriſti diuinitas in paralytici miraculoſa ſanatione planè oſtenditur.46.a.
Chriſtus nunquam non docendo & operando occupatiſſimus.48.a.b.74.b.79.a.
Chriſtum in terris conuerſantes maxima afficiebantur lætitia.57.a b.
Chriſtus omnes ad ſe accedentes benigne amplectitur & ſuſcipit.68.b.174.a.
Chriſtus manifeſtans ſe mundo,doctrina & miraculis apertè ſe Meſſiam & Deum comprobat.83.a.b. 209.a. 310 b.
Chriſtum ſequentes de cibo non ſint ſoliciti.115.a. 137 a.
Chriſti & diſcipulorum eius mira frugalitas.115.a. 141.a.
Chriſtus niſi ſit præſens omnia perturbationibus concutiuntur.117.b.159.a.b.
Chriſtum non omnes bono & pio animo in Eccleſia ſequuntur.121.b.& ſeq.
Chriſtus ſeu Meſſias ſemper in ſcriptura verum Dei filium deſignant.146.a.
Chriſtum ſequimur,cum patimur pro illo,qui pro nobis paſſus eſt.154.a.
Chriſtus ſplendor patris,& figura ſubſtantiæ eius.161.b.
Chriſti in cruce pendentis ineffabiles dolores.276.b. & ſeq.
Chriſti aīam exhalātis clamor admirādus,quia prę ter hominis moriētis naturā.286.b.
Chriſtiani ſpiritum ducentes nequaquàm ocioſi ſint.48.b. (47.a.
Chr̄iani licèt peccatores ſint,ſaluári tñ pœnitētes poſſunt:quod ſecus eſt in infidelib⁹.
Cogitationes malas æquè ac bonas in cordis vaſe recipiens,homo diſſolutus dicitur, non fructificans in verbo Dei.80.b. (126.a.b.
Coinquinari hominē ab extrinſecis nō poſſe,quomodo intelligendũ,cōtra hęreticos.
Columba innocentiam Chriſti denotat.14.a. 15.a.
Columba quomodo deſignet Spiritum ſanctum.14.b.
Communitas religioſorũ per Chriſtũ & apoſtolos approbata,cōtra hæreticos.237.b.
Compati domino patienti pro nobis quo pacto debeamus.277.b.
Concionator:vide inferius in litera P.Prædicator.
Confirmationis ſacramentum à Chriſto inſtitutum.172 b.& ſeq.
Conſanguinei plurimum impedimento ſunt viris ſpiritualibus.75.a.b.
Conſcientia bona vbique ſecura eſt.90.b.
Conſenſus communis ſemper ſequendus,ne erremus.322.b.& ſeq.
Conſiliarij peruerſi punitionis exempla.124.b.
Continuò dictio:huius fallacis vitæ breuitatem denotat.69 b.
Conuerſatio prauorum impedit peccatorem ne perfectè ſanari poſſit.130. a. Vide plura inferius in litera M. Malorum conuerſatio.
Corban quid ſignificet declaratur.123.b.

Corde creditur ad iuſtitiam:ore autem confeſſio fit ad ſalutem.304.b
Cor duplex hypocritis & phariſæis eſt 124.b.
Cor inobediens etiam in cibo & potu coinquinat hominem.126.
Coronæ ſpineæ materia & forma quæ fuerit.268.a.
Coronatus fuit dominus non ſedens,ſed groſſæ columnæ alligatus.ibid.b.
Corpus domini in ſacramento ſumma cum reuerentia ſumendum.8.b.
Corpus domini à cruce depoſitum,quomodo & vbi vnctum fuerit.289.a.
Credentium ſigna & miracula viſibiliter in primitiua eccleſia fiebant, nunc autem inuiſibiliter ad implentur,299.b.
Crucem ſuā tollere,eſt carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere.151.b.&.ſeq.
Crucem quouſque & quomodo baiulauerit Chriſtus.270.a.b.&.ſeq.
Crucifigendi Chriſti,militum præparatio,& locus.272.a.b.276.a.
Crucifixus dominus à militibus quovſque manibus portatus.276.a
Crux à militibus perforata prope eum locum vbi deinde erecta ibid.a.
Crux quomodo cum Chriſto erecta:vbi & quomodo poſita.276.b.
Cupiditas radix omnium malorum obcœcauit gentem Iudaicam, & Iudam ipſum proditorem.210.b.& ſeq.a.b.237.b.248.b.

D

DÆmon,& dæmonia vide paulò inferius in dictione diabolus.
Dæmonia eijcimus cum à peccatis deſiſtimus.299.b.
Deuoti nonnulli Deum volunt,ſed vnà cum terrenis opibus.96.b
Dei conſuetudo ne erremus,in omnibus attendēdā.113.b.
Dei diuina natura eſt,poſtquā ſemel pepercit non improperare 292.b.
Deo commorari volens,neceſſe eſt per fidem eum cognoſcere:eique debita tributa præſtare.308.a.
Deo ſeruientibus nihil deeſt:ſed nec perſecutiones.180.b.
Deo ſe aſſimilantibus ruina & præcipitatio.19.b.
Deum ſe faciens apud Iudæos cruci & morti addicebatur.17.a.
Deus non patitur quenquā ſibi æquiparari vt comparari.17.a. 19.a.b.
Deus valdè miſericors,poſtulanti & ſi interdum non id quod petit, ſemper tamen quod expedit donat.42.b
Deus eſt interpellandus vehementer,etiam clamore.188.b.
Deus etſi nouerit quibus rebus indigeamus,nihilominus ab eo quæ nobis vtilia, vel clamoroſa etiā & importuna oratione expoſtulanda ſunt.189.a.
Deus non eſt acceptator perſonarum.209.a.b.
Deus voluit Chriſtum etiam in morte ſua miraculis illuſtrare.280.a.
Deus meus,Deus meus:vt quid dereliquiſti me:exponitur.281.b.
Deus verus eſt trinus & vnus:aliàs Deum credere falſum eſt.308.a.b.
Deus,id eſt mundi fabricator & rector.309.a.
Deſcendentium ad inferos ſtatus ſeu gradus tres.303.b.
Diabolus inueſtigat noſſe an Chriſtus verus eſſet Deus,an verò purus homo.16.a.38.b.40.b.95.a.
Diabolus ocioſis laqueos tendit,quibus eos irretitos teneat.16.b.
Diabolus pater mendacij:ideoque ſemper comprimendus ne loquatur.33.a.b.
Diabolus admodum importunus & aſſiduus in tentationibus.40.b.
Diabolus aduerſatur inimicitia ſumma humano generi.94.b.
Diabolus nihil facere poteſt niſi domino permittente.95.a.
Diabolus precans aliquando a Deo exauditur.95.a.
Diaboli ſeu Demones alij alijs ſunt fortiores.161.b.
Dignitatibus & beneficijs eccleſiaſticis non eſſe conſanguineos extraneis preferēdos niſi virtute & ſapientia eos aut ſuperent,aut æquipolleant.35.b.

Dilectio noſtra erga Deum probatur in proximo.220.b.
Diligendum nihil eſt quod non diligatur propter Deum.111.b.219.a b.
Dionyſius philoſophus & martyr,de eclipſi præter naturã in obitu Chriſti contingẽte, Apolophanem interrogat.280.b.
Diſcipulorum Chriſti nonnulli tardi ad reſurrectionẽ domini eius credendum: hoc ideo factum ne à nobis dubitetur.297.a.&.ſeq.b.
Diuinitatem Chriſti omnia eius opera præſeferebant.181.b.
Diuinitas Chriſti non ſolum à credentibus ſanctis,verũ & patriarchis atque prophetis olim acclamata & annunciata fuit.192.b.& ſeq.a.b.
Diuinitas Chri Meſsiæ manifeſtatur ex ſcripturis p eius paſſionẽ mirifice.232.b & ſeq.
Diuites multos æque ac pauperes Chriſtum facillimè & obedienter ſequutos: contra hæreticos.49.b.51.b.
Diuites & potẽtes,homines pauperes & humiles deſpiciẽtes, pſeudochriani ſunt.52.b.
Diuites quales & quomodo ſaluari poſsint.178.a.b.& ſeq.
Diuitum duplex natura.178.a.
Doctrinam Chriſti iuuantes non ſunt prohibendi.166.b.& ſeq.
Dolor ſummus eſt ſeparationis animæ à corpore:quem verè Chriſtus ſolus ſenſit,alij homines non itidem 282.a b.
Dominantes decet patientia erga iniuſta poſtulantes,& indignãtes: eoſque prudẽter inſtruere.186.a.
Dominica dies qualis,& quomodo obſeruanda 61.b & ſeq.
Domus noſtra ſancta mater eccleſia eſt:ad eam redire neceſſe eſt aberrantes.144.b.
Domus Pilati à domo Caiphæ medio quaſi milliari diſtat.260 a.
Donat Chriſtus & non repetit,niſi homo ſponte amittat: Mundus verò quod dat mox aufert.181.b.& ſeq.

E

Eccleſia non immerito ſeparat peruerſos homines & hæreticos à conſortio fidelium.41.a.
Eccleſiæ & præpoſitorum officium eſt remigare,& ventorũ vim repellere.117.a.
Eccleſiæ perſecutio in beato Petro ſignata.256.a.
Eclipſis Solis in Lunæ oppoſitione contra naturales regulas.280.a.
Electionem prælatorum ſecundũ doctrinæ & virtutum præſtantiã,atque Dei volũtatem fieri debere.71.a.
Eleemoſynis pecc.ta redimuntur.20.b.
Eleemoſynas diſtribuentibus nihil minui,ſed ſemper multiplicari.115.b.
Eleemoſyna attenditur iuxta poſsibilitatem dantis.223.b.&.ſeq.
Eleemoſyna templis facta Deo acceptabilis:contra hæret.223.b.cum ſeq.& 235 b.
Eligit quos Deus cæteris præſtãtiores facit.71.b.
Emaus villa ſeu caſtellum,ſeptem milliaribus à Hieruſalem diſtat.296 b.
Error in cognitione peccatores cõtumaces reddit,& difficillimè curatur.135.b.
Euangelium eſt bonum nuncium.1.a.3.b.152.b.
Euangeliſtas facilis concordandi modus.99.b.188.a.
Euangeliſtę narrant interdum diuerſa,nunquam tamen contraria.188.a.
Euãgeliſtæ de apparitionis dñi poſt eius reſurrectionẽ ordine, conciliant.295.b.&.ſeq.
Euchariſtiæ vera,perfecta & admiranda inſtitutio contra hæret.242.a.b.& ſeq.
Excommunicatis ſacramentũ Euchariſtiæ non datur.140.b.
Ex toto corde quomodo diligendus Deus.219.a.

F

Faſtidire ſpiritualia,noſtræ pertinatiæ & rebellionis cauſa eſt.134.a.
Fel vino mixtum Chriſto propinatum quare non ſumpſerit.272.a.b.
Feſti diei obſeruationi vrgens neceſsitas præualet.60.b.
Feſto in die oportuit immolari agnum immaculatum.233.b.
Feſtus dies Paſchæ per ſeptem dies azimorum durabat.235.a.241.b.263.a.

Ficul

Ficulnea ſine fructu arida, quid ſibi velit.195.b.& ſeq.
Ficulneæ aridæ locus & ſitus.198.a.b.
Fide cognoſcendus eſt Deus.306.a.307.b.
Fidei veræ effectus,& plurima huius rei exempla.ibid.& 307.a.
Fidei defectus impedimento eſt continuæ ſaluti.144.a.
Fidei tanta eſt neceſsitas vt abſque ea impoſsibile ſit placere Deo.304.a.307.a.
Fidem ſolam abſque operibus & pœnitentia non ſufficere,nec ſaluare hominē, contra hæreticos.32.a.199.a.b.
Fidem quoties audis charitate formatam intellige 299.b.
Fidem verā tria ſemper comitantur.1.ſacrificiū,oratio generalis,& miracula.320.a.b.
Fides diſcipulorum vſque ad ſpiritus ſancti aduentum inſtabilis fuit.92.b.
Fides gratia gratis data:& alia fides virtus theologica; quomodo differant: & earum effectus.198.b.& ſeq.a.b.
Fides præexigitur in adultis vt baptizentur.304.a.
Fides vnica eſt,vti & Deus vnus,baptiſma vnum.hæreticorum verò fides multiuaria, & ideò erronea.312.b. & ſeq.
Filiorum inordinatus amor ad grauiſsima peccata inducit 111.b.
Filius Dei quomodo ignoret quedam quæ ſolus pater nouit.231.a.b.
Finis non principium rerum ſpectandus.164.b.
Finis primus eſt in intentione,& vltimus in aſsecutione. 219.b.
Flagellatio domini crudeliſsima.266.b. &.ſeq.
Flagellatio domini vbi fuerit facta,& columnæ forma 267.a.b.
Fornicatio ſimplex ab adulterio eſt ſeparata.& peccatum mortale,cōtra hæret.126.a.
Fornicationis cauſa tantum Vxor dimitti poteſt.171.a.b.
Fratres appellat ſcriptura omnes propinquiores ſanguine. 77.b.104.a.
Fratres etiam interdum dicit eiuſdem regni habitatores.77.b.
Fructum alij trigeſimū,alij ſexageſimū,alij cēteſimum afferentes interpretatur.81.a.

G

Galilæa mōs,Oliuarum monti vicinus. & vnde ſic dicatur.244.b.293.a.
Galilæa prouincia miliaribus quadraginta ab Hieroſolimis diſtat.293.a.
Galilęa mōs nō prouincia intelligitur in verbis domini:præcedā vos in galilęā.293.a.b
Galilæa trāſmigratio interpretat:& quomodo nobis in Galilæā traſmigrandū.293.b.
Galilæi à Iudæis ſpreti ſemper fuere.244.b.293.a.
Galilæorum prouincia Iudæa.ibid.
Gazophilacium,atque eleemoſynam tēplo factā approbat dominus,cōtra hæreticos. (223.b.
Gehennæ ſupplicium perpetuum,contra nonnullos.167.b.&.ſeq.
Gentes in audiendo fuere nouiſsimi,in credendo verò primi.180.b.
Gentes adhuc quotidiè ad fidem Chriſtianam conuertuntur.22.b.
Gentibus locata eſt Vinea Chriſti, deperditis colonis Iudæis.208.b.& ſeq.
Gentium populum ſignificat ligatus pullus aſinæ 191 b.&.ſeq.
Gentium vocationis tempus aſcendente domino in cœlum.298.a.300.b.
Gentiū vocationē & Iudæorū reprobationē p̄ Meſsiā futurā clarè oſtēdit.27.a.191.b.
Gethſemani prædij ſitus.245.a.b.
Gloria Chriſti à fortitudine oſtenditur.7.b.
Gloria noſtra ægra omnino & inanis.53.b.
Gloria domus Dei nouiſsimæ quomodo maior fuerit primæ.30.b.
Gloriam ſuam Deus alteri nullo modo concedit.17.a.19.b.
Gloriam inanem,ſeu laudem humanam nequaquam captādam, ſed prorſus fugiendam docet Chriſtus.100.b.135.a.144.b.
Gratiarum actione panis frangendus.115.b.
Gratiarum actionem ſemper Deo reddendam exemplo Chriſti docemur 244.a.

HÆretici opera nihili facientes conuincuntur Chriſti exemplo. 49.a.
Hæretici quoniã olim agnitã iuſtitiæ viã dereliquerunt, difficile curãtur. 142.b.
Hæretici vltro, niſi adducantur, non veniunt ad dominum. 143.a.
Hæretici ſuperbè communem ſanctorum viam reſpuunt, propriæ ſuæ innitentes prudentiæ, & verborum nouitatibus 149 a.b.
Hæretici negantes Euchariſtiæ ſacramentum protſus confunduntur. 242.a.b.& ſeq.
Hæretici ſcriptura ſemper vincuntur 311.b.
Hæretici hodie diuiſi in quinquaginta ſectas: quorum nomina adſcripta 311.b.& ſeq.
Hæretici modos.50.credendi offerunt; cum ſolus ſit vnus Deus & vna fides: qua re omnino confunduntur: 311.b.& ſeq. (ſaluum conductum.313.a
Hæretici noluerunt intereſſe Concilio œcumenico Tridẽtino: reſpuẽtes ampliſſimũ
Hæretici miraculum nullũ edũt: Catholici tamen apud eos defuncti quotidiè. 321.a.
Hæretici in ipſorum confuſionem ſacrificia tollunt, orationes publicas aſpernantur: ... miracula nunquam operantur 321.a.
Hæreticorum doctrina in angulis & in occulto facta damnatur. 36.b.
Hæreticorum turbæ Euchariſtiæ ſacramentum negatur. 140.b.
Hæreticorum mille ſectæ à primitiua huc vſque eccleſia ſemper confuſæ. 311.b.
Hæreticorum turba monſtrum ingens 50 capitibus. 313.b.
Hæreticorum conuerſatio omninò vitanda. 322.a.
Hæreticos iuſtè corripit Eccleſia, Satanæ eorum iudicans ſectam. 149.b.
Hæreſim tenet, qui ab vniuerſali Eccleſiæ intelligentia recedit: licèt verba ſcripturæ inducat 321.b.
Hebdomada quæque apud hebræos ſeptem continet annos 29.a.
Herodes damnatur leuitatis & crudelitatis 111.b.
Herodes corporum reſurrectionem, vitamque futuram præſtantiorẽ teſtatur. 109.a.
Hieruſalem vaſtatio per Titum & Veſpaſianum 227 a b.
Homicidium ne contingat Eccleſia autoritate Dei ſeparat virum ab vxore. 172.a.
Homicidium vermis rodens conſcientiam. 109.b.
Humiles & ſimplices corde amat & amplexatur Deus. 163 a
Humiliatus intrinſecè, ſecurus à ſeculi tempeſtatibus quieſcit. 163. a.
Humilitas veritas eſt. 10.b.
Humilitas Chriſti mira 11.a. 145 a. 186.b.& ſeq.
Humilitas exaltationis, & omnium virtutum initium 53.b.& ſeq.
Humilitas, & peccantium pœnitentia Angelos delectat. 87.b.
Humilitas, ſimplicitas & puritas baſis eſt totius vitę Chriſtianæ. 173.b.
Horæ matutinæ Religioſorum duplex myſterium. 257.a.b.
Horæ qua Chriſtus crucifixus, Euangeliſtarum concordia fit. 273.b.& ſeq.
Hora Iudæorum tertia fuiſſe dominum crucifixum. 273.b.& ſeq.
Horarum Iudaicarum longè diuerſa à noſtris horis computatio. eod.
Horarum Iudaicarum diſtributio in ternas per diem. 273.b.& ſeq.
Hypocritæ vulpium more igne capientur. 122.b.
Hypocritæ nouum diaboli portentum, Deum labijs confitentur, corde autem & factis negant. 122.b.

I

Iacobus zebedæi primus Apoſtolorum martyr. 35.b. 73.a.
Iacobus Apoſtolus contra Mahumetanos in conflictibus propugnator noſter ſtre- (nuus. 73.a
Iacobus & Ioannes fratres Apoſtoli & Chriſti conſanguinei. 35.a. 185 a.
Idolatræ à ſeipſis damnantur, creaturis honorem Dei tribuentes 303.a.
Ieiunia obſeruanda, contra hæreticos. 58.a.b.
Ieiunium diſtinguitur à mente ieiunantis. 55.a.b.

Ieiunium præmiſſum orationem puriorem efficit.161.b.
Ieiunus, qui dominum ſincero corde ſequitur, non reuertitur.114.a.
Ignorantes non aſpernantur à Chriſto, ſed docentur.141.b.
Ignorans ſeipſum nihil rectè agere poteſt: & à Deo declinat.53.a.b.
Immortalitas animæ plurimis argumentis atque exemplis efficaciſsimè probatur. 314.cum plurimis ſequent.
Incredulitatis & diffidentię pœna.124.a.
Infidelis iuſtè & perpetuò damnatur.307.b.& ſeq.
Infirmi ad ſpūales prius quàm corporales medicinas confugere debent.39.b.45.b.
Infirmitate ſublata, Deo cum gratiarum actione inſeruiendum.40.a.
Iniuria patienter toleranda.254.b.
Inimicorum animabus conſulendum: nec calumnijs cedendum.64.b.
Initium bonum perſeuerantibus feliciſſimum producit finem.3.a b.
Inuidia etiam Ioan. diſcipuli laborarunt.56.b.165.a.
Inuidia, odio & malitia tradiderunt ſummi ſacerdotes dominum.263.a.
Ioannes baptiſta omnium primus abluit aquis populum. 4.b.
Ioannes baptiſta quo functus fuerit officio. ibid. Eius ſumma humilitas.10.b.
Ioan. præcurſor, euidentiſſimum erat teſtimonium aduentus Meſſiæ.5.b.
Ioan. baptiſta angelus à pphetis vocat, ob eius virtutes, ſanctitatē & vitæ puritatē.31.a.
Ioan. baptiſta venit in ſpiritu & virtute Heliæ.157.b.
Ioan. Euangeliſta humilitatis & modeſtiæ cauſa nomen ipſe ſuum celauit in ſua euangelica hiſtoria 119.a.
Ira Chriſti qualis fuerit.65.a.
Iram Dei mox miſericordia & tranquillitas ſequitur.92.a.b.
Iudæ traditio omnibus ſtupenda.236 b.
Iudæ beneficia innumera à Chriſto collata, ibid.
Iudæ incredibilis pertinatia, malitia & infelicitas.241.a.
Iudæi diſperſi, profugi, vagi & omnibus nationibus contemptui in hodiernum diem: & quare.17.a.b.& ſeq b.21.b. 76.a. 264.a. 265 a. 263.b.
Iudæi obdurati, nefandi & pertinaces, nec noua nec antiqua oracula perpendere voluerunt.17.b. & ſeq.106.a.b.279.b. 286.b. 310. a.b.
Iudæi à Chriſti aduentu vſque hodie ſine prophetia, ſine templo, diſperſi & omninò derelicti.18 b. 21.b. 29.b. 84.b.
Iudæi velū non habent quo ſe tegant, nec quo ſe excuſent, nec quo fugiant: omninò enim ſuis prophetijs confunduntur.26.a.b. 29.b. & ſeq. 253.a.b. 310.a.b.
Iudæi vti olim, ſic & hodie adhuc calumniantur.37.a.
Iudæi iam non ſunt veri ſed falſi.169.b.
Iudæi qui in audiendo fuerunt primi, erunt in ſalutione nouiſſimi.180.b.
Iudæi Meſſiā reſpuentes, ab eis ad gentes tranſlatū eſt Euangeliū.191.b.208.b. & ſeq.
Iudæi impudentiſsimi damnantur, quia non credunt Dei filiū in carne veniſſe.309.b.
Iudæi & Mahumetani diabolo inſeruiunt, quia non cognoſcunt verum Deum.ib.de.
Iudæorum multi etiam crediderunt in Chriſtum.67.b. 192..b.
Iudæorum patres Moyſes & prophetæ: mater verò eorum lex.18.a.b. (a.& ſeq.
Iudæorū deſolatio & direptio in finē vſq; mūdi perdurabit.19.b.21.b.197 a.237.b.264.
Iuriſdictio in vniuerſa Eccleſia quo pacto à Chro in ſummū pontificē deſcēdat.147.a.
Iuſti pia ſeueritate exercentur à Deo in hoc ſeculo.110.a.

L

LAici dum de eccleſiaſticorum defectibus conqueruntur: Eccleſiaſtici verò de laicorum cupiditate & luxu, orbis totus ſibi contrariatur.256.a.b.
Lapis Chriſtus à Iudæis reprobatus, factus in caput anguli, vtrúq; cōnectens parietem, gentium.ſ.populos: & qui crediderunt Iudæos.208.b.

Lapidis ab oſtio monumenti amoti, ſignificatio.291.b.
Lapidis eiuſdem forma & deſcriptio.292.b.
Latrones qua ratione cum Chriſto crucifixi.278.b.& ſeq.
Legem noluerunt audire Iudæi: eam lacerarunt, in capite vulnerarunt, & contumeliis affecerunt.208.a.
Legem qualem condiderit Chriſtus.108.a.
Legis obſeruatorem ſe Chriſtus ſemper oſtendit.11.a.43.b.
Legio militum continet ſex millia ſexcentos & ſexaginta ſex.94.a.
Lepra hæreſes & peccata deſignat.42.b.
Leproſi à cætu hominum ſeparantur.42.a.
Lex à Chriſto tradita eſt in Eccleſia perpetuò duratura.14.b.
Liberum arbitrium oſtenditur & probatur.71.b.
Linguæ igneæ quo pacto Spiritum ſanctum deſignent.14.b.& ſeq.
Loci, vbi diſcipuli domini tres, orante ipſo ſuſtinere iuſſi ſunt, deſcriptio.245.b.
Loci ſeu antri vbi dominus trinam patri fecit orationem, ſitus.246.a.
Locus vnctionis domini in monte Caluario propè ſepulchrum.289.a.
Lucifer quia Deo ſe æquiparare voluerat, è cœlo in infernũ p̄cipitatus.19.b. (322.a.
Lupi rapaces hæretici: veſtis autẽ ouina, ſacra ſcriptura eſt ab eis deprauatè induta,
Luxuriæ peccatum, generali aquarum diluuio punita.124.a.

M

Mahumeti inſania, de lege ſua non ratione vel diſputatione, ſed armis tantum tuenda.311.a.
Mahumetorum ſecta multiuaria, rationique prorſus contraria.310.b.& ſeq.
Maiorum corruptio plebem & Rempub. perdit.134.b.
Malè agens aut ſe excuſat, aut tacet.163.b.
Malitia peccantes à Chriſto relinquuntur: & quanto ſupplicio digni.141.b.
Malorum conuerſatio bonis maximè obeſt.56.a. 130.a. 141.a.
Manum aridam habent perplures noſtri ſeculi.63.b.
Manus Chriſti potentiam deſignat, quę ad ſalutem peccantiũ neceſſaria.130.b.143.b.
Manus impoſitio ſalutem ſignificat.174.b.
Marcus Euangeliſta, beati Petri diſcipulus: & ab eo de Euangelica hiſtoria edoctus. pag.1.& ſeq.& 118 a.b.146.a.
Marcus Romæ ſcripſit Euangelicam hiſtoriam.1.a.
Marcus quare nullo vſus exordio in ſua Euang. hiſtoria.1.b.& ſeq.
Marcus quare aſſimiletur Leoni.2.
Marc⁹ quare interdũ, & etiã cõſultò omiſerit B. Petri reſpõſa & acta.118.b.& ſeq.146.a.
Mariæ Magdalenæ quomodo dominus poſt reſurrectionem apparuerit.296.a.b.
Mariarum domus in Hieruſalem, in qua dominus prædicabat.295.a.
Martha virgo, hoſpita Chriſti, domina Bethaniæ oppidi.195.b. 234.b.
Matrimonium, ſacramentum nouæ legis, inter extera ſacramenta repoſitum.170.b.
Mentitur non ſolum is qui falſa dicit: verũ & ille qui ſciẽs aliũ mentiri conſentit.38.b.
Meſſiæ aduentus certiſſimum fuit teſtimonium præcurſor Ioan.5.b.& eiuſdem hominum aquæ ablutio.6.b. 17.b.& ſeq.
Meſſiæ ſolo conueniebat per aquã remiſſionẽ peccatorũ perfici.5.a. 10.a. 17.b.& ſeq.
Meſſiæ poteſtas æterna 202.b.& ſeq.
Meſſiæ aduentus tempore ceſſauit omnis prophetia, vſque hodiè.18.b. (310.a.b.
Meſſiæ aduẽtus tẽpus oſtẽdit aptiſſimè ex veteri & nouo Inſtrumẽto.24. a.25.a. & ſeq.
Meſſiam tria teſtantur quæ de eo in lege & prophetis prædicta fuerẽ. ſ. tẽpus, ſigna & prodigia, mors, reſurrectio, aſcenſio, & ſpiritus ſancti aduentus.24.a.b. 25.a.b.
Meſſiam verum Deum futurum ſemper prædixere prophetæ.24.b.203.a.
Meſſiam fore legiſlatorem oſtenditur.27.b. & ſeq.

Meſſias nõ venit in potentia temporali,ſed in fortitudine prodigiorũ & virtutis.8.a.
Meſſias vel Chriſtus vbicumq; in ſcriptura legitur,verum Dei filium deſignat.149.a.
Miniſtrare,eſt eſurienti cibos porrigere vel præparare.16.b.
Miracula à Deo non ſunt expoſtulanda vbi res via naturali vel arte perfici põt.100.a.
Miracula nõ fiũt niſi deuoto & ſimplici aĩo poſtulãtibus:vel etiã ad robur fidei 140 b.
Miracula interdum fiunt abſque diuina gratia,& à malis.199.a.b.
Miraculis cõtinuis diuinitatẽ ſuã oſtendit Chriſtus, corpore verò humanitatẽ.120.a.
Miraculorum in morte Chriſti contingentium enumeratio.285.a.b.
Miraculum fit deficiente natura.100.b.
Miſeria in propatulo eſſe debet,vt facilè ab omnibus conſpici & adiuuari poſſit.64.b.
Mons Oliuarum per miliare ab Hieroſolyma diſtat.190.b.
Mors duplex:prima eſt cum anima à corpore ſeparatur: Secunda eum perpetuis ſupplicijs erucianda damnatur. 152.a.
Mortale quod eſt maximum eſt.302.a.
Moyſes & Elias in tranſfiguratione Chriſtum vitæ & mortis dominum , & verum Meſſiam oſtenderunt.157 a.
Mulier,ad nuptas nõ tantũ,ſed etiã ad alias nõ viris cõiunctas fœminas ptinere.126.a.
Mulieres volentes vngere corpus domini,non credebant diuinitatem vnquam ab eius corpore fuiſſe ſeparatam. 290 b.
Mulieres viſo & audito Angelo reſurrexiſſe dñm,quomodo id nemini dixerint.295.b.
Mundana omnia caduca,& vaporibus ſimilia.303.a.
Mundus non dat,ſed accommodat,& mox repetit.181.b.& ſeq.

N

NAbuchodonoſor Rex, quia Deo ſe aſſimilabat,in beſtiam per annos ſeptem verſus eſt.19.b. 20.b.& ſeq.
Nardus herba qualis.235.a.
Natiuitatis Chriſti,& eius ligationis in domo Caiphæ myſteria deſignant horæ matutinæ à religioſis noctu recitatæ.257.a.b.
Natura noſtra fragilis aliquo modo perterrita aut ſuperata,ſtatim fugam remedium putat.294.b.
Neceſſarium magnopere homini,tanquã finẽ ad quem ſemper tendere debet,cognoſcere à quo ſit:ſub quo ſit:quo pergat:& quis illi quæ habet largitus ſit.305.b.& ſeq.
Neceſſitas vrgẽs vel extrema, multa licita reddit,quæ aliàs non licerent.60.a.b.
Neceſſitas fidei tanta eſt,vt ſine ea impoſſibile ſit Deo placere:& pulchra huius rei exempla proponuntur 304.a.& ſeq.
Negãtes Iudæi Chriſtũ,ei⁹ populus eſſe defierũt. Et Danielis ꝓphetia explicat.276.a.
Non credens,ſeu infidelis iuſtè damnatur.307.q.
Noſſe ſeipſum ſumma prudentia,& ad Deum conuerſionis principium:ignorantia verò ſui,declinatio à Deo.52.b. 53.a.b.
Noui homines Chriſto nouo reddendi ſunt.288.b.
Nouus homo Chriſtus,nouum fecit opus. ibidem.

O

OBedientia vera eſt ſine hæſitatione continuò parere vocationi & iuſſui domini.71.b. 89.b.239.a.
Obedientia animas facit caſtas.90.a.
Obedientiæ veræ magni effectus.90.b.
Obediens verè peccare non poteſt.90.b. 239.b.
Obedientiã tantũ cõmemorat D.Paulus loco plurimarũ virtutum in Chriſto.110.b.
Obſcuriora vel ſecretiora non ſunt populo reuelanda nec prædicanda.88.b.
Officia nobis cõmiſſa prorſus negligimus:atq; inde ingẽtia exurgere mala.32.b.&.ſeq.
Officia in Repub.non fauore,ſed iuſtitia diſtribuenda eſſe.33.b. 70.b. & ſeq. 115.b.

Opera

Opera bona:vide ſuperius in litera B. Bona opera.
Opera exteriora diſtinguuntur ab interiori intentione.55.b.
Operandi difficultas cauſa noſtræ pertinaciæ & rebellionis.134.a.
Operatio Chriſti indefatigata & continua,diuinam in eo arguit naturam.75.a.
Operum Chriſti ab operibus naturę,angelorũ ſiue ſanctorũ mira diſtinctio.65.b.138.a.
Orandum & poſtulandum quomodo,& quid.200.b.
Oratio humilis fide robuſta cœlos penetrat.128.b.
Oratio præmittenda eſt poſtulantibus,ſeu operari volentibus.161.a.
Oratio frequentanda & continuanda.181.a.200.a.
Oratio vt purior reddatur ieiunio eſt præuenienda.161.b.
Oratio vt pura ſit multa exigit.200.a.
Oratio in templo ſpecialem impetrandi efficatiam habet.202.a.
Otioſi à dæmone tentationibus aggrediuntur.16.b. 49.a.
Otium innumera mala parit.32.b. 48.b.& ſeq.
Otium Dinam,Dauid,& à dæmone liberatum hominem perdidit.48.b.& ſeq.

P

PAcificam domum amat Chriſtus,vſq; adeò vt in ea miracula edat.39.b.
Parabolicè frequenter fuit Chriſtus locutus multas ob rationes.80.a.88.a.b.
Paſchale ſolemne feſtum Iudæorum Chriſti immolationis præfiguratio.233.b.
Paſchæ celebrationem dominum non præueniſſe,ſed omninò cum azimis & alijs ceremonijs manducaſſe:contra græcorum errorem.238.a. 241.b.
Paſſio Chriſti voluntaria & ſpontanea fuit,non coacta.162.b.184.a.246.b.249.b.
Paſſio Meſſiæ ex ſcripturis mirificè reuelat eius diuinitatem.232.b.& ſeq.
Paſſio Chriſti quadrupliciter conſideranda.232.b. & ſeq.
Pater quomodo ſciat quædam ita ſolus,vt filio ſint ignota.231.a,b.
Patiens obedientiam Deo & eius mandatis præſtat.112.a.
Patientia Chriſti mira.218.b. 267.a.b.
Pauper factus eſt Chriſtus vt nos diuites faceret.91.b.
Pauperes quare fecerit dominus.68.a.
Peccata in Spiritum ſanctum qualia ſint:& irremiſſibilia.77.a.
Peccata grauia vermes ſunt rodentes conſcientiam.109.b.
Peccata vno grauiſſimo ligatus,& ſi aliquas virtutes exercere conetur ad ſe ſaluandum,niſi reſipiſcat,omninò eius damnationem dæmon expectat.111.a.
Peccanti bonum eſt non excuſare nec celare peccatum.160.b.
Perſecutionibus quare dominus ſuos amicos conteri ſinat.181.a.
Petenti licèt interdum Deus non quod poſtulat,ſemper tamen quod expedit donat.42.b. 200.a.b.
Petræ in morte Chriſti ſciſſæ ſtupendum miraculum ad amuſſim depingitur.285.b.
Petrę eiuſdem ſciſſæ miraculum in hodiernum vſque diem permanet:idque ſolum, cæteris miraculis omnibus tranſactis.285.b.& ſeq. (rus.41.a.
Petrus ſemper in feruore erga Chriſtũ inuenitur primus,vt puta eius vicarius futu-
Petrus quare à Chriſto ſic appellatus fuerit.72.a.b.
Petrus ab initio omnibus alijs diſcipulis à domino præponitur:vt qui poſtea eius futurus vicarius.72.b.
Petri prælaturæ ſuper orbem terrarum promiſſio & indicia.119.a.
Petrum & eius ſucceſſores fuiſſe Chriſti Vicarios generales & ordinarios conſtitutos in toto terrarum orbe.146.b.148.a.
Petri poteſtas eminentior fuit aliorum Apoſtolorum poteſtate in quatuor.147.b.
Petri trina negatio declaratur.255.b.& ſeq.
Petrum quare Angelus ſeparatim in reſurrectione domini nominauerit.292.b.
Petri negationis pœnitentiam domino placuiſſe.292.b.

Phariſæi cupiditatibus tantum inſeruientes,in omnibus ad commodum proprium
ſemper anhelabant.65.b. 84.a 123.b.211.a. (a.76.a.279.b.
Phariſæorū admiranda cæcitas,iniquitas,pertinatia,inuidia & nefanda fallacia.64.
Phariſæi ambitioſi,ſuperbi,cupidi,arrogantes & hypocritæ.223.a.
Philoſophi animæ immortalitatem aſſerentes.316.b.& ſeq.
Pilatus vir inconſtans,iudex iniquus,ſeculi huius filius.266.a.
Pœnitens verè omninò à conuerſatione peruerſa ſeparetur neceſſe eſt.130.a. 143.b.
Pœnitentis verè proprium eſt vitam mutare.6.b.
Populus reuelans miracula Chriſti,licèt ipſe hoc ei vetauerit,non peccauit.135.a.
Populus ſeu vulgus inconſtans,ingratus & mutabilis eſt:ideòque nequaquam ei fidendum.234.b. 263.b.
Porcorum multitudo quare in terris Iudæorum enutriebatur.96.a.b.
Porcos nutrire Iudæis non erat prohibitum,ſed tantum illis veſci.ibid.
Porphyrius blaſphemans in ſanctos & Apoſtolos q, facilè & feſtinanter crediderint conuincitur.50.a.b. & ſeq.
Potentia Dei omninò ad ſalutem peccantium neceſſaria.130.b. 143.b.
Prędicator verbi Dei & ſi omnib' pdeſſe nō poſſit,nō tn̄ à munere ſuo deficiat.83.a.b.
Prædicator animarum fructum non ſe quærere debet.38.b.
Prædicatoris eſt tantū ſeminare verbū: Dei verò cōſumare & ad frugē pducere.86.a.b.
Prædicatorem optimū laudare quidē ſolemus,eius verò doctrinæ nihil obedire.39.a.
Prædicatores conſolatur dominus.86.b.
Prædicatores & præcones Chriſti quales eſſe debeant.107.b.
Prædicatores omnia quæ faciunt & docent referentes Ieſu,benè ſibi conſulunt.113.a.
Prælatos ſine affectione carnali,nec voce populi eligendos.70.b.& ſeq.
Prælatis non licet diu abeſſe à grege.159.b.
Prælati ſeu primatum habentes in Eccleſia debent omnium nouiſſimos ſe,& miniſtros reputare.163.b. & ſeq.& 186.b.
Prælatorum lex qualis ſit.186.b. & ſeq.
Præſidentium in Eccleſia vita eſt mixta.41.a.
Principes declinant ab officio debito:vndè magna noſtri mali labes.33.c.
Principum otia & deliciæ plurimorum cauſa ſunt malorum.32.b.
Principum officium eſt debellare infideles:& Eccleſiam tueri. ibid.
Probatio dilectionis Dei,eſt exhibitio dilectionis proximi.220.a.
Procellam mittit Deus,vel vt probetur homo,vel quia iratus.91.a. & ſeq.
Propheta in ſua patria ſine honore.104.b.

Q.

QVadraginta horis quia in ſepulchro mortuus iacuit Chriſtus: quadraginta diebus ſe viuum oſtendit diſcipulis.298 b.
Quadrupliciter paſſio Chriſti conſiderari poteſt.232.b. & ſeq.
Quadruplex eſt non credentium caterua: Idolatrarum gentium,Iudæorum,Mahumetanorum,& hæreticorum.309.a.
Quæ perſonæ viderint dominum à mortuis reſurrexiſſe. 298.b.
Quærens Ieſum,in templo eum ſemper inueniet:aula.n.eius eſt.202.a.
Quærēs Deū verè,etiā illa quæ humanis viribus impoſſibilia videntur obtinet.291.a.
Quærere & interrogare de ſcriptura non pudeat.171.a.
Quæſtiones non iuxta noſtram opinionem,ſed ex ſcripturarum deciſionibus determinandæ.218.b. & ſeq. (117.b.
Quartā in vſq; noctis vigiliam: id eſt,vſq; in finē ſeculi,paſſura eſt Eccleſia hæreticos.
Quartum Chriſti in cruce prolatum verbum exponitur.281.a.b.
Quatuor ſunt quæ faciunt in peccatore vehementem pertinatiam & rebellionem, adeò vt ſit ſurdus & mutus.133.b.

Quod vniuerſum,quod antiquum,& quod ab omnibus conſenſum,id credendum: quia verum & catholicum eſt.321.b.

R

RAtio eſt domus animę:in qua cõmorãtes tuti erimus à ſeculi tumultibus.144.b.
Ratio occidi non poteſt,imò frequenter iniquitatem redarguit,& conſcientias malorum pungit.206.b.
Rationem humanam exciderunt & vacuam dimiſerunt Iudæi.205.b.& ſeq.
Rationi voluntatem noſtram non ſenſibus ſubdamus.210 a.
Recedẽtes à Chriſto,vel à quibus Chriſtus recedit,etiã à folio vẽto agitato timẽt.91.a.
Reddenda Deo quæ Dei ſunt:id eſt animas noſtras illius imaginẽ præſeferẽtes.213.b.
Regem æternum ſe oſtendit Chriſtus.105.b.
Reges tenentur ad duo.ſ.iuſtitiam & pacem populo miniſtrandam 214.a.
Regibus perſoluenda tributa & vectigalia propter conſcientiam.214.a.
Regnum Dei eſt vbi omnes ſibi obediunt.23.b.
Regnum Dei in virtute veniens,videre,multiuariè exponitur.156.a.
Regnum Dei dicit Chriſtus reſurrectionem & gloriam ſuam 243.a.
Regulæ quibus homo(diuina mediante gratia)errorem omnem vitare,& in catholica fide ſyncerè ſemper viuere poſſit.320.cum ſequentib.
Religioſa vita relicta ad carnalem ſe conferens conuerſationem,difficile iterum ad ſpiritualem vitam reducitur.143.a.
Religioſis turpe eſt alterius inſtituti religioſos odiſſe.166.a.
Religioſis proprij nihil in communi habentibus,nihil prorſus deeſt.180.a.
Religioſi ab iniquis & hæreticis proſequuntur etiam hodie.ibid.
Religioſorum quietior eſt vita in hoc ſeculo.90.a.
Religioſorũ fratrũ morem,vt bini ſemper ambulẽt,approbaſſe videtur Chriſtus.151.a.
Requies in hoc ſeculo nulla eſt alia præter imitationem Chriſti.87.b.
Requiem non niſi puſillam poſſumus in hac vita habere.113.b.
Reſpõſio ad quæſtiones nõ dãda ex tẽpore:ſed ex deciſionibus ſcripturarũ.218.& ſeq.
Reſpublica eccleſiaſtica ex dia metro pugnat à ſeculari.18 .b,
Reſurgente domino plurima redeunt.290.b.
Reſurrectionis & apparitionis domini ordo & ſeries.295 b.& ſeq.
Reſurrectionis futuræ vitam multis argumentis oſtendit dominus,ne fidelibus vlla ea de re oriretur dubitatio.298.a.
Romanorum poteſtate tradiderunt Iudæi Chriſtum morti.259.b.

S

SAbbatum factum eſt propter hominem,non autem homo propter ſabbatũ.61.a.
Sacerdotes Iudæorũ auari,non de ouibus ſed de lacte & lana tantũ curabãt.114.a.
Sacramenta quibus in gratiam reducimur,quare ſub ſenſibilibus rebus inſtituta.12.a.
Sacrificium corporis & ſanguinis domini memoriale eſt paſſionis,omnium actionum,& totius eius vitæ.239.a.
Samariæ obſeſſio fermè æqualis Hieroſolymitanæ.229.a.
Sal pro vera ſapientia & diſcretione.168.a.
Sanctis dum patiuntur Deus maius præmium parat.112.a.
Sanctorum exemplo calumnias refutare poſſumus,quod iuſtum eſt agentes.60.a.
Sanctorum eſt mos virtutes ſuas tacere,defectus verò non celare.118.b.& ſeq.146.a.
Sanguine iuncti,ſpiritualibus hominibus impedimẽto ſunt.75.a. (aberrare.148.b.
Sapiẽtiæ humanæ ſeu propriæ innitẽtes,reuelatione diuina relicta cadere,& à fide
Satanas cupidus ſcire an Chriſtus verus Deus,aut purus homo eſſet.16.a.38.b.40.b.
Satanas,vide reliqua ſupra in litera D.Diabolus.
Scandalum vitandum,etiam in puſillis.167.a b.
Scandalũ pati in aliquo mẽbro:quod eſt ruinæ vel peccandi occaſionẽ.167.b.& ſeq.

Sedes

Sedet Chriſtus à dextris Dei, hoc eſt in potioribus gloriæ bonis.300.b.
Senſibus vlterius non vtendum quàm quantum ipſa ratio & fides docent.118.a.
Sepulchri Chriſti ſitus & fabrica diligentiſſimè explicata.289.a.b.
Sepulchrum domino quomodo nos præparare debeamus. ibidem.
Signa & prodigia quæ Meſſias facturus erat, ex prophetis.24.b.
Signa conſumationis ſæculi qualia.230.b.& ſeq.
Simon Petrus: vide ſupra in litera P. Petrus.
Simonis leproſi domus adhuc Bethaniæ extat reædificata 235.a.
Simplicibus & rudibus non iraſcitur dominus, ſed compatitur & docet. 141.b.
Solicitudinē omnē remouet Chrūs à fidelibus: præſertim prædicatoribus.106.b.137.b.
Solis eclipſis in morte Chriſti contra naturam.280.a.
Somnium Regis Nabuchodonoſor mirabile.19.b. 20.a.b.
Sperandū nobis ſemper eſt: cū Deus à ſua poteſtate & pietate deficere nō poſſit.42.b.
Spinæ, diuitiæ huius ſeculi dicuntur.177.b.
Spiritum ſanctū promittit Chriſtus ſemper in Eccleſia permanſurum.14.b.
Spiritus qualis expulerit Chriſtum in deſertum 15.b.
Spiritus ſanctus ſimplices, humiles & quietos homines viſitat.33.b.
Sputum vel ſaliua Chriſti, ſapientiam ſignificat.150.b. 143.b.
Summi ſacerdotes Scribæ & Seniores Iſrael neq; Ioanni Baptiſtæ, neq; Chriſto crediderunt: prophetarū doctrinā & corpora occiderūt.203.b 204.a 211.b. 2.6.a b & ſeq.
Summos ſacerdotes phariſæos ſcribas & ſeniores Chriſtum ſolum Dei filium, Meſſiā & hæredem ſuſpicatos & opinatos fuiſſe.207.b. 222.a.
Superbia omnis peccati initium.53.b.
Superbiæ punitionis plurima exempla 123.b.
Superbis reſiſtit Deus, eosque in nihilum redigit.19 b. 20.cum ſeq.
Superbus ſeipſum prorſus ignorat, & infirmus eſt.53 a b.
Surdi & muti mirabilis ſanationis multiplex expoſitio.129.a.b.

T

Tabernaculi templi Salomonis dignitas deſcribitur.284.a.
Tangi quare ſe permiſerit à mulieribus Chriſtus poſt eius reſurrectionē.296.b.
Templa & altaria erigenda: donaque eccleſiæ offerenda, contra hæret.224.a.235.b.
Templa magna in Hiſpania & Africa diruta.226.b.
Templi Hieruſalem omnia ornamenta, vaſa, ceremoniæ & ſacrificia, erant figura aduentus Chriſti, paſſionis eius, & noſtræ redemptionis.194.b.
Templum frequentandum: & corde ſingula eius attente pertractanda.155.a.
Templum vacare debet negotijs prophanis, confabulationibus, contractibus.196.b.
Templum adeò frequentando dominus, ſignificabat perpetuam Euchariſtiæ in templis præſentiam.201.b. 202.a.
Templum appellat Chriſtus corpus ſuum.252.a.b.
Tempore prohibito extrinſeca etiam aſſumpta coinquinant hominem.126.b.
Tempus aduentus Meſſiæ demonſtratur ex veteri & nouo inſtrumento.24.a. 25.a. & ſeq.110.a.b.
Tentationes Chriſti in deſerto tres fuiſſe.15.b.
Tentationes tres domini omne genus tentationum includere.ibid.
Tentationibus egregie reſiſtentes, miniſterio & conſortio Angelorum fruuntur 16.a.
Tentauit ideò diabolus dūm, vt exploraret verusne Deus eſſet, an purus homo.16.a.
Timentibus Deum nihil omninò deeſt.157.b.
Tonitrui filij quare vocati à domino Iacobus & Ioannes apoſtoli.73.a.
Traditiones hominum non damnat Deus, dummodo ſecundum eius legem & temporum rationem præſcribantur: contra hæret.122.b. & ſeq.
Tranquillitate conſeruatur regnum aut familia.76.a.

Tran-

Transfiguratio domini quare diſcipulis oſtenſa.156.b.
Tria obſeruans à vera fide non declinabit: quæ ſint.321.b.cum ſequentib.
Trinitatis totius vna eſt gloria, vna voluntas, vnaq́; ſubſtantia. 13.b.& ſeq.
Tunica Chriſti inconſutilis, non diuiſa à militibus, vnã omniũ credentium fidem ſignificat.173.a. 312.b.
Turba ſolet neceſſitate laborantes comprimere: & ſtudioſas animas ab oratione retrahere. 188.b.
Turcæ Chriſtum ſacratiſſimum prophetam, & in cœlum euectum fatentur.301.b.

V

VAllis Ioſaphat ad radicem montis Oliueti ſita.250.a.
Vallis Ioſaphat tribus montibus cingitur. 293.a.
Velum templi ſciſſum, ingens miraculum quid deſignarit aperitur.283.b.& ſeq.
Veniæ conſequendæ facilitas. 12.b
Ventus Eccleſiæ contrarius ſunt hæretici ſuperbi, mente inflati. 117.b.
Ventorum tempeſtas multa deſignat. ibidem, & ſeq.
Verba Chriſti energiam maximam, vim & potentiam habent.34.b.51.b.
Verba Chriſti attrahunt corda hominum vt magnes ferrum. 52.a.
Verbi Dei concionator, lucernæ ardenti & ſeminatori cõparatur.82.b.
Verbum Dei incarnatum multiplices vtilitates produxit.3.a.
Verbum incarnatũ ſalutis initium, atq́; ideò cunctis rebus longè præſtantiſſimũ. ibi.
Verbum Dei lux eſt. 82.a.
Veritatem Euangelicam defendens, atque ideò vitam amittens martyr eſt.153.a.
Vermis, id eſt conſcientiæ remorſus.167.b.
Veronicæ vultus Chriſti impreſſio 271.a.
Verorum amicorum eſt amicis vera dicere.298.b.& ſeq.
Verum Deum non omnes in Deum credentes agnoſcunt: & ideò dãnantur. 308.a.b.
Videntes videant & non videant, audientes audiant & non intelligant, quomodo ſit intelligendum. 79.b.
Vigilia nobis viuentibus ſummoperè commendatur.231.b.
Viſitanti præſuli detegi debent hæretici, ſchiſmatici, malefici & quicunque in publico mortali peccato exiſtunt.119.b.
Vita nihili pendenda eſt pro honore & præceptorum Chriſti obſeruatione.110.b.
Vita Chriſtiana ad viuum à Chriſto depingitur.150.b.& ſeq.
Vita nõ habet æſtimationẽ, nec vlla alia cũ re cõmutari põt niſi cũ vita æterna. 153.a.b.
Vita æterna qualis. 216.b.
Vnctionis extremæ primus vſus, & effectus.107.b.
Voluntariè & ſponte paſſus fuit Chriſtus: non coactè. 162.b. 184.a. 246.b.249.b.
Vox maieſtatis eſt vox Chriſti. 34.b.& ſeq.
Vulgus ingratus, inconſtans & mutabilis eſt: cui nequaquam fidendum.234.b.263.b

Z

ZAchariæ filij Barachiæ ſepulchrum. 250.a.
Zelotes eſt Deus valdè ſui honoris.17.a. 19.b.
Zona pellicea cilicium deſignat.6.b.7.a.

Erratula quædam deprehenſa hoc modo caſtiganda venient.

PAgina 10.verſ.14.ibi, ſolũ, lege: ſolui.pag.12.verſ.22.lege, magiſter, pa.15.prope fin.in parentheſi lege: omni genere tentationũ.pa.19.verſ.14.lege: retributione præmiorũ.24.5. improbrat.29.21.non credere.35.12.Salome,43.verſ.antepenul.ſecurus morabatur.66.6.in inſtanti & ſubito.71.24. præſto.76.21. & ab.122.verſ. penult.fœnum.143.verſ.antepen, ſputum domini.146,27. Ioãnis vit.283,25.mirabilia.286,26.montẽ ſuperius nempe.291.13.obtinet.Non nulla alia leuiſſima ſunt.

LAVS DEO.

Beatiſsimo patri Pio quinto

domino noſtro pontifici maximo, IESV CHRISTI domini noſtri vero vicario: Ioannes Soarez Epiſcopus Conimbricenſis, & Arganilli Comes incolumitatem & vitam diuturnam, tandemque æternam fœlicitatem exoptat.

CVM aliàs (beatiſſime pater) tractatus aliquot ſuper ſanctum beati Matthæi Euangelium edidiſſem (cui operi multorum precibus adductus vltimam impoſui manum, ne ea quæ aliquando ſuper Matthæum dictaueram & prædicaueram, longo temporis curſu obliuioni traderentur: ſed potius è perpetuis quaſi tenebris in lucem vendicarentur) opus illud Chriſto domino, prout par erat obtuli. Nunc autem cum beati Marci ſacroſanctum Euangelium explanãdum ſuſciperem hoc proculdubio beatitudini tuæ offerendum curaui, eo quòd ipſe beati Petri principis apoſtolorum diſcipulus fuit: & teſte Hieronymo, ſecundum quod à beato Petro Euangelium accepit ſcripſit: quin etiã illud Romæ dictauit. Non igitur alicui alij Marci interpretatio poteſt offerri, nec ſub alterius nomine in lucẽ prodire, niſi ſub beati Petri ſucceſſoris & Chriſti vicarij nomine, cum eius tum cenſura: tum etiam facultate: cui Deus curam totius orbis mandauit, nec non regni cœlorum, & vniuerſalis Eccleſiæ claues curamque commiſit. Quod ſi huic meæ veræ fidei accedat fœlicis & diuturnæ vitæ (quam ego beatitudini tuæ ſummopere opto) ſpacium, tua ad annos Petri perueniet ſacra canicies: & tandem cum illo æterna frueris fœlicitate. Hoc tibi ille concedat cuius tu vicem in terris geris, quod ego beatitudini tuæ precibus licet indignis omni die mirum in modum peto atque contendo.

IN NOMINE PATRIS ET FILII EIVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET SPIRITVS SANCTI. AMEN.

INCIPIT COMMENTARIVM Reuerend. patris Ioannis Soares Conimbriceñ. Epiſcopi, & Arganilli comitis, in Euangelium beati Marci.

TRACTATVS PRIMVS IN CAP. I.

BEATVS MARCVS LEVITA GENERE, *in initio verborum Euangelij quod Romæ ſcripſit, ſecundùm quod à beato Petro à quo baptizatus fuerat accepit, exordium ab ipſa beati Petri confeſſione, videlicet, tu es Chriſtus filius Dei viui, nulla intermiſſa præfatione, nulliſq́ rhetorum coloribus, ſeu ornamentis verborum adductis incipit.* Initium Euangelij. *Hoc eſt, incipit bonum nuntium.* Ieſu Chriſti filij Dei. *Ac ſi diceret, initium facio eorum quæ narraturus ſum, de aduentu filij Dei in carne, de prædicatione Meſsiæ, de aduentu expectati iuſti, de aduentu ſapientiæ patris, de vnico verbo Dei. Non ſunt hæc terrenis obumbranda verbis, non ornanda rhetorum coloribus, altius cælo eſt myſterium de quo diſſerturus ſum. Euangelium eſt: bonum nuntium eſt: aduentus vtique non Cæſaris in imperium, non Regis in regnum, non patris familias in domum: ſed illius imperatoris, illius Regis in mundum per quem facta ſunt omnia, per quem cuncta in eſſe ſubſiſtunt. Illius patris familias, qui vt deſponſaret eccleſiam, ſe ipſum tradidit pro ea, lauans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, qui vt filios nutriret:*

ret: non pane terreſtri, ſed ſui corporis, & ſanguinis alimẽto paſcit. Bene vtique Marcus leoni aſſimilatur, qui dum rugit, pauent
Amos 3. *cætera animalia. Leo rugit, Marcus clamat:* Initium Euãgelij Ieſu Christi filij Dei? *Quis non timebit? Dominus Deus per beatũ Marcum loquutus eſt. quis non prophetabit? Verus ſui præceptoris beati Petri diſcipulus, non ambagibus, non circuitu verborũ, non ſyllogiſmo dialectico concludit, Chriſtum eſſe verum Dei filium, Deum de deo, lumen de lumine: ſed primam propoſitionem, continuò apertã & palàm pronuntiat, inquiens:* Initium Euangelij Ieſu Christi filij Dei. *Et queadmodũ beatus Petrus inſtãte domini paſſione, dixit, Domine ſi percutimus in gladio? nec expectato reſponſo, abſcidit Malcho auriculam: ſic beatus Marcus præceptoris ſui veſtigijs inhærens, os iudæorum verbo deitatis obturat, & molas eorum confringit dicens: de quo habiturus ſum ſermonem, & cuius geſta narraturus, ipſe eſt verus Dei filius naturalis, ipſe verus homo ex tempore, ipſe verus Meſſias in lege promiſſus,* Initium Euangelij Ieſu Christi filij Dei. *Quod non vtiq; ex capite, vel deuotione loquor, ſed ſicut dominus loquutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius daturũ ſe nobis.* Sicut ſcriptum eſt *(inquit)* in Eſaia propheta. *Non hominis teſtimonium adduco, non annales Romanorum recolo, nõ ex commentarijs Iulij Cæſaris probo, ſed ipſo Deo teſte, ipſo æmulatore*
Eſa. 42. *ſui honoris, & gloriam meam, inquit, alteri non dabo. Ipſum deniq; per prophetas ſuos loquentem teſtem adduco, quòd iſte Chriſtus ipſe eſt Meſſias, ipſe Deus, ipſe homo, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta. Sed iam ad perſcrutanda ſingula huius beati Marci thematis veniamus:* Initium *inquit, ſic exorſus Moyſes mundi creationem: In principio, ait, creauit Deus cælum & terrã.* Initium *etiam inquit Marcus,* Euangelij Ieſu Christi filij Dei. *Longe tamen excelſius eo. Ille namq; terrena omnia queadmodum creata ſunt per verbum commemorat, iſte vero quemadmodũ verbum per quod illa facta ſunt omnia, propter nos homines factũ eſt*

eſt homo. Ille terram ſuo loco conſtituit, cœloſq; ſuperius ponit, aquas ſuo alueo recludit, vniuerſam terram prorſus germinantem deſcribit, aquaſq; fœcundas: Iſte vero non cœlum ſtabile facit & terram, ſed Deo inſeparabilem prædicat humanam carnem. aquas non diuidit ab aquis iſte, ſed filios Dei à filijs diaboli per baptiſmi aquas ſeparat: non germinantem terram & aquas fœcundas nobis proponit, ſed verbum Dei germinans omnem ſalutem, fœcundans ſacramenta, ſaluans mundum, redimens genus humanum, initio ſui ſacri eloquij commemorat, & ſalutis initium palàm oſtendit, quod precioſius eſt omnibus quæ in mundo ſunt, vel habentur, vel expetuntur. Procul dubio initiū hoc, Moyſi principio valde præſtātius eſt! Nec prætereundū cenſeo, quēadmodum & nos initiamur Chriſto per baptiſmum, ſic debeare eodem fine concludi: quemadmodum & beatus Marcus, initium huius boni nuntij Ieſu Chriſti filij Dei, ad debitum tandem deduxit finem, dicens: & dominus quidem Ieſus poſtquàm loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Initium igitur vitæ ſpiritualis facientes non deficiamus, tempore enim ſuo, metemus. Deniq; proficientes de virtute in virtutem, videbimus Deum: deficiunt namq; qui bona incipiunt, ſed non perſequuntur, prout fuerunt illi Capharnaitæ, qui audientes dominum de ſui corporis cibo & ſui ſanguinis potu differentem abierunt retrorſum. è contra vero Petrus beatus domino interroganti duodecim: nunquid & vos vultis abire? pro omnibus reſpondit, domine quo ibimus a te, verba vitæ æternæ habes. Sic Eſaias inquit, dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem nō Eſa. 50. contradico, retrorſum nō abij. Initium (inquit) Euangelij, εὐαγγέλιον græcè bonum nuntium interpretatur. Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei. Quid enim maius dici poteſt quàm initium huius boni nuntij? & quæ maior, lætiorq; mundo venire potuit nuntiatio, quàm quòd Deus homo factus, viſitauit nos oriēs ex alto? Nota autem quemadmodum totius Euangelij ſummam in

ſuo exordio beatus Marcus proponit, nihil profectò aliud in Euangelio agitur, quàm de Deo homine facto, qui ſimul Deus & homo, Rex & Meßias, iuxta promiſſa legis & oracula prophetarum, ipſe eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. perinde profectò eſt ac ſi diceret, Incipit bona enuntiatio aduentus in carne à lege & prophetis promiſsi filij Dei, cuius nomen eſt ſaluator, Rex, vnctus, Meſsiasq́ in lege promiſſus. Quod quidem quatuor infallibilibus teſtimonijs in hoc primo ſuo cap. magnifice cõprobat ſanctus Euangeliſta, videlicet prædicatione Ioan. Baptiſtæ, patris æterni teſtimonio, vocatione potenti, qua vocauit apoſtolos, multitudine & inaudita miraculorũ operatione. Propterea cum dixiſſet: Initium Euãgelij Ieſu Chriſti filij Dei, *continuò adiecit,* ſicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã ante te. Vox clamãtis in deſerto, parate viam domini, rectas facite ſemitas eius. *Aduertendum eſt, primam huius adductæ autoritatis ſententiam prophetæ eſſe Malachiæ, cap. iij. Ecce mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Vox clamantis eſt Eſa. cap. 40. Cum autem prima ſpondeat præcurſoris aduentum, ſecunda prædicationem, ex duabus vnam fecit beatus Marcus, nominans tantum Eſaiam, qui non iam venturum Ioannem, ſed veniſſe, & in ætate virili prædicantẽ prænuntiat. Cum igitur infallibile ſit teſtimonium aduentus filij Dei in carne, prænuntiatio Ioannis baptiſtæ, ſecundùm vaticinia prophetarum, Zachariæ etiam patris ipſius Ioannis dicentis: Et tu puer propheta altiſsimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini, parate vias eius. Ipſius Ioannis officium beatus Euangeliſta inducit dicens:* fuit in deſerto Ioannes baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſsionem peccatorum. *Ecce quàm infallibili teſtimonio, corroborat ſanctus Euangeliſta Marcus propoſitum ſuum: Certum enim eſt nullum vnquam prophetarum aquis abluiſſe populũ: aquis inquam fluuialibus: Sanguine*

namq;

namq́ legimus Moyſen etiam in figura Chriſti cum aqua ſimul & lana coccinea & hyſſopo aſperſiſſe populum dicens: Hic ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos Deus, Exo. xxiiij. De baptiſmo porrò aquæ dicitur Eſa.55. Omnes ſitientes venite ad aquas. & idem cap.xij. Haurietis aquas in gaudio, de fontibus ſaluatoris, non vtiq; de fontibus Moyſi, atqui de fontibus inquam, ſaluatoris. Ad Meſsiam vtiq; & ad eius aduentum ſacroſanctum ſpectabat ablutio aquis celebranda, ideò de Ioanne dicitur, non quòd ablueret & tolleret peccata per aquã, ſed tantummodo abluebat exterius, & prædicabat baptiſmum non aquæ, ſed pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, aſſuefaciens populum ad aquarum ablutionem, & inuitans ad pœnitentiam peragendam. Quoniam prorſus ad Meſsiam ſpectabat per aquam remiſsionem peccatorum perfici, ſicut ſcriptum eſt: pſal.73. Contribulaſti capita draconum in aquis, tu confregiſti capita draconis. hoc eſt caput diaboli, quod eſt originale peccatũ in aquis cõminuiſti, in ſancto nempe baptiſmo. Certiſsimũ ſanè teſtimonium aduentus Meſsiæ fuit præcurſor ipſe Ioannes, abluens aqua populum exterius: monensq; omnes ad peragendam pœnitentiam in remiſsionem peccatorum. Cùm enim dixiſſet, ſpiritu ſancto afflatus, pater eius Zacharias, Tu puer propheta altiſsimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius: continuò adiecit: ad dandam ſcientiam ſalutis, hoc eſt notitiam, & certum faciendum aduentum Meſsiæ: plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorum. Quemadmodum enim præcedit aurora ſtella ſolem, ſic opportuit aduentum domini, ne inſperatũ homines non agnoſcerẽt, à Ioanne præcurſore præcedi. Vnde ſequitur in Euangelio: Et egrediebatur ad eum omnis Iudeæ regio & Hieroſolimitæ vniuerſi, & baptizabãtur ab eo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua. *hoc eſt, dicentes ſe peccatores eſſe, & peruerſe vixiſſe, velle autem nunc & deſiderare remiſsionem peccatorum, & vitæ mutationem, hoc quippe ferme*

 omnium

omnium eſt peccantium deſiderium voce tenus pronuntiatum, pauci vero ſunt qui hoc toto corde optent, pauciſsimi qui neruis omnibus ſatagent: Quēadmodum qui graui morbo laborant, ſalutem optant, medicum requirunt: ſi tamen grauia iubentur, triſtantur, maximiſq́; ſuorum precibus & gemitu iniunctis parent, dummodo leuia ſint que à medico præcipiuntur. Quòd ſi contingat exuſtionem, ſiue membri abſciſsionem præcipi, renuunt. Sic peccatores videas leuia quæq́; ſuſcipere antidota, prout eſt orare, eccleſiam adire, ſacris adeſſe, verbum Dei audire: porrò ſi præcipias reſtituere caſtrum, pecuniam, villam, eijcere malè retentam mulierculam, renuunt, & ſi ſpondent non tamen faciunt. Sic vtiq́; plurimi horum qui veniebant ab baptiſmū Ioannis, & ſe peccatores eſſe proteſtabantur, quos etiam ille aqua abluebat, à grauiſsimis quibus opus erat abſtinere peccatis, & prauā veteremq́; conſuetudinem ſuccindere, non ſuccindebant, prout ipſa verba Ioannis à beato Matthæo cap. iij. relata, aperte oſtendunt: dicebat enim turbis: Progenies viperarum quis demonſtrabit vos fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitētiæ, & ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Profecto in his verbis apertè oſtendit beatus baptiſta Ioannes plurimos ex his, qui ad eum confluebant nō recto accedere corde, ſed velle & illa aqua ablui qua ab illo tingebantur: non prorſus vitam mutare, quod proprium eſt hominis verè pœnitentis, & ſignum manifeſtum pœnitentiam agentis. Quoniam vero hoc vnum eſt ex præcipuis aduentus Chriſti, teſtimonium, hominum videlicet per aquam ablutio, Euangeliſta ſacer id adduxit ad ſui thematis confirmationē qua dixerat, Initium Euāgelij Ieſu Chriſti filij Dei, *deinde ad præcurſoris inculpabilem, & penè angelicam vitam accedit, dicens:* Et erat Ioannes veſtitus pilis Cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: & locuſtas & mel ſylueſtre edebat. *Omni tempore cilicio beatus Ioannes amiciebatur, hoc enim oſtendit veſtis de pilis nō de pellibus camelorū*

con-

contexta: Heliæ officium zona oſtẽdit pellicea. Sic profectò legimus 4. Reg. 1. cum Ochozias nuntios miſiſſet ad idolum Accaron conſulendum, vtrum viuere poſſet à ruina, cum per cancellos domus ſuæ cecidiſſet. Occurrit illis Helias & præcepit vt reuerterentur, malum illi nuntium portantes eo quòd ad idolum conſulendum, ſeruos miſiſſet: quæſiuit rex, cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis? aiunt, vir piloſus & zona pellicea accinctus renibus: qui ait, Helias Theſbites eſt. Vere igitur dicere poſſumus virum indutum veſtem pilis camelorum contextam, & zona pellicea præcinctum, cuius eſca mel ſyluestre & locuſtæ ſunt, qui tingit aquis populos, & vt pœnitentiã agant adhortatur, hunc præcurſorem domini eſſe, hunc eſſe de quo ſcriptũ eſt: Ecce ego mitto angelum meum & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis, Malachiæ. iij. Qualis debeat eſſe qui euangelizat verbum Dei, cibo & veſte Ioannis oſtenditur: cuius enim vita deſpicitur, eius verba vt pro nihilo habeantur conſequẽs eſt. Idcirco cum beatus Euangeliſta nobis actus Ioannis, ad oſtẽdendum illum verum præcurſorem domini eſſe, propoſuiſſet, protinus eius prædicationem, quam ex vaticinio Eſaiæ. 40. induxerat, proſequitur inquiens: Et prædicabat dicens: Venit fortior me poſt me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calciamentorum. Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos ſpiritu ſancto. *Dominus vtiq; fortis & potens, dominus potens in prælio. Aduertendum eſt quemadmodum conſonant ſpiritus ſancti verba quæ per os prophetarum dixerat Dauid, cum quæreret: quis eſt iſte rex gloriæ? pſal. 23. à fortitudine cœpit oſtendere gloriam eius: dominus, ait, fortis & potens. quæ verba nunc per os Ioannis pronuntiat dicens:* Venit fortior me poſt me. *Poterat certe dicere: venit ſanctior poſt me, venit dignior poſt me, & alia quamplurima: & cũ Ioannes homo abſq; potentia eſſet debilis, frugaliſſimi victus, aſperrimi*

indumenti, nihilominus de fortitudine agit, & fortitudini, fortitudinem comparat dicens: Venit fortior poſt me. *Dominus inquit, fortis & potens, vt nouerint vtiq; Iudæi, non in potentia temporalis exercitus venturum Meſsiam, ſed in fortitudine prodigiorum & virtutis, ad expoliandam dæmonis tyrannidem, ad mundi & carnis potentiam deſtruendam, virtute non gladio, pace non armis, humilitate non ſuperbia, quandoq; obedientia non curribus & equis: bellum erat gerendum, & parta victoria triumphandum. Vnde & de eius diſcipulis prophetatum eſt: hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus: ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus, pſal. 19. Fortior Ioanne igitur Chriſtus dominus, qui ſpolia fortis, & vaſa in quibus cõfidebãt eripuit, & nos liberauit à peccatorum morte, & dæmonis vinculis: huius inquit præcurſor,* non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamẽtorum eius. *Non enim aliud arbitror voluiſſe dicere, quàm nõ ſum dignus genu flexo & procũbens eius tangere calceamẽti fibulã. Hoc animaduertenter dixi, quoniã non deſunt voluiſſe dicere Ioannem, non ſe eſſe dignum ſoluere, hoc eſt prædicare, et enarrare & explanare quemadmodum humanitas domini ſit à diuinitate aſſumpta, & illud admirabile ſacramentũ verbis explicare. Verum vtiq́ eſt quod ais ô beate Ioannes, tantæ enim dignitatis eſt caro illa vnita verbo, vt nec tu qui leui famine vnquam vitam maculaſti, ſis dignus tangere dominicos pedes. Caueant qui irreuerenter accedunt ad domini menſam, & ad tangenda eius ſacratiſsimi corporis & ſanguinis myſteria: & conſiderent quanta cum reuerentia, quantoq́ cum tremore tangendũ ſit ac ſumendum corpus domini, cum Ioannes in vtero ſanctificatus, cuius eſca mel ſylueſtre & locuſtæ, potus aqua, veſtis pili camelorũ, non ſe reputet dignũ tangere corrigiam calceamentorũ eius. Non ſilentio prætereundã exiſtimo aliquorũ ſententiã, qui ex hoc loco aſtruere volunt, dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ calceos*

ceos portaſſe, & non nudis pedibus inceſſiſſe: quod & ſi dominus cum ſit Deus, quidquid vellet facere illud iuſtiſsimũ & ſanctiſsimum eſſet, arbitror nẽpe omnia opera pœnalia pro noſtra voluiſſe ſalute exercere, illa quippe quorũ obſeruantia honeſtiſsima foret. Quod autem dicit beatus Ioannes, non nudis plantis ambulaſſe dominum negat, atqui cum calceamenta & eorum corrigia ſit pedum hominis pars vltima, & quæ minus præſe fert dignitatis, ad oſtendendum ſe indigniſsimũ eſſe qui dominum tangeret, & eiuſdem domini dignitatem perquàm maximã, hanc ſumpſit ſimilitudinem, quæ in vſu, & nunc apud nos eſt in prouerbio, cum alicuius vel celſitudinẽ, vel virtutem volumus oſtendere, ijs vtimur verbis: non ſum ego profectò dignus eius calceamẽta ſoluere, vel terrã quã eius pes calcat oſculari. Alioquin quomodo poterat Maria magdalena Luc. 7. quando conuerſa eſt, retro accedẽs lachrymis rigare pedes eius, capillis tergere, vnguẽto vngere? oportuerat prius extrahere ſandalia. Et rurſus prout habetur Ioã. 12. in illa cœna quæ facta eſt dño Bethaniæ in domo Simonis qui fuerat leproſus, Maria eadẽ quomodo poterat vngere vnguẽto domini pedes? Maria ergo inquit beatus Ioãnes, accepit librã vnguẽti nardi piſtici precioſi, & vnxit pedes Ieſu: & exterſit pedes eius capillis ſuis. niſi forte velint dominũ ſandalia portaſſe, et in introitu domus illa extraxiſſe. Magis profectò conſonũ euãgelio eſt dñm nudis pedibus deambulaſſe, quod quantũ doloris attulerit teneris domini pedibus, vnuſquiſq; ſi calceos extrahat & nudis plantis ambulet, ſentiet. Sed qui venerat in cruce pro nobis mori, non mirum quòd viuens nudis plantis, quærens ouem perditam genus vtiq; humanum, ambulaſſet. Subſiſtit beatus Ioannes in ſe, addẽs & dicens & explanans ſui baptiſmatis virtutem: Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos ſpiritu ſancto. *Aqua mea aqua tantummodo eſt, non ego poſſum illi præſtare ſpiritus ſancti virtutem: hoc ſolum illius eſt qui cum ſpiritu ſancto & patre vnus eſt Deus: aqua mea, aqua elementalis eſt, non habet admixtam dei-*

deitatis virtutem, neq; peccatorum remiſſionem, præparatoria eſt, non præſtans gratiam, præcurſoris aqua eſt, quippe vt aſſueſcant homines aqua ablui, vt aduentum Meſſiæ, qui abluturus eſt genus humanũ & aqua & ſpiritu ſancto purificaturus, iam aduenisse præoſtendat. Non ego peccata remitto, ſed pœnitentiam prædico, ſed Meſſiam oſtendo, ſed eius ablutionem futuram præcurro, ſed per eius baptiſmum peccata eſſe delenda, & Spiritum ſanctum infundendum proclamo: non me exiſtimetis dominum ſed ſeruum, non ex antiquis prophetam, ſed præſentẽ nuntium & prophetam ad oſtenſionem eius in Iſrael: ego veni in aqua baptizans, ille baptizabit vos in ſpiritu ſancto, quo habet poteſtatẽ non limitibus circũſeptam, ſed omnimodã: quippe qui Deus eſt, qui ſolus poteſt remittere peccata, ſolus præſtare gratiam, ſolum ſpiritum ſanctum donare. O mira veritatis virtus! humilitas enim veritas eſt. Non poſſumus tam minima & inutilia de nobis cogitare, quin vera ſentiamus, quòd ſi aliquantiſper extollimur veritas in nobis non eſt. Ioannes tanti ſacerdotis filius, expectatæ virtutis, ſtrenuæ vitæ; fatetur de ſe quod eſt, fatetur vtiq; humiliter ſuam impotentiã: non extollitur, non præſumit, neq; ſublimia virtutis, nec parentũ nobilitate ſiue opulentia eleuatur, at vero humiliter & verè de ſe ſentit, idq; populo prædicat: Ego baptizaui vos aqua, ille autem baptizabit vos ſpiritu ſancto. *Qui igitur baptiſmũ Chriſti domini ſuſcepimus, templum facti ſpiritus ſancti, ſtudeamus nullum alium hoſpitem in noſtri cordis hoſpitio admittere, nullo alio indumento tegi. audiamus beatum apoſtolum Paulum clamantem: An neſcitis quia membra veſtra tẽplum ſunt ſpiritus ſancti? Et alibi: Quicunq; baptizati eſtis in Chriſto, Chriſtum induiſtis. Cui cum Patre & eodem ſancto ſpiritu eſt honor gloria & imperium in æternum. Amen.*

1. Corinth. 6. Ad gal. 6

Tra-

Tractatus.II. in primum cap. beati Marci.

S*Ecunda ratio qua nititur beatus Marcus oſtendere ſuum thema, quod eſt Chriſtum dominum eſſe Dei filium naturalem, dicens,* Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei *ex patris teſtimonio cõprobatur. Sequitur enim poſt prædicta in textu:* Et factum eſt in diebus illis venit Ieſus á Nazareth Galilęæ: & baptizatus eſt a Ioanne in Iordane, & ſtatim aſcendens de aqua vidit cœlos apertos & ſpiritum ſanctum tanquam columbam deſcendentem & manentem in ipſo: & vox facta eſt de cœlis, tu es filius meus dilectus, in te complacui. *Domini humilitas perquam maxime cõmendatur, qui voluit tingi aquis à Ioanne, cum ipſe eſſet ſanctificator aquarũ & omnis creaturæ. obſtupuit Ioannes, & quẽadmodũ ſcribit beatus Matthæus, prohibebat eum dicens, ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me! Nihil voluit dominus prætermittere, eorum quæ vel in lege præcepta erant, vel quæ nunc beatus Ioannes ſpiritũ ſancto afflante faciebat, circunciditur, præſentatur in templo, & nunc baptizatur, & continuo ſeceſſit in deſertum: non vtiq; pro ſuis qui peccatũ non fecit, ſed pro noſtris criminibus pœnitentiã acturus. Non poſſunt negare Iudæi dominum noſtrum eſſe verè ex Iſrael ſecundũ carnem, vereq; de tribu Iuda ſaluatorem, quem Deus à tot ſeculis ænigmatibus & oraculis, quinimò & à principio ſeculi ex Abrahæ ſemine venturum promiſit. Hæc ſi paulò altius conſideremus, omnia pro nobis geſta perſpicuè intuebimur, cum ſiquidem dominus nobis natus ſit, noſtris etiam cõmodis tota eius vita inſeruiebat. Sic profecto vaticinatus eſt ipſius Ioannis pater Zacharias dicens, in ortu præcurſoris: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis. vt quid vtiq; Zacharia, ſuis ne forte id facit intentus cõmodis an noſtris? vt ſine timore, inquit, de manu inimicorũ noſtrorũ liberati, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris. Noſtris igitur conſuli-*

ſulitur vtilitatibus, noſtris cõmodis vniuerſa eius actio impenditur, noſtris vniuerſa eius vita & mors datur profectibus. O Ieſu bone, ô agnus innocens, tu qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, baptizaris à Ioanne, vt nos doceas non negligere aquis colla ſubmittere! & qui creaturas diligẽdo à te ſeparamur, obedientia & humilitate ad te per ipſas quas elegiſti creaturas reducamur, & legem tuam examuſſim obſeruemus: cum te qui legis lator es videamus legem adimplere, ſapientiſſimo Dei conſilio actum eſt, omnia ſacramenta quibus in ſuã reducimur gratiã ſub ſenſibilibus rebus inſtitui, vt dum ſuperbia hominis his collum ſubmittit, veniam & gratiam conſequatur. Humilitatis proinde magiſtri, qui venit miniſtrare & non miniſtrari, & dare animã ſuam in redemptionem pro multis, humiliſſimus ad Ioannis baptiſmum deuenit, & ab eo aquis tinctus eſt. Porrò quando aquas ſuo ſacratiſſimo corpore, in ora fluminis Iordanis ingreſſus tetigit, ipſam aquam ſanctificauit tactu ſuæ mũdiſſimæ carnis. aquam proinde ipſam inſtituit vnicam noſtræ emundationis materiam, vt nullũ aliud elementum, nullaq; alia creatura poſſit noſtræ regenerationis, & primæ ſanctificationis apud Deũ exiſtere vera materia. Mira pietas, miraq; ſaluatoris noſtri Dei ſapientia. Quẽadmodum enim nulla eſt materia alia ad corporis abluendas ſordes: ſic voluit aquam eſſe noſtræ animæ macularũ ablutionis materiã. Mira etiam & ineffabili ac pietiſſima ſapiẽtia ordinauit, illud eſſe noſtræ expiationis elemẽtũ, quod præ manibus vbiq; habemus præſens, ne forte difficultate exquirẽdæ materiæ, vel ipſi recentes paruuli aliquando regeneratione priuarentur. Ecce ſalutis auctor, ecce facilitas veniæ conſequẽdæ, qui crediderit (formata animaduerte fide) & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Vbiq; cor tuũ geſtas ô homo ad credendũ, corde enĩ creditur, inquit Paulus, ad iuſtitiã: vbiq; fluit aqua vt poſſis in Chriſto regeneratus veniã conſequi delictorũ. Legimus in actibus apoſtolorũ cap. 8. De Eunucho Reginæ

*næ Candaciæ,qui venerat adorare in Hieruſalem,cum illi fidem annuntiaret Philippus,& veniſſent ad quãdam aquam,dicit illi Eunuchus:ecce aqua,quis prohibet me baptizari? cui Philippus, ſi credis ex toto corde,licet.Deſcenderũt vterq́ è curru quo vehebantur,& baptizatus eſt.Non illis opus fuit balſamum,non vinum aliquod odoriferum electumuè requirere,non aquam ex floribus ſuauiſsimis deſtillatam:omni enim in loco eſt aqua naturalis à Chriſto domino in materiã noſtræ expiationis conſtituta,quando tactu ſuæ puriſsimæ carnis illam ſanctificauit.Non ergo ocioſus ille actus baptiſmi ſaluatoris,aut inutilis fuit,quinimò & vtiliſsimus nobis,quibus tota eius vita impenſa eſt ad ſalutem,qui poſt huius aquæ tactum,in ſuæ prædicationis exordio Nicodæmo de ſalute quærenti dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto,non poteſt introire in regnũ Dei. Et in fine ſuæ in terris cõuerſationis,iam cœlum aſcenſurus diſcipulis ſuis mandauit: Ite docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.Itaq; in initio ſuæ oſtenſionis mundo materiam lauacri regenerationis inſtituit, & in fine iam receſſurus,formam qua purificemur benignus tradidit,quo fit vt etiã in ipſo initio (prout ſacra nobis lectio exponit)pater & filius & ſpiritus ſanctus noſtræ regenerationis præbeant teſtimonium:cum ſiquidem in nomine huius ſuperbenedictiſsimæ trinitatis regeneremur in ſacro baptiſmo.Ecce adeſt filius incarnatus,qui & aquas tangit,& aquis perfunditur à Ioanne.Ecce adeſt vox patris:*Tu es filius meus dilectus,in te complacui:*Ecce adeſt ſpiritus ſanctus,*Et vidit, *inquam,* ſpiritum ſanctum tanquam Columbam deſcendentẽ,& manentem in ipſo.*Quod pater dicit* in te complacui,*vnã totius ſuperbenedictiſsimæ trinitatis oſtendit gloriã,vnamq́ ſubſtantiã, quoniam vna eſt complacentia cũ pater complacet in filio,& filius ſimiliter in patre.ſicut alibi dixit:Et nemo nouit filium niſi pater, nec patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.*

Deum

Deum, inquit alibi Ioannes Baptiſta Ioannis. 1. nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris: ipſe enarrauit. Vna igitur gloria, vna complacentia patris in filio & filij in patre, vnica voluntas, vna eſſentia, tres perſonæ. In te complacui *inquit, tantũ abeſt vt ſicut cæteri qui baptizantur baptizeris: illi vt pœnitentiam agant, tu vt pœnitentibus veniam præbeas. illi peccatores, tu aquarum & hominum ſanctificator: aquarum inquam vt aptæ ſint ad inquinamenta animarum abluenda, hominum vt remiſsionem cunctorum per baptiſmũ percipiant peccatorum. In te igitur complacui, qui mecum vna ſubſtantia: in perſona autem vnigenitus es filius: in cuius teſtimonium vidit Ioannes ſpiritum ſanctum deſcendentem & manentem in ipſo ſicut columbam. Columba enim innocentiam indicat, ſpiritus ſanctus manens non tranſiens, non recedens, perpetuitatem euangelicæ legis à Chriſto domino tradendæ demonſtrat. Dicit enim Ioan. xiiij. diſcipulis, iam paſsioni proximus, oſtendens præſentiam ſpiritus ſancti in eccleſia ſponſa ſua perpetuò futuram: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis. Ioannes igitur vidit ſpiritum ſanctum manentem in Chriſto, & Chriſtus dominus promittit ſpiritum ſanctum permanſurum in eccleſia, vt agnoſcamus ipſum verum in lege promiſſum Meſsiam, cui ſpiritus ſanctus, cum quo vna eſt ſubſtantia & ſi diſtinctus perſona: manet in ſua benedictiſsima anima. Lex vero ab ipſo tradita manet in eccleſia ſua perpetuò duratura. Columbam vero intellige ſignum eſſe aſsiſtentis in Chriſto & in eccleſia ſpiritus ſancti: non autem ipſam eſſe à ſpiritu ſancto aſſumptam, ac ſi ipſa dicatur ſpiritus ſanctus. Quemadmodum linguæ igneæ quæ apparuerunt in die Pentecoſtes apoſtolis & domini diſcipulis, ſignum erant aduenîſſe ſpiritum ſanctum nouo quodã modo ſuper illos: non autẽ ſpiritum ſanctum linguas illas igneas aſſumpſiſſe. Quẽadmodum dicimus diuinũ verbũ aſſumpſiſſe carnẽ, ſecundũ*

effectus

effectus quos voluit ſpiritus ſanctus ſignificare, ſigna exteriora ſe adueniente oſtendit, ſuper Chriſtum dominum in columbæ ſpecie denotans innocentiam illius, & baptizandorum puritatē & eccleſiæ perpetuitatem. ſuper apoſtolos in igne, qui charitate accenſi lumen veniſſe mundo erant annuntiaturi, & tanquam ignis cuius velociſſimus eſt curſus præcæteris elementis, totum orbem peragraturi, in figura linguæ ignis apparet, quoniam ſua prædicatione crediturus erat orbis. Quomodo enim audient ſine prædicāte? inquit beatus apoſtolus Paulus. Infallibile ergo teſtimoniū reddit noſter Euangeliſta de Chriſto, cuius diuinitatis teſtimonium perhibent pater & ſpiritus ſanctus: in ore autē duorum vel trium ſtat omne verbum. Et ſtatim *inquit Euangeliſta,* Spiritus expulit eum in deſertum; & erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à ſatana: eratque cum beſtijs, & angeli miniſtrabant ei. *Quoniam quidē beatus Matthæus cap. iiij. has domini tentationes in deſerto ſatis ſuperq; deſcripſit, ſpiritus ſanctus per os beati Marci ſuccinctè illas nobis tradidit: de quibus ſatis diximus in cōmentario noſtro ſuper Matthæum eodem capit. propterea nunc de his paucis agemus. De ſpiritu qui dominum expulit in deſertum, intelligendum eſt de eo qui apparuit & manſit ſuper eum. Quoniam continuò poſt patris teſtimonium ſequitur:* Et expulit eum ſpiritus in deſertum. *Quod Lucas capit. iiij. oſtendit cum ait: Ieſus autem plenus ſpiritu ſancto egreſſus eſt à Iordane, & agebatur in ſpiritu in deſertū. Hanc domini tentationem in deſerto non vnam nouimus, ſed tres ſcribuntur à Matthæo & Luca: in quibus ſecundum beatum apoſtolum Paulum (omnis generis tentationum noſtrarum carnis illecebra, tanquam viliſſima excepta) tentatus eſt dominus. Non enim habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato Hæb. iiij. Super quem locum beatus Thomas inquit: in illis tribus tentationibus omnem tentationem includit.*

Cupiebat

Cupiebat enim magnopere ſatanas inueſtigare vtrum dominus eſſet verus deus, an homo purus, & ſi ſanctiſſimus: & totis illis diebus quadraginta tẽtabatur: hoc eſt à dæmone moleſtabatur cõuerſatione & locutione, multis illum verbis aggrediens ad indagandam de eius perſona veritatem. Illæ verò tres vltimæ tentationes, quæ à beato Matthæo & Luca ponũtur fuerunt vltimæ: tanquam qui iam explorare per tot dies non poterat eius diuinitatem, videns eſuriem, tentauit de gula & miraculum faciendo, è pinnaculò oſtẽtationis gratia vel occidere, vel ex deſcenſu aliquid explorare concupiuit. In tertia iam ſe quis eſſet oſtendens, tanquã faſtidio affectus, qui per tot dies non poterat diuinare an homo purus eſſet, vel deus: omnia mundi regna & gloriam falſo promiſit. Angelos miniſtraſſe domino Euangeliſta noſter ait, conſumata omni tentatione intelligẽdum eſt, inquit beatus Matthæus narrata vltima tentatione. Et ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabãt ei. Neq; enim prius egebat dominus miniſterio angelorum niſi quandò eſuriens cibos illi angeli attulerunt, hoc enimuero dicitur miniſtrare, prout Lucæ 10. Marta autem ſatagebat circa frequẽs miniſterium, quæ ait: domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Attendendum eſt igitur, qui ſanctum baptiſmum ſuſcepimus non ſegnes fieri, ſed cõtinuo exerceri: & in deſerto cordis ieiunos ab omni cupiditate permanere. Dæmon enim nõ parcit vlli quin laqueos tẽdat, tentationes immittat, non dormit, non aliquid aliud negociatur, præter noſtram ſi poſſit damnationem. Ideo dominus voluit tentari pro nobis, quemadmodum pro nobis baptizatur à Ioanne. Scientes igitur ſi cum eius gratia & victoria bene dimicauerimus, & tanquam milites Chriſtiani ſtrenue à nobis tentationes repulerimus, certum habere miniſterium & conſortium Angelorum, qui ſemper vident faciem Patris, cui cum filio & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS. III.
In cap. I. beati Marci.

ADhuc tamen aliquid dicendum eſt de ſecundo teſtimonio, reddito in baptiſmo domini voce æterni patris, quandoquidem aquarum lauacrum Meſsiæ aduentum in ſcripturis futurum prophetæ cecinerunt. Inſuper per eaſdem ſcripturas notum ſit, Deum noſtrum nuſquam aliquē volentē ſibi æquiparari diſsimulationē prateriſſe, quin potius ipſum vſq; ad ima deieciſſe, valde namq; ſui honoris zelotes eſt Deus. Quare certiſsimum eſt ſi Iudæorum pertinatia, qua negant Chriſtum dominum deum eſſe & Meſsiam, vera eſſet: ipſos Iudæos non vtique flagellari & ad nihilum redigi, prout factum eſt, Chriſtum occidendo: verum etiam maximo honore coronari, maximiſq; bonis augeri, dignos eſſe. Quoniam qui ſe falſo, ſecundum eorum falſiſsimam ſententiā, Deum faciebat, cruci & morti addixerunt. Secus porrò euenit, nam ipſi miſeri Iudæi ciuitate temploq; diruptis, occiſi & diſperſi ſunt, & prout ipſimet teſtes, vſq; in hodiernū diem perſeuerant profugi, & vagi in contemptum omnibus nationibus traditi ſunt. Quòd ſi ſine obduratione animi hæc ſecum vellent perpendere, agnoſcerent equidem Chriſtum dominum noſtrum vere eſſe filiū Dei, verumq; ſibi in lege promiſſum eſſe Meſsiam, quo in tempore beatus Baptiſta Ioannes eius præcurſor nouum, & ſi antiquum oraculum cœpit tentare, dum aquis abluit omnē populū & in peccatorum remiſsionem pœnitentiam prædicauit. Legimus enim in principio creationis mundi ſpiritum ſanctum ſuper aquas ferri: Et ſpiritus domini, inquit ſcriptura, ferabatur ſuper aquas. non dixit ſuper ſolem, non ſuper ſtellas, nō ſuper terram, non ſuper aëra, ſed ſuper aquas: quoniam futurum erat in aduentu domini ſanctum baptiſmi lauacrum in aquis inſtituendum, quod nemo vſq; ad aduentum Chriſti auſus eſt tentare, ſoli aduentui Meſsiæ hoc reſeruatum eſt, de quo vt prædiximus

ſuperiori tractatu prophetatum erat per Eſaiam: Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. & iterum: Omnes ſitientes venite ad aquas. & Dauid: Vox domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas, pſal. 28. Has aquas alibi reficientes animas vocat: dicit enim pſal. 22. Super aquam refectionis educauit me. Vnde & Eſa. 33. aquæ eius fideles ſint. De quibus Zacharias xiij. ait, In die illa, quãdo ſcilicet venerit Meſſias, in die illa erit fons patẽs domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris. & paulò inferius: Et erit cum prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, non viues quia mendacium loquutus es in nomine domini: & configent eum pater eius & mater eius, genitores eius cum prophetauerit. Moyſes ſcilicet & prophetæ, qui ſunt Iudæorum patres, & mater eorum lex, quæ nutriuit illos: quoniam adueniente fonte baptiſmatis, iam non eſt alius expectandus Meſſias. Quare proſequitur in eadem ſententia propheta, & dicit: Et erit in die illa, confundentur prophetæ, vnuſquiſq; ex viſione ſua, cum prophetauerint, nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur. Non poterat clarius baptiſmi ſacramentum pronunciari, tempore aduentus domini celebrandum: quod nec prius nec poſterius alius, aquis in peccatorum ablutionem vſus eſt. Hoc igitur reſeruatum eſt Meſſiæ, ne poſſent Iudæi illum non agnoſcere. alioquin dent nobis aquas? dent nobis fontem peccata diluentem? Coniunxit autem Deus per os Zachariæ prophetæ baptiſmo, etiam prophetiæ finem: lex & prophetæ vſq; ad Ioannem, iam non fuit amplius propheta de Meſſia locutus aliquis. quòd ſi adhuc, quemadmodum perfidi Iudæi expectant, eſſet venturus, quomodo ceſſarent aliqui, ſpiritu prophetico id prædicere? Certe non relinqueret dominus Iudæorum gentem per mille quingentos & ſexaginta quinq; annos, qui vſq; nunc poſt aduentum domini defluxerũt ſine prophetia, ſine templo, ſine ſacerdotio: pater & mater populi

puli huius Moyſes, prophetæ, & lex configunt Iudæorum populum, ſi velit prophetare: quoniam iam eſt fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris. Sed iam ad ſecundum quem tractaturi ſumus neruum, accedamus: quem prædiximus à voce paterna ſumi, qua ait, tu es filius meus dilectus, in te complacuit. *Quod vtiq; niſi eſſet Chriſtus dominus verus Dei filius, non ſic voce patris comprobaretur: quoniam Deus zelotes nimium eſt ſui honoris, nec permittit quempiam velle ſibi comparari, maximè ſi ſcripturis id aſtruere conetur, quemadmodum ſe Deum & Meßiam Chriſtus dominus oſtendit: quinimo omnes quotquot aliquid vſurpare ſibi diuinitatis conati ſunt, in perditionẽ deuenerunt, quẽadmodum & nunc Iudæi, qui venturum expectant neſcio quem Meßiam, & verum dominum occiderũt: quod vtiq; illis retributio eſt præmiorum à Deo rependendũ fuit, niſi Chriſtus dominus eſſet verus Deus, & verus Meßias. Quapropter in direptionem, tanquam maximi Dei hoſtes traditi ſunt, & vſq; in finem mundi perdurabit deſolatio eorum, teſte Daniele propheta cap. 9. Ego, inquit, Eſa. 42. Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. quod idem repetit. 48. Propter me, propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo. Horum teſtis eſt Lucifer, & omnis ſpirituum damnatorum caterua, qui æquales Deo eſſe voluerunt. Aſcendam, ait, ſuper Aquilonem, & ero ſimilis altißimo. & omnes ſimul corruerunt, & vſq; ad ima inferni deſcenderũt: Teſtis eſt Nabuchdonoſor Rex Babylonis, qui prorſus in beſtiam per ſeptẽ annorum ſpacium verſus eſt, prout abundè ex Daniale cap. 4. comprobatur. Legimus enim ſomniũ ſuæ veſaniæ, Nabuchdonoſor ſomniaſſe præſagium, cuius cum interpretationem nullus ex eius ſapientibus, & ariolis poſſet inueſtigare, Daniele accerſito ſic regi interpretatus eſt: Domine mi, ſomniũ his qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit: arborem quã vidiſti*

 ſubli-

ſublimem atq; robuſtam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aſpectus illius in omnẽ terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in eã. ſubter eam habitantes beſtiæ agri, in ramis eius commorantes aues cœli: Tu es Rex, qui magnificatus es & inualuiſti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vſq; ad cælum: & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ. Quod autem vidit rex vigilem & ſanctum deſcendere de cælo, & dicere: Succidite arborem & diſsipate illam, attamen germẽ radicum eius, in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum. Hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſsimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regẽ: Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: ſeptem quoq; tempora, mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit det illud. Quòd autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius. i. arboris, regnum tuum tibi manebit, poſtquã cognoueris poteſtatem eſſe cæleſtem. Quamobrem rex, conſilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Omnia hæc venerunt ſuper Nabuchdonoſor regem. poſt finem mẽſium duodecim in aula Babylonis deambulabat, reſpõditq; rex & ait: Nõne hæc eſt Babylon ciuitas magna quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decòris mei? Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchdonoſor rex: regnum tuum tranſibit à te, et ab hominibus eijcient te, et cum beſtijs et feris erit habitatio tua, fænũ quaſi bos comedes, et ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, et cuicunq; voluerit det illud. Eadẽ hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſor, et ex hominibus abiectus eſt, et fænũ vt bos comedit,

et

& rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli in ſimilitudinem aquilarũ creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auiũ. Igitur poſt finem dierũ, ego Nabuchdonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo benedixi & viuentem in ſempiternũ laudaui & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnuũ eius in generatione & generationẽ. & omnes habitatores terræ apud eum in nihilũ reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, quare feciſti? In ipſo tẽpore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei decoremq́ perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me, & optimates mei & magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificẽtia mea amplior addita eſt mihi. Nũc igitur ego Nabuchdonoſor laudo & magnifico regẽ cœli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradiẽtes in ſuperbia poteſt humiliare. Timor magnus auribus legentium iſta incutitur, cũ ante oculos ſuperborum & ſe Deo volentiũ coæquare proponitur: gloriã ſuã dominus non ſinit violari, quantis igitur præmijs digni erant Iudæi, ſi falſo ſe Deũ Chriſtus dñs prædicaſſet? Cùm igitur vice verſa videamus illos ſic deiectos, punitos contẽptosq́; præcunctis nationibus, quid aliud quã Deicidiũ ſibi imputari, & propter incredulitatẽ vſq; in finẽ mundi puniri, cogitare poſſumus? Verũ vtiq; eſt, queãdmodum & Deus verax eſt, Chriſtũ dñm Dei filiũ eſſe naturalẽ, & proinde Meſsiam in lege promiſſum, & à prophetis prænuntiatũ, omniũ hominũ ſaluatorẽ: quod & pater cœleſtis, voce delapſa ſuper baptizatũ dominũ pronunciauit, dicẽs: Tu es filius meus dilectus, in te cõplacui: quod multis retro ſeculis, Dauid prædixit pſal. 2. dicẽs: Ego autẽ conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Siõ montẽ ſanctũ eius, prædicãs præceptũ eius. Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & poſſeſsionẽ tuã terminos terræ. Hæc cũ

BIBLIOTECA NAZ.

Dauidi coaptari nõ poſſint, ſoli Chriſto domino credimus relata. Non enimuero Dauid, ſuper Siõ rex cõſtitutus eſt: Cæterũ primo, in domo patris ſui per Samuelẽ, Saule adhuc viuente, prout habetur primo Regũ.16. Poſt mortẽ autẽ Saulis in monte Ebrõ, per viros Iuda.2.Regũ.2. Tertio in eodẽ Ebron, per vniuerſum Iſraelẽ.2.Regũ.5. Chriſtus autẽ dñs, aduenieñte ſuper apoſtolos ſpiritu ſancto, in monte Sion vbi eſt ampliſſima domus, in qua vltimã celebrauit cœnã, pedeſq; diſcipulorũ lauit, & ſui ſacratiſſimi corporis, & precioſiſſimi ſanguinis inſtituit ſacrificiũ, cõſtitutus & acclamatus eſt Rex regũ, & dñs dominantiũ, & ab illa die intrepidẽ apoſtoli illũ, Dei filiũ & Meſſiã, omni volenti audire prædicauerunt: tũc datæ ſunt illi gẽtes in hæreditatẽ, & termini terræ in poſſeſſionẽ: quod nunquam contigit Dauidi, ſoli autẽ dño, non credentibus Iudæis, datæ ſunt gẽtes in hæreditatẽ, & in poſſeſſionẽ vniuerſus orbis, iuxta illud, quod ipſe à mortuis reſurgẽs, diſcipulis dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. ſecundũ hominẽ aſſumptũ loquitur, nam ſecundũ diuinitatem, ſemper rex eſt regum, & dñs dominantiũ. Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizãtes eos, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: docentes eos, ſeruare omnia quæcũq; mandaui vobis: & ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſq; ad conſumationẽ ſeculi. Crediderunt igitur gẽtes, & conuerſæ ſunt, & quotidie alijs retrocedẽtibus, alij ſuccedunt, & conuertũtur in oriẽtis partibus Indorũ, & in Inſulis, quæ procul ſunt Braſiliũ, Congũ, Cangoximũ, Aridũ, Iappõnẽ, Mexicũ, Cuzcũ, nouellæ plãtæ Regis noſtri Portugalliæ, & regis Hiſpaniæ cura & ſolicitudine, ſingulis diebus ad dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, operarijs miſſis, ad hoc ſanctiſſimũ opus, tũ fratrũ mendicantiũ, tum præcipue in partibus, quæ ſubditione & imperio Regis noſtri ſunt, induſtria & maximo labore, reformatorum clericorũ ſocietatis Ieſu. miſeris Iudæis tacentibus, & in duritia cordis indignatione Dei iuditij permanẽtibus, Audit totus orbis, credit magna eius pars Euan-

Euangeliſtæ dicēti: Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, *& voci cæleſti acclamanti:* Tu es filius dilectus, in te complacui. *Amen.*

TRACTATVS. IIII.

In cap. I. beati Marci.

P*Otentiam nunc verborū Chriſti domini, interiora ſic penetrantē, vt gladium acutū & pertingentē vſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: proſequitur nunc beatus Marcus, & tanquā tertiam rationē, ſui thematis, mundo magna admiratione dignā, proponit. Ecce igitur, ac ſi diceret, quiſquis velis conſiderare mei thematis veritatē, hoc eſt Ieſum eſſe filiū Dei contēplari, quēadmodū tantā potētiā verborū, nunquā aliquē prophetarū habuiſſe, nec ipſum Moyſen legimus.* Poſtquam autem traditus eſt Ioanes (*inquit*) venit Ieſus in Galilæā prædicās Euangeliū regni *Dei*, & dicēs: *Q*uoniā impletum eſt tempus, & appropinquauit regnū dei: *P*œnitemini & credite Euangelio *Omittuntur hic à beato Marco ea, quæ dn̄s operatus eſt per annū, viuente Ioāne, quæ beatus Euāgeliſta Ioānes proſequutus eſt, in ſui Euangelij exordio. Tradito igitur Ioāne, cuius cauſam beatus Marcus, infra cap. 6. ſatis exponit: lucerna remota, aduenit ſol iuſtitiæ, Chriſtus dn̄s, prædicās in Galilæa Euangelium regni cæleſtis, hoc eſt, regnū vbi Deus regnat, vbi omnes illi obediunt, nullus aberrat à lege, nullus ciuium illius regni, vult aliud quā Dei in omnibus adimpleri voluntatē: Ideo oramus, adueniat regnū tuū. & ſi enim domini eſt terra, & plenitudo eius: cæterū vbi alicuius leges obſeruantur, dicitur regnū eius: Quoniam vero in terra ſunt multi deficiētes à virtute, & Dei præcepta tranſgredientes, ideo ibi regnare dicitur Deus, vbi ab omnibus obeditur. dicebat autē dn̄s:* Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnū *Dei*, *A tempore aduentus Meſsiæ, per prophetas prænuntiato, ſuam dn̄s incipit prædicationē, ne relinqueretur Iudæis non credentibus, ali-*

qua excuſatio. Fuerunt equidem tria de Meſsia prædicta in lege & prophetis: primũ tempus aduentus eius, ne homines poſſent aberrare, vel non credendo vero Meſsiæ, vel aliũ prius, vel poſterius ſuſcipiendo: vnde & dñs Matthæi. 16. & Luc. 12. illis tẽpus ſui aduentus improbat, propterea quod illud attendere nolebant, dicẽs: Facto veſpere dicitis, ſerenũ erit, rubicundũ eſt enim cœlũ: & mane, hodie tẽpeſtas, rutilat enim triſte cœlũ. Faciẽ ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autẽ temporũ non poteſtis ſcire. Hypocritæ, inquit, Luc. faciẽ cœli & terræ noſtis probare, hoc autẽ tempus quomodo nõ probatis? Longe ante conqueſtus eſt Hieremias, de hac tẽporis inconſideratione, dicẽs, cap. 8. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuũ, turtur & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autẽ meus nõ cognouit iudiciũ domini: ſecundum quod prædictũ eſt. Fuere ſigna & prodigia, quæ operaturus erat Chriſtus, quæ euidenter per Eſa. cap. 25. exponũtur: Deus, inquit, ipſe veniet, & ſaluabit nos, tunc aperiẽtur oculi cæcorũ, & aures ſurdorũ patebũt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorũ. & alia quãplura ſigna à prophetis prædicta ſunt. Et obſeruandũ eſt, in his omnibus ſemper dixiſſe prophetas, Meſsiã verum Deũ futurũ, quẽadmodum nũc dicit, Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. quod ſæpe repetit Eſa. cap. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis Deus: conſiliarius, fortis, pater futuri ſæculi: & 54. Redẽptor tuus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur. Quod non latuit Dauidẽ, plurimis in locis vocãs illum dñm ſuũ: Dixit dominus dño meo, ſede a dextris meis. Et, dominus dixit ad me, filius meus es tu. &, ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius. Quod ſpiritus ſanctus per os Eliſabeth ad Mariã protulit, dicẽs: Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? & Zacharias in natiuitate baptiſtæ, ad ipſum Ioannẽ: Præibis enim ante faciem domini, parare vias eius. De ſignis dicebat dominus Ioãnis 15. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Tertium ſignũ nimis

à prophetis decantatum fuit, mors, reſurrectio, aſcenſio domini, & ſpiritus ſancti aduentus: quæ in lege etiã Moyſi præfigurata, & à prophetis & pſalmis ſatis explanata leguntur: vnde & dominus poſt reſurrectionẽ ſuam, prout legitur Luc. 23. dixit diſcipulis ſuis: Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cũ adhuc eſſem vobiſcũ, quoniã neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis & pſalmis de me. De tẽpore igitur aduentus domini, à quo ſe incipit nunc, in exordio ſuæ prædicationis, oſtẽdere verũ in lege promiſſum Meſſiã, tantũ aliquid explanaturi ſumus. Ait ergo: Quoniam impletum eſt tempus & appropinquauit regnum Dei. *De hoc tẽpore, prænũciauit Iacob moriens, geneſis. 49. cũ benediceret filios ſuos, & illis futura in ſpiritu prædiceret, Iudæ, à cuius tribu ortus eſt dñs, benedicens inter cætera ait: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, &c. Manifeſtiſſimũ eſt, in aduentu domini, ceſſaſſe iam per annos qui regnaret in Hieruſalẽ & Iudæa, de tribu ipſius Iuda: cum conſtet Herodẽ Aſcolonitã, qui fuit Idumæus, vocari tunc regẽ: qui vtiq́ & ſi in aliquibus partibus regnabat, accepto ſceptro à Romanis, ipſi Romani erãt veri domini regni Iudæorum, & de illorum manu ſceptrum tenebat Herodes. ſiquidem cum dominus natus eſt, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: & omnis Iudæorum natio ſcripta eſt, & tributum præſtitit Romanis, præſidente in Iudæa pro Octauiano Auguſto, Cerino. quod apud Lucam euidenter confirmatur cap. 23. Cum enim Iudæi acclamantes, dixiſſent aduerſus dominum, cõmouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autẽ audiens Galilæã, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet: & vt cognouit, quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eũ ad Herodẽ. Præerat Galilææ pro Tyberio Cæſare, Herodes alius, dictus Antipas, de quo Luc. cap. 3. inquit, Procurante Pontio Pilato Iudæã, tetrarcha autem*

Ga-

Galilææ Herode, Philippo autē fratre eius tetrarcha Ituraææ et Trachonitidis regionis: & Lyſania Abilinæ tetrarcha. Ecce quomodo luce clarius oſtēditur, regem Iudæorū, eſſe Romanū Imperatorem, & ipſum tetrarchias has, tribubus his prædictis diſtribuiſſe, Herodi videlicet, & Philippo, & Lyſaniæ: qui Herodes; vel Romanorū licentia, vel ſua ambitione, rex dicebatur populus Galilææ, quibus præerat. Non igitur opponendus eſt, tantūmodo peruicatiæ Iudæorū, Idumæus Herodes: quinimo potius illis opponendus eſt Romanorū imperator Octauianus, quo tempore natus eſt dñs, & Tyberius, quo tempore prædicauit, & paſſus eſt, & reſurrexit. Nullum quo ſe tegant, habent perfidi Iudæi velum, neq; ad quā fugiant foueā, firma Dei ſtat ſententia. cū venerit Meſſias, hoc vobis, inquit Iacob filijs futuris, infallibile ſignū, ſceptrū non habebit Iudæa, ſubditione alienigenarū & ſceptro, tributis ſeruientes, miſerā vitā degetis. Balaā nu. 24. inquit, ſumpta parabola ſuper Iſraël, dixit Balaam filius Beor: Homo cuius obturatus eſt oculus dixit, auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinā altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadēs apertos habet oculos: Videbo eum, ſed non modò, intuebor illum ſed non prope, orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq; omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius, & poſt pauca, inquit. Heu quis victurus eſt, quādo iſta faciet Deus? venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; hebræos, & ad extremū etiā ipſi peribūt. Quòd nomine ſtellæ, ortū dñi pronunciat propheta ipſe, quæ duxit ad dñm reges oriētis, manifeſtū huius prophetiæ reddit teſtimoniū. Filij Seth Iudæi ſcilicet, vaſtati ſunt, venerūt principes de Italia, Tytus & Veſpaſianus, & perdiderunt hebræos, & ad extremū ipſi Romani, imperiū perdiderūt: quod autē Idumæa, gentilitas videlicet, futura erat ipſius Meſſiæ poſſeſſio, prænūciauit Dauid pſal, 59. dicēs. In Idumæā extendā calciamentū meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt, quis deducet me in ciuitatem muni-

munitam, quis deducet me vſq; in Idumæam, nõne tu Deus, qui repuliſti nos? Non poterat clarioribus verbis vocationem gentium per Meſſiam futuram, & Iudæorũ ob ſuam pertinatiam, reprobationem prænuntiare. Quòd ſi dixerit impius Iudæus, in inducta de Meſſia prophetia per Balaã, non ſignari tempus, nec in iſta Dauidis: audio certe ſignatos effectus, per Meſſiam faciẽdos, quos cum tu cernis oculis etiã carnis, adimpletos in aduentu Ieſu Chriſti domini noſtri, cognoſce illud in quo ipſe venit, eſſe verum tempus aduentus Meſſiæ. Quando rogo vaſtati ſunt Iudæi per Romanos, nõne poſt aſcenſum domini ad cœlos? quando ipſi Romani ſceptrũ ceſſere, nõne quãdo beatus Petrus Romæ ſummi pontificatus cathedram collocauit? quando credidit Idumæa, nõne quãdo repulſi ſunt Iudæi? Cum igitur cernimus in aduẽtu Chriſti hæc omnia ſigna, quæ de tẽpore Meſſiæ prædicta ſunt à prophetis, clarè & manifeſte oſtenditur, Dominũ verum in lege promiſſum ſaluatorẽ, in vero & proprio aduentus Meſſiæ deſignato tempore veniſſe. Moyſes etiam prout legitur Deut. cap. 18. Prophetã de gẽte tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi dominus Deus tuus, ipſum audies. & poſt pauca repetit, quibus illi verbis dominus hoc prænuntiauit: Prophetã ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorũ, ſimilem tui, & ponã verba mea in ore eius, loqueturq́ ad eos, quæ præcepero illi. Qui autẽ verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtã. Omnes Iudæi, hanc ſententiã fatentur eſſe de Meſſia, non enim aliquis prophetarũ ſicut Moyſes legiſlator fuit. legiſlatorẽ profecto manifeſtiſsime oſtenditur Meſſiã fore, in eo quod dicit, ſimilem tui, hoc eſt dux populi, & legiſlator: ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, legem Euangelicam promulgauit, & omnibus ſaluãdis dedit, quæ iam fuerat a Hieremia prædicta cap. 31. Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouũ, non ſecundũ pactum, quo pepigi cũ patribus veſtris, in die qua apprehendi manũ eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti,

pti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit dominus. Dominatus dicit, quia ſe ſemper vltorẽ exhibuit. Sed hoc eſt pactũ, quod feriã cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit dominus, dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribã eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hanc legẽ nullus alius dedit, niſi ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, prout patet ex toto Euangelio, & in principio ſuæ prædicationis, beatus Matthæus non pauca legis ſtatuta cõmemorat. Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis, non occîdes: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, audiſtis quia dictum eſt antiquis, nõ mæchaberis: ego autẽ dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, ad cõcupiſcendum eam, iam mæchatus eſt in corde ſuo. dictum eſt autẽ, quicunq; dimiſerit vxorem ſuã, det illi libellum repudij: ego autẽ dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuã, excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari: & qui demiſſam duxerit, adulterat. iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem domino iuramẽta tua, ego autem dico vobis, non iurare omnino. audiſtis quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentẽ pro dente, ego autẽ dico vobis, non reſiſtere malo. audiſtis quia dictũ eſt, diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuũ: ego autẽ dico vobis, diligite inimicos veſtros. Iſte igitur eſt propheta, quẽ Deus præcipit audire ſicut Moyſen? videmus etiã effectũ, quẽ prædixit in legis latione, & in vltione Iudæorũ, quæ durat vſq; in hodiernũ diẽ, quẽadmodũ dixit dñs, qui autẽ audire noluerit verba eius, ego vltor exiſtã. Neq; in his arbitror amplius ĩmorandũ, cum Daniel expreſſiſſimo numero tẽporis, aduentũ domini ex ore angeli, qui ſecũ loquebatur Dei iuſſu, prædixit ca. 9. dicẽs, Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerẽ te, & intelligeres: ab exordio precũ tuarũ, egreſſus eſt ſermo, ego autẽ veni, vt indicarẽ tibi, quia vir deſideriorum es, tu ergo animaduerte ſermonem, et intellige viſionem. Septuaginta hebdomades, abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, et ſuper

vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iuſtitia ſempiterna, et impleatur viſio et prophetia, et vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, et animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſq; ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptẽ, et hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea, et muri in anguſtia temporum: et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, et ciuitatem et ſanctuarium, diſsipabit populus cum duce venturo, et finis eius vaſtitas, et poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, et in dimidio hebdomadis, deficiet hoſtia et ſacrificium, et erit in templo abominatio deſolationis, et vſq; ad conſũmationem et finem perſeuerabit deſolatio. Notum eſt omnibus Iudæis, vnamquãq; hebdomadam, ſeptem continere annos, prout expreſsiſsime habetur Leuit. 25. cap. Attendant igitur nunc ab illa die, quã angelus hæc Danieli nunciauit, cum Iudæi captiui in Babylone tenebãtur, vſq; ad exitum eorum à captiuitate hebdomadæ ſeptem, quæ annos faciunt quinquaginta tres, et vſque ad domini aduentũ ſexaginta duæ. et his hebdomadibus tranſactis, Chriſtus dominus occiſus eſt. Deinde venit Romanorum dux, et populo nõ credẽti in Chriſtum, qui eum negauit coram facie Pilati, et occidit. & hinc inde in captiuitatẽ diſperſo, perſeuerat vſq; nũc: & durabit vſq; in finẽ ipſius captiuitas, & tẽpli euerſio, & Hieroſolymæ deſolatio. Ecce iam nunc mille & quingẽti & ſexaginta quinq; anni, ab aduẽtu domini, vſq; in hanc diẽ peracti ſunt: quid igitur amplius ô miſeri & calamitoſi Iudæi? quid expectatis? audita tam lucida veſtri Danielis prophetia, verius & noſtri? nõne hæc verba potius Euangeliſtæ, quàm prophetæ vobis videntur? Voluit omnipotens & clementiſsimus Deus, tanta perſpicuitate tẽpus Meſsiæ pronunciare per prophetas ſuos, vt nullus iã dubitandi locus relinquatur volenti cordis oculos aperire, et tantiſper

quieto

Cupiebat enim magnopere ſatanas inueſtigare vtrum dominus eſſet verus deus, an homo purus, & ſi ſanctiſſimus: & totis illis diebus quadraginta tētabatur: hoc eſt à dæmone moleſtabatur cōuerſatione & locutione, multis illum verbis aggrediens ad indagandam de eius perſona veritatem. Illæ vero tres vltimæ tentationes, quæ à beato Matthæo & Luca ponūtur fuerunt vltimæ: tanquam qui iam explorare per tot dies non poterat eius diuinitatem, videns eſurientem, tentauit de gula & miraculum faciendo, è pinnaculo oſtētationis gratia vel occidere, vel ex deſcenſu aliquid explorare concupiuit. In tertia iam ſe quis eſſet oſtendens, tanquā faſtidio affectus, qui per tot dies non poterat diuinare an homo purus eſſet, vel deus: omnia mundi regna & gloriam falſo promiſit. Angelos miniſtraſſe domino Euangeliſta noſter ait, conſumata omni tentatione intelligēdum eſt, inquit beatus Matthæus narrata vltima tentatione. Et ecce angeli acceſſerunt & miniſtrabāt ei. Neq; enim prius egebat dominus miniſterio angelorum niſi quando eſuriens cibos illi angeli attulerunt, hoc enimuero dicitur miniſtrare, prout Lucæ 10. Marta autem ſatagebat circa frequēs miniſterium, quæ ait: domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Attendendum eſt igitur, qui ſanctum baptiſmum ſuſcepimus non ſegnes fieri, ſed cōtinuo exerceri: & in deſerto cordis ieiunos ab omni cupiditate permanere. Dæmon enim nō parcit vlli quin laqueos tēdat, tentationes immittat, non dormit, non aliquid aliud negociatur, præter noſtram ſi poſſit damnationem. Ideo dominus voluit tentari pro nobis, quemadmodum pro nobis baptizatur à Ioanne. Scientes igitur ſi cum eius gratia & victoria bene dimicauerimus, & tanquam milites Chriſtiani ſtrenue à nobis tentationes repulerimus, certum habere miniſterium & conſortium Angelorum, qui ſemper vident faciem Patris, cui cum filio & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS. III.
In cap. I. beati Marci.

ADhuc tamen aliquid dicendum eſt de ſecundo teſtimonio, reddito in baptiſmo domini voce æterni patris, quandoquidem aquarum lauacrum Meſsiæ aduentum in ſcripturis futurum prophetæ cecinerunt. Inſuper per eaſdem ſcripturas notum ſit, Deum noſtrum nuſquam aliquē volentē ſibi æquiparari diſsimulationē præteriiſſe, quin potius ipſum vſq; ad ima deieciſſe, valde namq; ſui honoris zelotes eſt Deus. Quare certiſsimum eſt ſi Iudæorum pertinatia, qua negant Chriſtum dominum deum eſſe & Meſſiam, vera eſſet: ipſos Iudæos non vtique flagellari & ad nihilum redigi, prout factum eſt, Chriſtum occidendo: verum etiam maximo honore coronari, maximiſq; bonis augeri, dignos eſſe. Quoniam qui ſe falſo, ſecundum eorum falſiſsimam ſententiā, Deum faciebat, cruci & morti addixerunt. Secus porrò euenit, nam ipſi miſeri Iudæi ciuitate temploq; diruptis, occiſi & diſperſi ſunt, & prout ipſimet teſtes, vſq; in hodiernū diem perſeuerant profugi, & vagi in contemptum omnibus nationibus traditi ſunt. Quòd ſi ſine obduratione animi hæc ſecum vellent perpendere, agnoſcerent equidem Chriſtum dominum noſtrum vere eſſe filiū Dei, verumq; ſibi in lege promiſſum eſſe Meſsiam, quo in tempore beatus Baptiſta Ioannes eius præcurſor nouum, & ſi antiquum oraculum cœpit tentare, dum aquis abluit omnē populū & in peccatorum remiſsionem pœnitentiam prædicauit. Legimus enim in principio creationis mundi ſpiritum ſanctum ſuper aquas ferri: Et ſpiritus domini, inquit ſcriptura, ferabatur ſuper aquas. non dixit ſuper ſolem, non ſuper ſtellas, nō ſuper terram, non ſuper aëra, ſed ſuper aquas: quoniam futurum erat in aduentu domini ſanctum baptiſmi lauacrum in aquis inſtituendum, quod nemo vſq; ad aduentum Chriſti auſus eſt tentare, ſoli aduentui Meſsiæ hoc reſeruatum eſt, de quo vt prædiximus

ſuperiori tractatu prophetatum erat per Eſaiam : Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. & iterum: Omnes ſitientes venite ad aquas. & David: Vox domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas, pſal. 28. Has aquas alibi reficientes animas vocat: dicit enim pſal. 22. Super aquam refectionis educauit me. Vnde & Eſa. 33. aquæ eius fideles ſunt. De quibus Zacharias xiij. ait, In die illa, quãdo ſcilicet venerit Meſsias, in die illa erit fons patẽs domui David, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris. & paulò inferius: Et erit cum prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, non viues quia mendacium loquutus es in nomine domini: & configent eum pater eius & mater eius, genitores eius cum prophetauerit. Moyſes ſcilicet & prophetæ, qui ſunt Iudæorum patres, & mater eorum lex, quæ nutriuit illos: quoniam adueniente fonte baptiſmatis, iam non eſt alius expectandus Meſsias. Quare proſequitur in eadem ſententia propheta, & dicit: Et erit in die illa, confundentur prophetæ, vnuſquiſq; ex viſione ſua, cum prophetauerint, nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur. Non poterat clarius baptiſmi ſacramentum pronunciari, tempore aduentus domini celebrandum: quod nec prius nec poſterius alius, aquis in peccatorum ablutionem vſus eſt. Hoc igitur reſeruatum eſt Meſsiæ, ne poſſent Iudæi illum non agnoſcere. alioquin dent nobis aquas? dent nobis fontem peccata diluentem? Coniunxit autem Deus per os Zachariæ prophetæ baptiſmo, etiam prophetiæ finem: lex & prophetæ vſq; ad Ioannem, iam non fuit amplius propheta de Meſsia locutus aliquis. quòd ſi adhuc, quemadmodum perfidi Iudæi expectant, eſſet venturus, quomodo ceſſarent aliqui, ſpiritu prophetico id prædicere? Certe non relinqueret dominus Iudæorum gentem per mille quingentos & ſexaginta quinq; annos, qui vſq; nunc poſt aduentum domini defluxerũt ſine prophetia, ſine templo, ſine ſacerdotio: pater & mater populi

puli huius Moyſes, prophetæ, & lex conſigunt Iudæorum populum, ſi velit prophetare: quoniam iam eſt fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris. Sed iam ad ſecundum quem tractaturi ſumus neruum, accedamus: quem prædiximus à voce paterna ſumi, qua ait, tu es filius meus dilectus, in te complacuit. *Quod vtiq; niſi eſſet Chriſtus dominus verus Dei filius, non ſic voce patris comprobaretur: quoniam Deus zelotes nimium eſt ſui honoris, nec permittit quempiam velle ſibi comparari, maximè ſi ſcripturis id aſtruere conetur, quemadmodum ſe Deum & Meſſiam Chriſtus dominus oſtendit: quinimo omnes quotquot aliquid vſurpare ſibi diuinitatis conati ſunt, in perditionē deuenerunt, quēadmodum & nunc Iudæi, qui venturum expectant neſcio quem Meſſiam, & verum dominum occiderūt: quod vtiq; illis retributio eſt præmiorum à Deo rependendū fuit, niſi Chriſtus dominus eſſet verus Deus, & verus Meſſias. Quapropter in direptionem, tanquam maximi Dei hoſtes traditi ſunt, & vſq; in finem mundi perdurabit deſolatio eorum, teſte Daniele propheta cap.9. Ego, inquit, Eſa.42. Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. quod idem repetit.48. Propter me, propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo. Horum teſtis eſt Lucifer, & omnis ſpirituum damnatorum caterua, qui æquales Deo eſſe voluerunt. Aſcendam, ait, ſuper Aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo. & omnes ſimul corruerunt, & vſq; ad ima inferni deſcenderūt: Teſtis eſt Nabuchdonoſor Rex Babylonis, qui prorſus in beſtiam per ſeptē annorum ſpacium verſus eſt, prout abundè ex Daniale cap.4. comprobatur. Legimus enim ſomniū ſuæ veſaniæ, Nabuchdonoſor ſomniaſſe præſagium, cuius cum interpretationem nullus ex eius ſapientibus, & ariolis poſſet inueſtigare, Daniele accerſito ſic regi interpretatus eſt: Domine mi, ſomniū his qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit: arborem quā vidiſti*

ſublimem atq; robuſtam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aſpectus illius in omnẽ terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea. ſubter eam habitantes beſtiæ agri, in ramis eius commorantes aues cæli: Tu es Rex, qui magnificatus es & inualuiſti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vſq; ad cælum: & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ. Quod autem vidit rex vigilem & ſanctum deſcendere de cælo, & dicere: Succidite arborem & diſſipate illam, attamen germẽ radicum eius, in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum. Hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regẽ: Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: ſeptem quoq; tempora, mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit det illud. Quòd autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius i. arboris, regnum tuum tibi manebit, poſtquã cognoueris poteſtatem eſſe cæleſtem. Quamobrem rex, conſilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Omnia hæc venerunt ſuper Nabuchdonoſor regem. poſt finem mẽſium duodecim in aula Babylonis deambulabat, reſpõditq; rex & ait: Nõne hæc eſt Babylon ciuitas magna quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decòris mei? Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchdonoſor rex: regnum tuum tranſibit à te, et ab hominibus eijcient te, et cum beſtijs et feris erit habitatio tua, fænũ quaſi bos comedes, et ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, et cuicunq; voluerit det illud. Eadẽ hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſor, et ex hominibus abiectus eſt, et fænũ vt bos comedit,

et

& rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli in ſimilitudinem aquilarũ creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auiũ. Igitur poſt finem dierũ, ego Nabuchdonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo benedixi & viuentem in ſempiternũ laudaui & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnuũ eius in generatione & generationẽ. & omnes habitatores terræ apud eum in nihilũ reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, quare feciſti? In ipſo tẽpore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei decoremq́ perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me, & optimates mei & magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificẽtia mea amplior addita eſt mihi. Nũc igitur ego Nabuchdonoſor laudo & magnifico regẽ cœli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradiẽtes in ſuperbia poteſt humiliare. Timor magnus auribus legentium iſta incutitur, cũ ante oculos ſuperborum & ſe Deo volentiũ coæquare proponitur: gloriã ſuã dominus non ſinit violari, quantis igitur præmijs digni erant Iudæi, ſi falſo ſe Deũ Chriſtus dñs prædicaſſet? Cum igitur vice verſa videamus illos ſic deiectos, punitos contẽptosq́; præcunctis nationibus, quid aliud quã Deicidiũ ſibi imputari, & propter incredulitatẽ vſq́ in finẽ mundi puniri, cogitare poſſumus? Verũ vtiq́; eſt, quẽadmodum & Deus verax eſt, Chriſtũ dñm Dei filiũ eſſe naturalẽ, & proinde Meſsiam in lege promiſſum, & à prophetis prænuntiatũ, omniũ hominũ ſaluatorẽ: quod & pater cœleſtis, voce delapſa ſuper baptizatũ dominũ pronunciauit, dicẽs: Tu es filius meus dilectus, in te cõplacui: quod multis retro ſeculis, Dauid prædixit pſal.2. dicẽs: Ego autẽ conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Siõ montẽ ſanctũ eius, prædicãs præceptũ eius. Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & poſſeſsionẽ tuã terminos terræ. Hæc cũ

BIBLIOTHECA

Dauidi coaptari nõ poſſint, ſoli Chriſto domino credimus relata. Non enimuero Dauid, ſuper Siõ rex cõſtitutus eſt: Cæterũ primo, in domo patris ſui per Samuelẽ, Saule adhuc viuente, prout habetur primo Regũ.16. Poſt mortẽ autẽ Saulis in monte Ebrõ, per viros Iuda.2.Regũ.2. Tertio in eodẽ Ebron, per vniuerſum Iſraelẽ.2.Regũ.5. Chriſtus autẽ dñs, adueniẽte ſuper apoſtolos ſpiritu ſancto, in monte Sion vbi eſt ampliſſima domus, in qua vltimã celebrauit cœnã, pedeſq; diſcipulorũ lauit, & ſui ſacratiſſimi corporis, & precioſiſſimi ſanguinis inſtituit ſacrificiũ, cõſtitutus & acclamatus eſt Rex regũ, & dñs dominantiũ. & ab illa die intrepidẽ apoſtoli illũ, Dei filiũ & Meſſiã, omni volenti audire prædicauerunt: tũc datæ ſunt illi gẽtes in hæreditatẽ, & termini terræ in poſſeſſionẽ: quod nunquam contigit Dauidi, ſoli autẽ dño, non credentibus Iudæis, datæ ſunt gẽtes in hæreditatẽ, & in poſſeſſionẽ vniuerſus orbis, iuxta illud, quod ipſe à mortuis reſurgẽs, diſcipulis dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. ſecundũ hominẽ aſſumptũ loquitur, nam ſecundũ diuinitatem, ſemper rex eſt regum, & dñs dominantiũ. Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizãtes eos, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: docentes eos, ſeruare omnia quæcũq; mandaui vobis: & ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſq; ad conſumationẽ ſeculi. Crediderunt igitur gẽtes, & conuerſæ ſunt, & quotidie alijs retrocedẽtibus, alij ſuccedunt, & conuertũtur in oriẽtis partibus Indorũ, & in Inſulis, quæ procul ſunt Braſiliũ, Congiũ, Cangoximũ, Aridũ, Iapponẽ, Mexicũ, Cuzcũ, nouellæ plãtæ Regis noſtri Portugalliæ, & regis Hiſpaniæ cura & ſolicitudine, ſingulis diebus ad dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, operarijs miſſis, ad hoc ſanctiſſimũ opus, tũ fratrũ mendicantiũ, tum præcipue in partibus, quæ ſubditione & imperio Regis noſtri ſunt, induſtria & maximo labore, reformatorum clericorũ ſocietatis Ieſu. miſeris Iudæis tacentibus, & in duritia cordis indignatione Dei iuditij permanẽtibus, Audit totus orbis, credit magna eius pars

Euan-

*Euangeliſtæ dicēti:*Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei,*& voci cœleſti acclamanti:* Tu es filius dilectus, in te complacui. *Amen.*

TRACTATVS. IIII.

In cap. I. beati Marci.

POtentiam nunc verborū Chriſti domini, interiora ſic penetrantē, vt gladium acutū & pertingentē vſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: proſequitur nunc beatus Marcus, & tanquā tertiam rationē, ſui thematis, mundo magna admiratione dignā, proponit. Ecce igitur, ac ſi diceret, quiſquis velis conſiderare mei thematis veritatē, hoc eſt Ieſum eſſe filiū Dei contēplari, quēadmodū tantā potētiā verborū, nunquā aliquē prophetarū habuiſſe, nec ipſum Moyſen legimus. Poſtquam autem traditus eſt Ioanes *(inquit)* venit Ieſus in Galilæā prædicās Euangeliū regni *Dei,* & dicēs: Quoniā impletum eſt tempus, & appropinquauit regnū dei: *P*œnitemini & credite Euangelio *Omittuntur hic à beato Marco ea, quæ dn̄s operatus eſt per annū, viuente Ioāne, quæ beatus Euāgeliſtà Ioānes proſequutus eſt, in ſui Euangelij exordio. Tradito igitur Ioāne, cuius cauſam beatus Marcus, infra cap. 6. fatiū exponit: lucerna remota, aduenit ſol iuſtitiæ, Chriſtus dn̄s, prædicās in Galilæa Euangelium regni cœleſtis, hoc eſt, regnū vbi Deus regnat, vbi omnes illi obediunt, nullus aberrat à lege, nullus ciuium illius regni, vult aliud quā Dei in omnibus adimpleri voluntatē: Ideo oramus, adueniat regnū tuū. & ſi enim domini eſt terra, & plenitudo eius: cæterū vbi alicuius leges obſeruantur, dicitur regnū eius: Quoniam vero in terra ſunt multi deficiētes à virtute, & Dei præcepta tranſgredientes, ideo ibi regnare dicitur Deus, vbi ab omnibus obeditur. dicebat autē dn̄s:* Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnū *Dei; A tempore aduentus Meſſiæ, per prophetas prænuntiato, ſuam dn̄s incipit prædicationē, ne relinqueretur Iudæis non credentibus, ali*

qua excuſatio. Fuerunt equidem tria de Meſsia prædicta in lege & prophetis: primū tempus aduentus eius, ne homines poſſent aberrare, vel non credendo vero Meſsiæ, vel aliū prius, vel poſterius ſuſcipiendo: vnde & dn̄s Matthæi. 16. & Luc. 12. illis tēpus ſui aduentus improbat, propterea quod illud attendere nolebant, dicēs: Facto veſpere dicitis, ſerenū erit, rubicundū eſt enim cœlū: & mane, hodie tēpeſtas, rutilat enim triſte cœlū. Faciē ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autē temporū non poteſtis ſcire. Hypocritæ, inquit, Luc. faciē cœli & terræ noſtis probare, hoc autē tempus quomodo nō probatis? Longe ante conqueſtus eſt Hieremias, de hac tēporis inconſideratione, dicēs, cap. 8. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuū, turtur & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autē meus nō cognouit iudiciū domini: ſecundum quod prædictū eſt. Fuere ſigna & prodigia, quæ operaturus erat Chriſtus, quæ euidenter per Eſa. cap. 25. exponūtur: Deus, inquit, ipſe veniet, & ſaluabit nos, tunc aperiētur oculi cæcorū, & aures ſurdorū patebūt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorū. & alia quāplura ſigna à prophetis prædicta ſunt. Et obſeruandū eſt, in his omnibus ſemper dixiſſe prophetas, Meſsiā verum Deū futurū, quēadmodum nūc dicit, Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. quod ſæpe repetit Eſa. cap. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis Deus: conſiliarius, fortis, pater futuri ſæculi. & 54. Redēptor tuus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur. Quod non latuit Dauidē, plurimis in locis vocās illum dn̄m ſuū: Dixit dominus dn̄o meo, ſede a dextris meis. Et, dominus dixit ad me, filius meus es tu. &, ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius. Quod ſpiritus ſanctus per os Eliſabeth ad Mariā protulit, dicēs: Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? & Zacharias in natiuitate baptiſtæ, ad ipſum Ioannē: Præibis enim ante faciem domini, parare vias eius. De ſignis dicebat dominus Ioānis 15. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Tertium ſignū nimis

a pro-

à prophetis decantatum fuit, mors, reſurrectio, aſcenſio domini, & ſpiritus ſancti aduentus: quæ in lege etiã Moyſi præfigurata, & à prophetis & pſalmis ſatis explanata leguntur: vnde & dominus poſt reſurrectionẽ ſuam, prout legitur Luc. 23. dixit diſcipulis ſuis: Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cũ adhuc eſſem vobiſcũ, quoniã neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis & pſalmis de me. De tẽpore igitur aduentus domini, à quo ſe incipit nunc, in exordio ſuæ prædicationis, oſtẽdere verũ in lege promiſſum Meſſiã, tantũ aliquid explanaturi ſumus. Ait ergo: Quoniam impletum eſt tempus & appropinquauit regnum Dei. De hoc tẽpore, prænũciauit Iacob moriens, geneſis. 49. cũ benediceret filios ſuos, & illis futura in ſpiritu prædiceret, Iudæ, à cuius tribu ortus eſt dñs, benedicens inter cætera ait: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, &c. Manifeſtiſſimũ eſt, in aduentu domini, ceſſaſſe iam per annos qui regnaret in Hieruſalẽ & Iudæa, de tribu ipſius Iuda: cum conſtet Herodẽ Aſcolonitã, qui fuit Idumæus, vocari tunc regẽ: qui vtiq̃ & ſi in aliquibus partibus regnabat, accepto ſceptro à Romanis, ipſi Romani erãt veri domini regni Iudæorum, & de illorum manu ſceptrum tenebat Herodes. ſiquidem cum dominus natus eſt, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: & omnis Iudæorum natio ſcripta eſt, & tributum præſtitit Romanis, præſidente in Iudæa pro Octauiano Auguſto, Cerino. quod apud Lucam euidenter confirmatur cap. 23. Cum enim Iudæi acclamantes, dixiſſent aduerſus dominum, cõmouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autẽ audiens Galilæã, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet: & vt cognouit, quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eũ ad Herodẽ. Præerat Galilææ pro Tyberio Cæſare, Herodes alius, dictus Antipas, de quo Luc. cap. 3. inquit, Procurante Pontio Pilato Iudæã, tetrarcha autem

Ga-

Galilææ Herode, Philippo autẽ fratre eius tetrarcha Ituræa et Trachonitidis regionis: & Lyſania Abilinæ tetrarcha. Ecce quomodo luce clarius oſtẽditur, regem Iudæorũ, eſſe Romanũ Imperatorem, & ipſum tetrarchias has, tribubus his prædictis diſtribuiſſe, Herodi videlicet, & Philippo, & Lyſaniæ: qui Herodes, vel Romanorũ licentia, vel ſua ambitione, rex dicebatur populus Galilææ, quibus præerat. Non igitur opponendus eſt, tantũmodo peruicatiæ Iudæorũ, Idumæus Herodes: quinimo potius illis opponendus eſt Romanorũ imperator Octauianus, quo tempore natus eſt dñs, & Tyberius, quo tempore prædicauit, & paſſus eſt, & reſurrexit. Nullum quo ſe tegant, habent perfidi Iudæi velum, neq; ad quã fugiant foueã, firma Dei ſtat ſententia. cũ venerit Meſſias, hoc vobis, inquit Iacob filijs futuris, infallibile ſignũ, ſceptrũ non habebit Iudæa, ſub ditione alienigenarũ & ſceptro, tributis ſeruientes, miſerã vitã degetis. Balaã nu. 24. inquit, ſumpta parabola ſuper Iſraël, dixit Balaam filius Beor: Homo cuius obturatus eſt oculus dixit, auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinã altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadẽs apertos habet oculos: Videbo eum, ſed non modò, intuebor illum ſed non prope, orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq; omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius, & poſt pauca, inquit. Heu quis victurus eſt, quãdo iſta faciet Deus? venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; hebræos, & ad extremũ etiã ipſi peribũt. Quòd nomine ſtellæ, ortũ dñi pronunciat propheta ipſe, quæ duxit ad dñm reges oriẽtis, manifeſtũ huius prophetiæ reddit teſtimoniũ. Filij Seth Iudæi ſcilicet, vaſtati ſunt, venerũt principes de Italia, Tytus & Veſpaſianus, & perdiderunt hebræos, & ad extremũ ipſi Romani, imperiũ perdiderũt: quod autẽ Idumæa, gentilitas videlicet, futura erat ipſius Meſſiæ poſſeſſio, prænũciauit Dauid pſal, 59. dicẽs. In Idumæã extendã calciamentũ meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt, quis deducet me in ciuitatem

muni-

munitam, quis deducet me vſq; in Idumæam, nõne tu Deus, qui repuliſti nos? Non poterat clarioribus verbis vocationem gentium per Meſsiam futuram, & Iudæorũ ob ſuam pertinatiam, reprobationem prænuntiare. Quòd ſi dixerit impius Iudæus, in inducta de Meſsia prophetia per Balaã, non ſignari tempus, nec in iſta Dauidis: audio certe ſignatos effectus, per Meſsiam faciẽdos, quos cum tu cernis oculis etiã carnis, adimpletos in aduentu Ieſu Chriſti domini noſtri, cognoſce illud in quo ipſe venit, eſſe verum tempus aduentus Meſsiæ. Quando rogo vaſtati ſunt Iudæi per Romanos, nõne poſt aſcenſum domini ad cœlos? quando ipſi Romani ſceptris ceſſere, nõne quãdo beatus Petrus Romæ ſummi pontificatus cathedram collocauit? quando credidit Idumæa, nõne quãdo repulſi ſunt Iudæi? Cum igitur cernimus in aduẽtu Chriſti hæc omnia ſigna, quæ de tẽpore Meſsiæ prædicta ſunt à prophetis, clarè & manifeſte oſtenditur, Dominũ verum in lege promiſſum ſaluatorẽ, in vero & proprio aduentus Meſsiæ deſignato tempore veniſſe. Moyſes etiam prout legitur Deut. cap. 18. Prophetã de gẽte tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi dominus Deus tuus, ipſum audies. & poſt pauca repetit, quibus illi verbis dominus hoc prænuntiauit: Prophetã ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorũ, ſimilem tui, & ponã verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos, quæ præcepero illi. Qui autẽ verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtã. Omnes Iudæi, hanc ſententiã fatentur eſſe de Meſsia, non enim aliquis prophetarũ ſicut Moyſes legiſlator fuit. legiſlatorẽ profecto manifeſtiſsime oſtenditur Meſsiã fore, in eo quod dicit, ſimilem tui, hoc eſt dux populi, & legiſlator: ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, legem Euangelicam promulgauit, & omnibus ſaluãdis dedit, quæ iam fuerat a Hieremia prædicta cap. 31. Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouũ, non ſecundũ pactum, quo pepigi cũ patribus veſtris, in die qua apprehendi manũ eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti,

pti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit dominus. Dominatus. dicit, quia ſe ſemper vltore exhibuit. Sed hoc eſt pactū, quod feriā cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit dominus, dabo legem meā in viſceribus eorum, & in corde eorū ſcribā eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hanc legē nullus alius dedit, niſi ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, prout patet ex toto Euangelio, & in principio ſuæ prædicationis, beatus Matthæus non pauca legis ſtatuta cōmemorat. Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis, non occides: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, audiſtis quia dictum eſt antiquis, nō mæchaberis: ego autē dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, ad cōcupiſcendum eam, iam mæchatus eſt in corde ſuo. dictum eſt autē, quicunq; dimiſerit vxorem ſuā, det illi libellum repudij: ego autē dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuā, excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari: & qui demiſſam duxerit, adulterat. iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem domino iuramēta tua, ego autem dico vobis, non iurare omnino. audiſtis quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentē pro dente, ego autē dico vobis, non reſiſtere malo. audiſtis quia dictū eſt, diliges proximū tuum, & odio habebis inimicum tuū: ego autē dico vobis, diligite inimicos veſtros. Iſte igitur eſt propheta, quē Deus præcipit audire ſicut Moyſen? videmus etiā effectū, quē prædixit in legis latione, & in vltione Iudæorū, quæ durat vſq; in hodiernū diē, quēadmodū dixit dn̄s, qui autē audire noluerit verba eius, ego vltor exiſtā. Neq; in his arbitror amplius imorandū, cum Daniel expreſſiſſimo numero tēporis, aduentū domini ex ore angeli, qui ſecū loquebatur Dei iuſſu, prædixit ca. 9. dicēs, Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerē te, & intelligeres: ab exordio precū tuarū, egreſſus eſt ſermo, ego autē veni, vt indicarē tibi, quia vir deſideriorum es, tu ergo animaduerte ſermonem, et intellige viſionem. Septuaginta hebdomades, abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, et ſuper vr-

vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iuſtitia ſempiterna, et impleatur viſio et prophetia, et vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, et animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſq; ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptē, et hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea, et muri in anguſtia temporum: et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, et ciuitatem et ſanctuarium, diſsipabit populus cum duce venturo, et finis eius vaſtitas, et poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, et in dimidio hebdomadis, deficiet hoſtia et ſacrificium, et erit in templo abominatio deſolationis, et vſq; ad conſūmationem et finem perſeuerabit deſolatio. Notum eſt omnibus Iudæis, vnamquāq; hebdomadam, ſeptem continere annos, prout expreſsiſsime habetur Leuit. 25. cap. Attendant igitur nunc ab illa die, qua angelus hæc Danieli nunciauit, cum Iudæi captiui in Babylone tenebātur, vſq; ad exitum eorum à captiuitate hebdomadæ ſeptem, quæ annos faciunt quinquaginta tres, et vſque ad domini aduentū ſexaginta duæ. et his hebdomadibus tranſactis, Chriſtus dominus occiſus eſt. Deinde venit Romanorum dux, et populo nō credēti in Chriſtum, qui eum negauit coram facie Pilati, et occidit. & hinc inde in captiuitatē diſperſo, perſeuerat vſq; nūc: & durabit vſq; in finē ipſius captiuitas, & tēpli euerſio, & Hieroſolymæ deſolatio. Ecce iam nunc mille & quingēti & ſexaginta quinq; anni, ab aduētu domini, vſq; in hanc diē peracti ſunt: quid igitur amplius ô miſeri & calamitoſi Iudæi? quid expectatis? audita tam lucida veſtri Danielis prophetia, verius & noſtri? nōne hæc verba potius Euangeliſtæ, quàm prophetæ vobis videntur? Voluit omnipotens & clementiſsimus Deus, tanta perſpicuitate tēpus Meſsiæ pronunciare per prophetas ſuos, vt nullus iā dubitandi locus relinquatur volenti cordis oculos aperire, et tantiſper

quieto

quieto & tranquillo animo, legem conſiderare. Attendenda nunc eſt, ſacræ ſcripturæ concordia: vaſtationem hanc Iudæorum, per Romanorum imperatorem faciẽdam, quomodo illam Balaam prænuntiauit dicens, prout ſupra retulimus: Venient in trieribus de Ytalia, & vaſtabunt hebræos. Aggæus proinde, cum templum reædificaretur, prophetans ſic ait, cap. ij. Et nunc confortare Zorobabel dicit dominus, & confortare Ieſu fili Ioſedech ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit dominus exercituum: & facite, quoniã ego vobiſcum ſum, dicit dominus exercituum: verbum quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini de terra Ægipti, & ſpiritus meus erit in medio veſtrũ, nolite timere. quia hæc dicit dominus exercituum, adhuc vnum modicum eſt, & ego cõmouebo cœlum & terrã, & mare & aridam: & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cũctis gentibus, & implebo domũ iſtam gloria, dicit dominus exercituum. Meum eſt argentum & aurum dicit dominus exercituum. magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ, dicit dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit dominus exercituum. Non eſt vtique dubitandum, quin gloria ſecundæ & vltimæ domus, templi domini non ob aliud maior fuit quàm primæ; quam ita magnifice ædificauit Salomon, niſi ob præſentiam Meſsiæ, filij Dei, domini noſtri Jeſu Chriſti benedictiſſimi, qui in infantia à matre ſacratiſſima, puriſſima virgine ibi præſentatus: deinde anno duodecimo in medio doctorũ ab eadem repertus fuit, poſtremo totiens ibi prædicans magna etiam & inaudita edidit miracula. Hæc namq; fuit maior gloria domus huius nouiſſimæ quàm primæ. non enim hoc dici poteſt de ſtructura nouiſſima templi domus; cum longe nobilior prima à Salomone fuerit ædificata, teſte Eſdra libro primo cap. 3. qui hoc his verbis fatetur, Plurimi etiã de ſacerdotibus & leuitis & principibus patrũ, & ſeniores qui viderant templũ prius cũ fundatũ eſſet & hoc templũ, in oculis eorũ flebãt voce magna.

Non

Non poteſt vtiq; Aggæi prophetia aliò verti niſi ad aduentum Chriſti domini, cuius ſacratiſſima præſentia gloria templi nouiſſimi, præpoſita eſt priori ſtructuræ. Sed iam huic negotio finem imponamus, vnico dumtaxat Malachiæ teſtimonio contenti, qui cap. iij. ait: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. & ſtatim: Veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis, ecce venit dicit dominus exercituũ. Venit vtiq; angelus, Ioannes baptiſta ſcilicet, qui vitam angelicam agebat, ante faciem domini parare vias eius, cuius teſtimoniũ in principio ſui Euangelij noſter Marcus adduxit. Non poſſunt dare alium virtute & vitæ puritate Iudæi angelum baptiſtæ ſimilem, qui pilis induebatur camelorum, cuius eſca mel ſylueſtre, & agreſtes lactucæ erant, qui ſitim aqua tantum extinguebat. tantæ ſanctitatis vir erat, vt Iudæi mitterent ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas quærentes ab eo an ipſe eſſet in lege promiſſus Meſſias. Statim venit ad templum ſanctum ſuum dominus, prædicans Euangeliũ regni & dicens: Quoniã impletũ eſt tẽpus, & appropinquabit regnum Dei: iſte eſt magni concilij angelus dominator quẽ vos quæritis. Si ô Iudæi quæritis Meſſiam, ecce dominator quẽ vos quæritis iam aduenit, iam regnat, ad dexterã patris quouſq; ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Ad tollendam autem omnem à vobis hæſitationem iterum repetit: ecce venit. & quis hoc affirmet, ne contemnatis ait: dicit dominus exercituum, cuius ſermo verax, qui nunquam ſibi credentes fallere nouit. Tertiam igitur rationem inuincibilem adduxit, ſui præpoſiti thematis beatus Marcus à verborum Chriſti efficatia ſumptam, cuius initium fuit: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquabit regnum Dei. Cui cum patre & ſancto ſpiritu eſt honor gloria & imperium in æternum. Amen.

Tra-

ſuperiori tractatu prophetatum erat per Eſaiam : Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris. & iterum: Omnes ſitientes venite ad aquas. & Dauid: Vox domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas, pſal. 28. Has aquas alibi reficientes animas vocat: dicit enim pſal. 22. Super aquam refectionis educauit me. Vnde & Eſa. 33. aquæ eius fideles ſint. De quibus Zacharias xiij. ait, In die illa, quādo ſcilicet venerit Meſsias, in die illa erit fons patēs domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris. & paulò inferius: Et erit cum prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum, non viues quia mendacium loquutus es in nomine domini: & configent eum pater eius & mater eius, genitores eius cum prophetauerit. Moyſes ſcilicet & prophetæ, qui ſunt Iudæorum patres, & mater eorum lex, quæ nutriuit illos: quoniam adueniente fonte baptiſmatis, iam non eſt alius expectandus Meſsias. Quare proſequitur in eadem ſententia propheta, & dicit: Et erit in die illa, confundentur prophetæ, vnuſquiſq; ex viſione ſua, cum prophetauerint, nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur. Non poterat clarius baptiſmi ſacramentum pronunciari, tempore aduentus domini celebrandum: quod nec prius nec poſterius alius, aquis in peccatorum ablutionem vſus eſt. Hoc igitur reſeruatum eſt Meſsiæ, ne poſſent Iudæi illum non agnoſcere. alioquin dent nobis aquas? dent nobis fontem peccata diluentem? Coniunxit autem Deus per os Zachariæ prophetæ baptiſmo, etiam prophetiæ finem: lex & prophetæ vſq; ad Ioannem, iam non fuit amplius propheta de Meſsia locutus aliquis. quòd ſi adhuc, quemadmodum perfidi Iudæi expectant, eſſet venturus, quomodo ceſſarent aliqui, ſpiritu prophetico id prædicere? Certe non relinqueret dominus Iudæorum gentem per mille quingentos & ſexaginta quinq; annos, qui vſq; nunc poſt aduentum domini defluxerūt ſine prophetia, ſine templo, ſine ſacerdotio: pater & mater populi

puli huius Moyſes, prophetæ, & lex configunt Iudæorum populum, ſi velit prophetare: quoniam iam eſt fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris. Sed iam ad ſecundum quem tractaturi ſumus neruum, accedamus: quem prædiximus à voce paterna ſumi, qua ait, tu es filius meus dilectus, in te complacuit. *Quod vtiq; niſi eſſet Chriſtus dominus verus Dei filius, non ſic voce patris comprobaretur: quoniam Deus zelotes nimium eſt ſui honoris, nec permittit quempiam velle ſibi comparari, maximè ſi ſcripturis id aſtruere conetur, quemadmodum ſe Deum & Meſsiam Chriſtus dominus oſtendit: quinimo omnes quotquot aliquid vſurpare ſibi diuinitatis conati ſunt, in perditionẽ deuenerunt, quẽadmodum & nunc Iudæi, qui venturum expectant neſcio quem Meſsiam, & verum dominum occiderũt: quod vtiq; illis retributio eſt præmiorum à Deo rependendũ fuit, niſi Chriſtus dominus eſſet verus Deus, & verus Meſsias. Quapropter in direptionem, tanquam maximi Dei hoſtes traditi ſunt, & vſq; in finem mundi perdurabit deſolatio eorum, teſte Daniele propheta cap.9. Ego, inquit, Eſa.42. Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. quod idem repetit.48. Propter me, propter me faciam, & gloriam meam alteri non dabo. Horum teſtis eſt Lucifer, & omnis ſpirituum damnatorum caterua, qui æquales Deo eſſe voluerunt. Aſcendam, ait, ſuper Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. & omnes ſimul corruerunt, & vſq; ad ima inferni deſcenderũt: Teſtis eſt Nabuchdonoſor Rex Babylonis, qui prorſus in beſtiam per ſeptẽ annorum ſpacium verſus eſt, prout abundè ex Daniale cap.4. comprobatur. Legimus enim ſomniũ ſuæ veſaniæ, Nabuchdonoſor ſomniaſſe præſagium, cuius cum interpretationem nullus ex eius ſapientibus, & ariolis poſſet inueſtigare, Daniele accerſito ſic regi interpretatus eſt: Domine mi, ſomniũ his qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit: arborem quã vidiſti*

ſublimem atq; robuſtam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aſpectus illius in omnẽ terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea. ſubter eam habitantes beſtiæ agri, in ramis eius commorantes aues cœli: Tu es Rex, qui magnificatus es & inualuiſti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vſq; ad cælum: & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ. Quod autem vidit rex vigilem & ſanctum deſcendere de cælo, & dicere: Succidite arborem & diſsipate illam, attamen germẽ radicum eius, in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum. Hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſsimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regẽ: Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs & feris erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: ſeptem quoq; tempora, mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunq; voluerit det illud. Quòd autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius. i. arboris, regnum tuum tibi manebit, poſtquã cognoueris poteſtatem eſſe cæleſtem. Quamobrem rex, conſilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Omnia hæc venerunt ſuper Nabuchdonoſor regem. poſt finem mẽſium duodecim in aula Babylonis deambulabat, reſpõditq; rex & ait: Nõne hæc eſt Babylon ciuitas magna quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decôris mei? Cumq; ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchdonoſor rex: regnum tuum tranſibit à te, et ab hominibus eijcient te, et cum beſtijs et feris erit habitatio tua, fænũ quaſi bos comedes, et ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, et cuicunq; voluerit det illud. Eadẽ hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchdonoſor, et ex hominibus abiectus eſt, et fænũ vt bos comedit,

et

& rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli in ſimilitudinem aquilarũ creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auiũ. Igitur poſt finem dierũ, ego Nabuchdonoſor oculos meos ad cœlum leuaui, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & altiſsimo benedixi & viuentem in ſempiternũ laudaui & glorificaui: quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnuũ eius in generatione & generationẽ. & omnes habitatores terræ apud eum in nihilũ reputati ſunt: iuxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, quare feciſti? In ipſo tẽpore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorẽ regni mei decoremq́ perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me, & optimates mei & magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificẽtia mea amplior addita eſt mihi. Nũc igitur ego Nabuchdonoſor laudo & magnifico regẽ cœli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradiẽtes in ſuperbia poteſt humiliare. Timor magnus auribus legentium iſta incutitur, cũ ante oculos ſuperborum & ſe Deo volentiũ coæquare proponitur: gloriã ſuã dominus non ſinit violari, quantis igitur præmijs digni erant Iudæi, ſi falſo ſe Deũ Chriſtus dñs prædicaſſet? Cùm igitur vice verſa videamus illos ſic deiectos, punitos contẽptosq́; præcunctis nationibus, quid aliud quã Deicidiũ ſibi imputari, & propter incredulitatẽ vſq; in finẽ mundi puniri, cogitare poſſumus? Verũ vtiq; eſt, quẽadmodum & Deus verax eſt, Chriſtũ dñm Dei filiũ eſſe naturalẽ, & proinde Meſsiam in lege promiſſum, & à prophetis prænuntiatũ, omniũ hominũ ſaluatorẽ: quod & pater cœleſtis, voce delapſa ſuper baptizatũ dominũ pronunciauit, dicẽs: Tu es filius meus dilectus, in te cõplacui: *quod multis retro ſeculis, Dauid prædixit pſal. 2. dicẽs: Ego autẽ conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Siõ montẽ ſanctũ eius, prædicãs præceptũ eius. Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & poſſeſsionẽ tuã terminos terræ. Hæc cũ*

BIBLIOTECA

Dauidi coaptari nõ poſſint, ſoli Chriſto domino credimus relata. Non enimuero Dauid, ſuper Siõ rex cõſtitutus eſt: Ceterũ primo, in domo patris ſui per Samuelẽ, Saule adhuc viuente, prout habetur primo Regũ.16. Poſt mortẽ autẽ Saulis in monte Ebrõ, per viros Iuda.2.Regũ.2. Tertio in eodẽ Ebron, per vniuerſum Iſraelẽ.2.Regũ.5. Chriſtus autẽ dñs, adueniẽte ſuper apoſtolos ſpiritu ſancto, in monte Sion vbi eſt ampliſſima domus, in qua vltimã celebrauit cœnã, pedeſq; diſcipulorũ lauit, & ſui ſacratiſſimi corporis, & precioſiſſimi ſanguinis inſtituit ſacrificiũ, cõſtitutus & acclamatus eſt Rex regũ, & dñs dominantiũ. & ab illa die intrepidẽ apoſtoli illũ, Dei filiũ & Meſſiã, omni volenti audire prædicauerunt: tũc datæ ſunt illi gẽtes in hæreditatẽ, & termini terræ in poſſeſſionẽ: quod nunquam contigit Dauidi, ſoli autẽ dño, non credentibus Iudæis, datæ ſunt gẽtes in hæreditatẽ, & in poſſeſſionẽ vniuerſus orbis, iuxta illud, quod ipſe à mortuis reſurgẽs, diſcipulis dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. ſecundũ hominẽ aſſumptũ loquitur, nam ſecundũ diuinitatem, ſemper rex eſt regum, & dñs dominantiũ. Ite, inquit, docete omnes gentes, baptizãtes eos, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: docentes eos, ſeruare omnia quæcũq; mandaui vobis: & ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſq; ad conſumationẽ ſeculi. Crediderunt igitur gẽtes, & conuerſæ ſunt, & quotidie alijs retrocedẽtibus, alij ſuccedunt, & conuertũtur in oriẽtis partibus Indorũ, & in Inſulis, quæ procul ſunt Braſiliũ, Congiũ, Cangoximũ, Aridũ, Iapponẽ, Mexicũ, Cuzcũ, nouellæ plãtæ Regis noſtri Portugalliæ, & regis Hiſpaniæ cura & ſolicitudine, ſingulis diebus ad dñm noſtrũ Ieſum Chriſtũ, operarijs miſſis, ad hoc ſanctiſſimũ opus, tũ fratrũ mendicantiũ, tum præcipue in partibus, quæ ſubditione & imperio Regis noſtri ſunt, induſtria & maximo labore, reformatorum clericorũ ſocietatis Ieſu. miſeris Iudæis iacentibus, & in duritia cordis indignatione Dei iuditij permanẽtibus, Audit totus orbis, credit magna eius pars

Euan-

Euangeliſtæ dicẽti: Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, *& voci cœleſti acclamanti:* Tu es filius dilectus, in te complacui. *Amen.*

TRACTATVS. IIII.
In cap. I. beati Marci.

POtentiam nunc verborũ Chriſti domini, interiora ſic penetrantẽ, vt gladium acutũ & pertingentẽ vſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: proſequitur nunc beatus Marcus, & tanquã tertiam rationẽ, ſui thematis, mundo magna admiratione dignã, proponit. Ecce igitur, ac ſi diceret, quiſquis velis conſiderare mei thematis veritatẽ, hoc eſt Ieſum eſſe filiũ Dei contẽplari, quẽadmodũ tantã potẽtiã verborũ, nunquã aliquẽ prophetarũ habuiſſe, nec ipſum Moyſen legimus. Poſtquam autem traditus eſt Ioanes (*inquit*) venit Ieſus in Galilæã, prædicãs Euangeliũ regni Dei, & dicẽs: Quoniã impletum eſt tempus, & appropinquauit regnũ dei: Pœnitemini & credite Euangelio *Omittuntur hic à beato Marco ea, quæ dñs operatus eſt per annũ, viuente Ioãne, quæ beatus Euãgeliſta Ioãnes proſequutus eſt, in ſui Euangelij exordio. Tradito igitur Ioãne, cuius cauſam beatus Marcus, infra cap. 6. ſatis exponit: lucerna remota, aduenit ſol iuſtitiæ, Chriſtus dñs, prædicãs in Galilæa Euangelium regni cæleſtis, hoc eſt, regnũ vbi Deus regnat, vbi omnes illi obediunt, nullus aberrat à lege, nullus ciuium illius regni, vult aliud quã Dei in omnibus adimpleri voluntatẽ: Ideo oramus, adueniat regnũ tuũ. & ſi enim domini eſt terra, & plenitudo eius: cæterũ vbi alicuius leges obſeruantur, dicitur regnũ eius: Quoniam vero in terra ſunt multi deficiẽtes à virtute, & Dei præcepta tranſgredientes, ideo ibi regnare dicitur Deus, vbi ab omnibus obeditur. dicebat autẽ dñs:* Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnũ Dei, *A tempore aduentus Meſsiæ, per prophetas prænuntiato, ſuam dñs incipit prædicationẽ, ne relinqueretur Iudæis non credentibus, ali-*

qua excuſatio. Fuerunt equidem tria de Meſsia prædicta in lege & prophetis: primū tempus aduentus eius, ne homines poſſent aberrare, vel non credendo vero Meſsiæ, vel aliū prius, vel poſterius ſuſcipiendo: vnde & dñs Matthæi. 16. & Luc. 12. illis tēpus ſui aduentus improbat, propterea quod illud attendere nolebant, dicēs: Facto veſpere dicitis, ſerenū erit, rubicundū eſt enim cœlū: & mane, hodie tēpeſtas, rutilat enim triſte cœlū. Faciē ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autē temporū non poteſtis ſcire. Hypocritæ, inquit, Luc. faciē cœli & terræ noſtis probare, hoc autē tempus quomodo nō probatis? Longe ante conqueſtus eſt Hieremias, de hac tēporis inconſideratione, dicēs, cap. 8. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuū, turtur & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autē meus nō cognouit iudiciū domini: ſecundum quod prædictū eſt. Fuere ſigna & prodigia, quæ operaturus erat Chriſtus, quæ euidenter per Eſa. cap. 25. exponūtur: Deus, inquit, ipſe veniet, & ſaluabit nos, tunc aperiētur oculi cæcorū, & aures ſurdorū patebūt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorū. & alia quāplura ſigna à prophetis prædicta ſunt. Et obſeruandū eſt, in his omnibus ſemper dixiſſe prophetas, Meſsiā verum Deū futurū, quēadmodum nūc dicit, Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. quod ſæpe repetit Eſa. cap. 9. Vocabitur nomen eius admirabilis Deus: conſiliarius, fortis, pater futuri ſæculi. & 54. Redēptor tuus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur. Quod non latuit Dauidē, plurimis in locis vocās illum dñm ſuū: Dixit dominus dño meo, ſede a dextris meis. Et, dominus dixit ad me, filius meus es tu. &, ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius. Quod ſpiritus ſanctus per os Eliſabeth ad Mariā protulit, dicēs: Vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me? & Zacharias in natiuitate baptiſtæ, ad ipſum Ioannē: Præibis enim ante faciem domini, parare vias eius. De ſignis dicebat dominus Ioānis 15. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū non haberent. Tertium ſignū nimis

a pro-

à prophetis decantatum fuit, mors, reſurrectio, aſcenſio domini, & ſpiritus ſancti aduentus: quæ in lege etiã Moyſi præfigurata, & à prophetis & pſalmis ſatis explanata leguntur: vnde & dominus poſt reſurrectionẽ ſuam, prout legitur Luc.23. dixit diſcipulis ſuis: Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cũ adhuc eſſem vobiſcũ, quoniã neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis & pſalmis de me. De tẽpore igitur aduentus domini, à quo ſe incipit nunc, in exordio ſuæ prædicationis, oſtẽdere verũ in lege promiſſum Meſſiã, tantũ aliquid explanaturi ſumus. Ait ergo: Quoniam impletum eſt tempus & appropinquauit regnum Dei. *De hoc tẽpore, prænũciauit Iacob moriens, geneſis.49. cũ benediceret filios ſuos, & illis futura in ſpiritu prædiceret, Iudæ, à cuius tribu ortus eſt dñs, benedicens inter cætera ait: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittẽdus eſt, & ipſe erit expectatio gentium, &c. Manifeſtiſſimũ eſt, in aduentu domini, ceſſaſſe iam per annos qui regnaret in Hieruſalẽ & Iudæa, de tribu ipſius Iuda: cum conſtet Herodẽ Aſcolonitã, qui fuit Idumæus, vocari tunc regẽ: qui vtiq̃ & ſi in aliquibus partibus regnabat, accepto ſceptro à Romanis, ipſi Romani erãt veri domini regni Iudæorum, & de illorum manu ſceptrum tenebat Herodes. ſiquidem cum dominus natus eſt, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis: & omnis Iudæorum natio ſcripta eſt, & tributum præſtitit Romanis, præſidente in Iudæa pro Octauiano Auguſto, Cerino. quod apud Lucam euidenter confirmatur cap.23. Cum enim Iudæi acclamantes, dixiſſent aduerſus dominum, cõmouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autẽ audiens Galilæã, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet: & vt cognouit, quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eũ ad Herodẽ. Præerat Galilææ pro Tyberio Cæſare, Herodes alius, dictus Antipas, de quo Luc. cap.3. inquit, Procurante Pontio Pilato Iudæã, tetrarcha autem*

Ga-

Galilææ Herode, Philippo autē fratre eius tetrarcha Ituręæ et Trachonitidis regionis: & Lyſania Abilinæ tetrarcha. Ecce quomodo luce clarius oſtēditur, regem Iudæorū, eſſe Romanū Imperatorem, & ipſum tetrarchias has, tribubus his prædictis diſtribuiſſe, Herodi videlicet, & Philippo, & Lyſaniæ: qui Herodes, vel Romanorū licentia, vel ſua ambitione, rex dicebatur populis Galilææ, quibus præerat. Non igitur opponendus eſt, tantūmodo peruicatiæ Iudæorū, Idumæus Herodes: quinimo potius illis opponendus eſt Romanorū imperator Octauianus, quo tempore natus eſt dn̄s, & Tyberius, quo tempore prædicauit, & paſſus eſt, & reſurrexit. Nullum quo ſe tegant, habent perfidi Iudæi velum, neq; ad quā fugiant foueā, firma Dei ſtat ſententia. cū venerit Meſſias, hoc vobis, inquit Iacob filijs futuris, infallibile ſignū, ſceptrū non habebit Iudæa, ſub ditione alienigenarū & ſceptro, tributis ſeruientes, miſerā vitā degetis. Balaā nu. 24. inquit, ſumpta parabola ſuper Iſrael, dixit Balaam filius Beor: Homo cuius obturatus eſt oculus dixit, auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinā altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt, qui cadēs apertos habet oculos: Videbo eum, ſed non modò, intuebor illum ſed non prope, orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitq; omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius, & poſt pauca, inquit. Heu quis victurus eſt, quādo iſta faciet Deus? veniēt in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntq; hebræos, & ad extremū etiā ipſi peribūt. Quòd nomine ſtellæ, ortū dn̄i pronunciat propheta ipſe, quæ duxit ad dn̄m reges oriētis, manifeſtū huius prophetiæ reddit teſtimoniū. Filij Seth Iudæi ſcilicet, vaſtati ſunt, venerūt principes de Italia, Tytus & Veſpaſianus, & perdiderunt hebræos, & ad extremū ipſi Romani, imperiū perdiderūt: quod autē Idumæa, gentilitas videlicet, futura erat ipſius Meſſiæ poſſeſſio, prænūciauit Dauid pſal, 59. dicēs. In Idumæā extendā calciamentū meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt, quis deducet me in ciuitatem

muni-

munitam, quis deducet me vſq; in Idumæam, nõne tu Deus, qui repuliſti nos? Non poterat clarioribus verbis vocationem gentium per Meſsiam futuram, & Iudæorũ ob ſuam pertinatiam, reprobationem prænuntiare. Quòd ſi dixerit impius Iudæus, in inducta de Meſsia prophetia per Balaã, non ſignari tempus, nec in iſta Dauidis: audio certe ſignatos effectus, per Meſsiam faciẽdos, quos cum tu cernis oculis etiã carnis, adimpletos in aduentu Ieſu Chriſti domini noſtri, cognoſce illud in quo ipſe venit, eſſe verum tempus aduentus Meſsiæ. Quando rogo vaſtati ſunt Iudæi per Romanos, nõne poſt aſcenſum domini ad cælos? quando ipſi Romani ſceptris ceſſere, nõne quãdo beatus Petrus Romæ ſummi pontificatus cathedram collocauit? quando credidit Idumæa, nõne quãdo repulſi ſunt Iudæi? Cum igitur cernimus in aduẽtu Chriſti hæc omnia ſigna, quæ de tẽpore Meſsiæ prædicta ſunt à prophetis, clarè & manifeſte oſtenditur, Dominũ verum in lege promiſſum ſaluatorẽ, in vero & proprio aduentus Meſsiæ deſignato tempore veniſſe. Moyſes etiam prout legitur Deut. cap. 18. Prophetã de gẽte tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi dominus Deus tuus, ipſum audies. & poſt pauca repetit, quibus illi verbis dominus hoc prænuntiauit: Prophetã ſuſcitabo eis, de medio fratrum ſuorũ, ſimilem tui, & ponã verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos, quæ præcepero illi. Qui autẽ verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtã. Omnes Iudæi, hanc ſententiã fatentur eſſe de Meſsia, non enim aliquis prophetarũ ſicut Moyſes legiſlator fuit. legiſlatorẽ profectò manifeſtiſsime oſtenditur Meſsiã fore, in eo quod dicit, ſimilem tui, hoc eſt dux populi, & legiſlator: ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, legem Euangelicam promulgauit, & omnibus ſaluãdis dedit, quæ iam fuerat a Hieremia prædicta cap. 31. Ecce dies venient, dicit dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouũ, non ſecundũ pactum, quo pepigi cũ patribus veſtris, in die qua apprehendi manũ eorum, vt educerẽ eos de terra Ægypti,

pti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit dominus. Dominatus. dicit, quia ſe ſemper vltorẽ exhibuit. Sed hoc eſt pactũ, quod feriã cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit dominus, dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribã eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Hanc legẽ nullus alius dedit, niſi ſolus dominus noſter Ieſus Chriſtus, prout patet ex toto Euangelio, & in principio ſuæ prædicationis, beatus Matthæus non pauca legis ſtatuta cõmemorat. Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis, non occîdes: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, audiſtis quia dictum eſt antiquis, nõ mæchaberis: ego autẽ dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, ad cõcupiſcendum eam, iam mæchatus eſt in corde ſuo. dictum eſt autẽ, quicunq; dimiſerit vxorem ſuã, det illi libellum repudij: ego autẽ dico vobis, quia omnis qui dimiſerit vxorem ſuã, excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari: & qui demiſſam duxerit, adulterat. iterum audiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem domino iuramẽta tua, ego autem dico vobis, non iurare omnino. audiſtis quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentẽ pro dente, ego autẽ dico vobis, non reſiſtere malo. audiſtis quia dictũ eſt, diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuũ: ego autẽ dico vobis, diligite inimicos veſtros. Iſte igitur eſt propheta, quẽ Deus præcipit audire ſicut Moyſen? videmus etiã effectũ, quẽ prædixit in legis latione, & in vltione Iudæorũ, quæ durat vſq; in hodiernũ diẽ, quemadmodũ dixit dñs, qui autẽ audire noluerit verba eius, ego vltor exiſtã. Neq; in his arbitror amplius imorandũ, cum Daniel expreſſiſsimo numero tẽporis, aduentũ domini ex ore angeli, qui ſecũ loquebatur Dei iuſſu, prædixit ca. 9. dicẽs, Daniel nunc egreſſus ſum, vt docerẽ te, & intelligeres: ab exordio precũ tuarũ, egreſſus eſt ſermo, ego autẽ veni, vt indicarẽ tibi, quia vir deſideriorum es, tu ergo animaduerte ſermonem, et intellige viſionem. Septuaginta hebdomades, abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, et ſuper

vr-

vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iuſtitia ſempiterna, et impleatur viſio et prophetia, et vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, et animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem, vſq; ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptẽ, et hebdomades ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea, et muri in anguſtia temporum: et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt, et ciuitatem et ſanctuarium, diſſipabit populus cum duce venturo, et finis eius vaſtitas, et poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis, hebdomada vna, et in dimidio hebdomadis, deficiet hoſtia et ſacrificium, et erit in templo abominatio deſolationis, et vſq; ad conſũmationem et finem perſeuerabit deſolatio. Notum eſt omnibus Iudæis, vnamquãq; hebdomadam, ſeptem continere annos, prout expreſſiſſime habetur Leuit. 25. cap. Attendant igitur nunc ab illa die, quã angelus hæc Danieli nunciauit, cum Iudæi captiui in Babylone tenebãtur, vſq; ad exitum eorum à captiuitate hebdomadæ ſeptem, quæ annos faciunt quinquaginta tres, et vſque ad domini aduentũ ſexaginta duæ. et his hebdomadibus tranſactis, Chriſtus dominus occiſus eſt. Deinde venit Romanorum dux, et populo nõ credẽti in Chriſtum, qui eum negauit coram facie Pilati, et occidit. & hinc inde in captiuitatẽ diſperſo, perſeuerat vſq; nũc: & durabit vſq; in finẽ ipſius captiuitas, & tẽpli euerſio, & Hieroſolymæ deſolatio. Ecce iam nunc mille & quingẽti & ſexaginta quinq; anni, ab aduẽtu domini, vſq; in hanc diẽ peracti ſunt: quid igitur amplius ô miſeri & calamitoſi Iudæi? quid expectatis? audita tam lucida veſtri Danielis prophetia, verius & noſtri? nõne hæc verba potius Euangeliſtæ, quàm prophetæ vobis videntur? Voluit omnipotens & clementiſſimus Deus, tanta perſpicuitate tẽpus Meſſiæ pronunciare per prophetas ſuos, vt nullus iã dubitandi locus relinquatur volenti cordis oculos aperire, et tantiſper

quieto

Non poteſt vtiq; Aggæi prophetia aliò verti niſi ad aduentum Chriſti domini, cuius ſacratiſſima præſentia gloria templi nouiſſimi, præpoſita eſt priori ſtructuræ. Sed iam huic negotio finem imponamus, vnico duntaxat Malachiæ teſtimonio contenti, qui cap. iij. ait: Ecce ego mittam angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. & ſtatim: Veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis, ecce venit dicit dominus exercituũ. Venit vtiq; angelus, Ioannes baptiſta ſcilicet, qui vitam angelicam agebat, ante faciem domini parare vias eius, cuius teſtimoniũ in principio ſui Euangelij noſter Marcus adduxit. Non poſſunt dare alium virtute & vitæ puritate Iudæi angelum baptiſtæ ſimilem, qui pilis induebatur camelorum, cuius eſca mel ſylueſtre, & agreſtes lactucæ erant, qui ſitim aqua tantum extinguebat. tantæ ſanctitatis vir erat, vt Iudæi mitterent ab Hieroſolymis ſacerdotes & leuitas quærentes ab eo an ipſe eſſet in lege promiſſus Meſſias. ſtatim venit ad templum ſanctum ſuum dominus, prædicans Euangeliũ regni & dicens: Quoniã impletũ eſt tẽpus, & appropinquabit regnum Dei: iſte eſt magni concilij angelus dominator quẽ vos quæritis. Si ô Iudæi quæritis Meſſiam, ecce dominator quẽ vos quæritis iam aduenit, iam regnat, ad dexterã patris quouſq; ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Ad tollendam autem omnem à vobis hæſitationem iterum repetit: ecce venit. & quis hoc affirmet, ne contemnatis ait: dicit dominus exercituum, cuius ſermo verax, qui nunquam ſibi credentes fallere nouit. Tertiam igitur rationem inuincibilem adduxit, ſui præpoſiti thematis beatus Marcus à verborum Chriſti efficatia ſumptam, cuius initium fuit: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquabit regnum Dei. Cui cum patre & ſancto ſpiritu eſt honor gloria & imperium in æternum. Amen.

Tra-

TRACTATVS. V.

In cap. I. beati Marci.

S*Equitur:* Pœnitemini & credite Euãgelio. *Poſt fidem curandum eſt bonis operibus vacare, iam gladium verborum ſuorum dominus, in principio ſuæ prædicationis, in hæreticos, ſola ſe fide perverſè tuentes dirigit. Dixerat enim:* Quoniã impletum eſt tempus, & appropinquabit regnũ Dei. *Ecce fidẽ: pœnitentiam continuò adiunxit dicens,* Pœnitemini. *& iterum repetit fidem,* & credite Euangelio, *ceſſate à peccatis, revertimini ad Deum, credite bono qui vobis nuntiatur verbo, aduenisse ſcilicet Meßiam: qui nõ ſolum credere, ſed etiam bonis operibus homines exerceri prædicat, vt poßint vitam conſequi beatam. Dum hæc dominus prædicat, dum hæc populo annuntiat, apoſtolos ſibi aſciſcere, ad Euangelij prædicationem incipit.* Et præteriens, *inquit Euangeliſta:* ſecus mare Galileæ, uidit Simônem & Andręam fratrem eius, mittentes rete in mare, erant enim piſcatores. *Non otio mittebant rete in mare, & tempus fruſtra conſumebant, erant enim piſcatores, labores manuum ſuarum quia manducabãt, beati fuere. Non minima chriſtianis, & principibus, & nobilibus & plebeis virtus eſt, ſi vnuſquiſq; ſuo occupetur officio & intendatur. Heu quot mala nos tenuere, poſtquã defecerunt chriſtiani à ſuo à Deo dato officio, & diſtributo. Principes otio & accidia diffluunt, venationibus aliiſq; quàm plurimis delitijs totos ſe dant, qui omnem ſuã potentiam in debellandis, penituſque euertendis infidelibus, & eccleſiã tuendo, vt proprij officij coacti, collocare tenentur. Bella inter ſe leui de cauſa mouent: & pro fide eius, cuius nutu reges conſtituti ſunt exercere, minime volunt. nobiles iam omni ſolicitudine, & occupatione expediti in lecto iacentes, maiorem curã habent eorũ quæ dulcia & ſuperflua ſunt, cibi & potus, veſtiũque magni precij & laboris, quam vt arma exerceant. Arbitror*

equi-

equidem, hanc vnam eſſe ex maximis tentationibus, quas inimicus, & generis humani hoſtis teterrimus diabolus Chriſtiano populo ſubiecerit, vt nemo ſui officij partes agat, ſed omnes tum laici, tum clerici longe alio tendant, aliiſq; exercitiis delectetur. Turpe eſſet profecto, ſi videres hominẽ manibus pedibuſq́ deambulare, et illum à tali progreſſu minime reuocare valeres, diceres vtiq; illum mente captũ, & extra ſe exiiſſe. ſic inſanimus omnes, manibus repentes, incuruati ambulãtes, terrena quærentes, nihil de officio nobis commiſſo curantes, ſed quomodo in illo delitioſe viuere poßimus procurantes. Hinc prima noſtri mali labes, hinc ſemper dæmon nouis implicat criminibus. attendamus obſecro ad nobis commiſſa officia, & ea ſtudioſiſſimè adimplere ſtudeamus, hos vocat dominus, his ſe offert, hos alloquitur, hos cõuerſare dignatur, hos ſibi familiares aſciſcit, dicens: Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum. *Mittebant rete, vtiq; in mare, quia erant piſcatores, nec aliò diuerterant officium ſuum, quinimo eius radicem & naturam ſectantes, mittebant rete in mare, & audire meruerunt:* Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. *Piſcatores erant piſcium, fecit illos dominus piſcatores hominum. Hinc monentur, quibus datum eſt in Rep. officia diſtribuere, non fauore id, ſed iuſtitia diſtribuere, & vnicuiq; ſecundum propriã virtutem eligere, & qui cõmiſſo officio, prodeſſe ſuo ingenio poßint: cum dominus hos piſcatores ad hominum piſcationem eligit, viros ſimplices, columbinos, bonæ mentis, non callidos, nõ vafros negotiatores, ſed humiles, quietos ac benignos: ſuper hos ſpiritus ſanctus dignatur venire, agni hi agnũ ſequuntur, & agnus Dei qui mundi deles crimina, hos vocat ad ſeculi conuerſionem. Ecce ego mitto vos, dicebat alibi dominus, ſicut oues inter lupos: beatà vtiq; gens hæc, cuius dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatẽ ſibi. Hi ſancti viri ſua ſimplicitate, nihilominus deſiderábant ſalutem humani generis, prout habetur Ioannis 1. quando primum Andræas dixit*

fratri ſuo Petro: Inuenimus Meſſiam. De hac re, ſæpe inter ſe habuiſſe colloquia, & corde id deſideraſſe certum eſt, qui nō alio nomine dominum profitetur inueniſſe, hoc eſt, inuenimus nouum prophetam, vel virum ſanctiſſimum, ſed Meſſiam. Et protinus relictis retibus ſequuti ſunt eum. *Iam dominus loquutus fuerat, ad Andræam & Simonem, prout habetur Ioan.1. cæterum nūc illos vocat ad diſcipulatum, illi vero nihil hæſitantes, relictis omnibus ſequuti ſunt dominum, nec hoc certe mirū. Nam ſi quis rex terrenus, hominem artificem ad ſe vocaret, non vtiq; hæſitaret, atqui continuo ſequeretur, ſpe præmij temporalis. quanto magis ſequendus eſt dominus, qui neminem ſe ſequentem relinquit: Qui ſequitur me, inquit, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Reuerſis à prædicatione apoſtolis, iam proximus dominus paſſioni, ſecundum Lucam dixit: Quando miſi vos ſine ſacculo & pera; & calciamentis? nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil. dominus regit me, dixit David, & nihil mihi deerit. Non timeamus ergo ſequi Chriſtum dn̄m, nec hæſitemus, ſed confiſi & ſpe certiſſima ſciamus quia illi eſt cura de nobis, & vnicuique ſequenti, quod vtile eſt miniſtrabit. Hic etiam attendenda eſt, potentia verborum Chriſti domini, tanta enim vi corda mouebat: vt quemadmodum ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt: ſic ſuam diuinitatem oſtendebat, vocando quos ſibi elegerat, hos vnico verbo intus mouet & exterius, omnia relinquūt. Sic & Matthæus vnico vocatur verbo: ſequere me. Matthæi.9. Sic & Zachæus, hodie oportet in domo tua me manere, feſtinās deſcēde: fecit, hoſpitio ſuſcepit, & dimidium bonorum ſuorum pauperibus diſtribuit: & ſi quē fraudauit reddidit quadruplum. vox domini in virtute, prophetauerat David, vox domini in magnificentia. Non igitur leuitatis arguendi ſunt apoſtoli, qui vno verbo ſequuti ſunt dominū, ſed arguendum eſt ex hoc, verba Chriſti verba eſſe diuinitatis. Sic & apoſtolus Paulus, vnica voce, nō tantū conuertitur, ſed ad terrā*

proſternitur, ſed obcæcatur, ſed timet, ſed tremit dicens: Domine quid me vis facere? Attēde & nota verba maieſtatis, qui & ſi audientes non cogebat, neq; vim afferebat, quandoquidem & ipſi liberi erant, & poterant non obedire, nihilominus tanta ſuauitate, & ardenti amore, corda mouebat dominus, quòd omnes non reſiſtētes, ad ſe ſuauiter & liberè attrahebat. Et progreſſus inde puſillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, et ipſos componentes retia in naui, et ſtatim vocauit illos: Et relicto patre ſuo Zebedæo in naui, cum mercenarijs ſequuti ſunt eum. *Rationabiliter credēdum eſt, hoc cum patris indulgentia, feciſſe hos duos beatos apoſtolos, quos ſecūdum carnem, notum eſt filios eſſe Mariæ Solomeæ, beatiſſimæ Deiparæ Mariæ ſororis, & conſequenter conſanguineos eſſe domini. Quòd ſi quis ex hoc moueatur, dignitatibus cōſanguineos præferre, & beneficijs eccleſiaſticis cæteris anteponere, triplex illi reſponſum dabimus. Primo namq; vocatur Petrus & Andræas extranei, & conſanguineis præferuntur. Secundo vero, apoſtolatus officium, non honoris tantū, ſed doloris & martyrij fuit, quē admodum his duobus dominus reſpondit, cum dextrā & ſiniſtrā poſtularent: Poteſtis bibere calicem, quē ego bibiturus ſum? quibus reſpondentibus poſſumus, ait: Calicem quidē meū bibetis, ſedere autem ad dexteram meā vel ſiniſtram, non eſt meū dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. A dignitate excluduntur quam petebant, & calix paſsionis, & martyrij illis conceditur quem non poſtulabant. Tertio autē id dixerim, quando vtiq; conſanguinei, tantæ fuerint virtutis & ſapiētiæ, quòd alios excedant, vel coæquētur illis, tunc dignitates eccleſiaſticas, conferre non reſpuimus. Poſſumus etiam dicere, dominum hoc poſſe facere, qui hominū corda nouit, cuius velle ſumma iuſtitia eſt: Nobis autē, qui homines ſumus & ſæpe fallimur, hoc niſi adſit probata in conſanguineis virtus, non licere. Nota beati Iacobi virtus eſt omnibus, qui meruit abſciſione capitis Hieroſolymis, ab*

Herode primus omnium Apoſtolorum, martyrio coronari. Beatiſsimi autẽ Euangeliſtæ Ioannis virtutes, non ſufficiet tempus, vt eas enarrare poſsimus, qui perpetua virginitatis obſeruantia, cæteris altius meruit à domino honorari. Talibus igitur diſcipulis, talibus conſanguineis, aſſociatus dominus eſt. Ingrediuntur *inquit Euãgeliſta,* Capharnaum, & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogã, docebat eos & ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. *Doctrina Chriſti mirabilis fuit, præcipuè ex eius ſacratiſsimo ore prolata: quis enim non admiraretur, Deũ per humanitatis quam ſumpſerat organũ, verba ſalutis proferentẽ? Quemadmodum legimus Ioannis. 4. dixiſſe Samaritanæ, ciues Sichar: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audiuimus, de ore eius. Veram legis & prophetarum interpretationẽ afferebat, nihil cum loquebatur, aliud videbatur, quàm clariſsima lampas. Et ſaluator eius vt lampas, inquit Eſa. accendetur. omnia ad animarum ſalutem verba dirigebat, nihil oſtentationis gratia, nihil ſuis cõmodis, ambagibus retorquebat: cum opus erat, ſe dominum legis oſtendere manifeſtiſsima ratione oſtendebat, prout ex Matth. 5. aliqua paulò ſuperius adduximus, dicẽs: Audiſtis quia dictum eſt, ego autẽ dico vobis. vnde & poſt cœnam diſcipulis, de doctrina ſua dixit: Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: notãs certe incredulos Iudæos. Quòd autem in ſynagoga docet, in angulis hæreticorum prædicatam damnat doctrinam: publice decet chriſtianum hominem, dogma ſuũ proferre in publica eccleſia, non in occulto, ex publica ſcriptura ſermonem petere, non ex nouellis traditionibus: antiquitatem & vniuerſalitatẽ ſemper debet ſectari, quiſquis non vult errare. conditoris etiam doctrinam, ipſi rationi naturali conſonã prædicabat, verum, vt dicit philoſophus, vero conſonat, & falſo omnia diſſonant. Doctrina Chriſti ita perfecta, & omnibus numeris abſoluta eſt, vt animã legentis & ſcrutantis,*

totam

totam ad Deum rapiat & attrahat, quid vtiq; ab ore eius ſacratiſſimo audientibus prolatum putamus, niſi Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, vt inquit David, ſuper mel ori meo, à mãdatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. Hoc eſt, quod ardenter deſiderabat ſponſa dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis: non loquantur, ac ſi diceret, mihi iam Moyſes, non Dauid, non Solomon, non Eſa. & cæteri prophetæ, loquatur ipſe nobis: vbera tua lac dulciſſimæ doctrinæ continentia, meliora ſunt vino legis, vino veteris ſcripturæ. Itaque volentes ſincerè audire verba Chriſti, nimium proficiebant & conuertebantur. Calũniabantur porrò phariſæi, & ſcribæ, calumniantur vſq; in hodiernum diem perfidi Iudæi, quod iam olim ore proprio teſtati ſunt dicentes: loquatur nobis Moyſes, non loquatur nobis dominus. Iam cum egrederẽtur Ægypto, verba ſuæ perfidiæ protulerunt, dicentes Moyſi Exo. 20. loquere tu nobis, nõ loquatur nobis dominus. è contra Dauid, de iuſtis & bonis ait: Audiã quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, Et Samuel dixit: Loquere domine audit ſeruus tuus, Cui cum patre & Spiritu ſancto eſt honor gloria, & imperium in æternum. Amen.

mine à Deo inſitam virtutem, vt ille ferre non poſſet eius verba, quin obediret, iuſſiſq́ obtemperaret. Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilææ. *Talis doctrina, tales actus, rumorem augent. Conſuetum eſt, homines virtutes admirari: omnes miramur optime concionantem, ſed ea quæ audimus non facimus: eadem odia, eaſdem delitias ac cupiditates homines proſequuntur, audito optimo concionatore, quas prius: rumor tamen increbuit optime prædicantis.* Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cū Iacobo & Ioanne. *Vide duos fratres, commorantes in eadem domo, Petrū ſcilicet, & Andræam. Diſcite fratres vnanimiter viuere, non habere lites, nō iurgia, omnia inter vos paccata eſſe, ſummo ſtudio procurate. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Illa vbi pax eſt domus, meretur Chriſtū dominum hoſpitio ſuſcipere, & ipſum non ſolū illā introire, verum etiā miracula edere.* Recumbebat autē ſocrus Simonis febricitās, et ſtatim dicūt ei de illa, *Curā habere infirmorum, hoc edocemur exemplo, & illos non maleficis, non vetulis inania verba proferētibus, ſed domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa, oſtēdere.* Et ſtatim dicūt ei de illa, *hoc eſt, priuſquā aliquid aliud fiat, notū faciunt domino, ſocrū Simonis teneri magnis febribus. Prius enim cum infirmamur, ad Chriſtū confugere debemus, priuſquam corporaliū medicorum remedia quæramus, & toto ad illū corde conuerſi, peccata noſtra confiteri, eiuſq́ ſacratiſſimū corpus ſuſcipere, optimum deinde medicum conſulere, rationi conſentaneū eſt. quod & medicis cura eſſe deberet, nam hoc ipſi iure facere tenentur.* Et accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius: & continuo dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis: *Non quēadmodum qui natura, & medicamentis adiuti ſanātur, debilitate maxima per plurimos dies tenētur, auctor ipſe naturæ, ſanitatē præſtat: cæterū cum infirmitatis receſſu, priſtinas vires reddit: nec hoc ſit progeſſu tēporis, ſed con-*

cap. Cū infirmitas de pœnitentijs & remiſſionib⁹.

*tinuo, inquit Euangeliſta, dimiſit eam febris, & priſtinis reſti-
tuta viribus, miniſtrabat eis: ecce ſanati doctrinam, miniſtrabat
eis, inquit, vt ſciamus cũ aliqua infirmitate oppreſſi, ſanitati fue-
rimus reſtituti, non peccatis & mundo, ſed Deo debere deinceps
miniſtrare, eidemque in omnibus morem gerere.* Veſpere autem
facto, cum occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes male ha-
bentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas congre-
ga[illegible] ad ianuã, & curauit multos qui vexabantur varijs lan-
guoribus, & dęmonia multa eijciebat, & nõ ſinebat ea loqui,
quoniam ſciebant eum: *Hoc eſt ſic accipiendum, non ſinebat ea
hanc emittere vocem, ſcimus te ſanctum Dei,* non ſinebat ea
loqui, *hoc videlicet,* quoniam ſciebant eum, *non vult ſignificare
Euangeliſta, quòd ſciebant eum, ſed non ſinebat ea loqui hanc
propoſitionem, quòd ſciebant eum, quandoquidem mentiebantur:
ſed hoc faciebant immundiſſimi ſpiritus ſæpe, ad aliquam cogni-
tionem clariorem habẽdam, quàm potuit eorum princeps à Chri-
ſto habere in deſerto. More muſcarum importuniſſimi ſunt dæ-
mones, ſi ſemel inceperint aliquem peccato aliquo tentare, ſi non
poſſint hominẽ à Deo cuſtoditũ, deuincere ac ſuperare, aſſiduita-
te nimis importuni, omni hora illũ, cogitationẽ prauã immittẽdo,
proſternere contendũt: idcirco dixi muſcarũ more, muſcã namq;
ſi à te, vel à menſa abigere volueris, quo ſæpius abigis, ſæpius &
ipſa priorẽ, à quo abacta eſt locũ repetit. ſic cacodæmon, cœpit tẽ-
tare dñm, & videre an ipſe eſſet Chriſtus Dei filius in deſerto,
quoties ferme ab obſeſſis corporibus abigitur, toties iterũ clamat,
tu es ſanctus Dei, tu es filius Dei, ſcio quòd ſanctus Dei ſis. Quo
niã vero mentiebatur, qñ hoc nunquã potuit pro certo cognoſce-
re, & ſi multas habuerit coniecturas: dñs nõ ſinebat ea loqui, &
dicere,* quoniã ſciebant eũ. Et diluculo valde ſurgens, egreſſus
abijt in deſertũ locũ, ibiq; orabat. *Prædicatoribus & prælatis,
exemplum ſui officij: manifeſtum præſtans, poſtquam enim præ-
dicauerint orationi vacare non deſinãt, vt quæ alijs facienda an-*

nuncia

nunciauerūt, & illi & ipſi opere adimplere nō negligant.mixtam vitā oſtendit etiā dn̄s, quæ præſidentiū in eccleſia eſt, proximorū ſcilicet ſaluti eſſe intentos, deinde cū hoc fecerint orationi vacare. Et proſequutus eſt eum Simon; & qui cum illo erant. *Andræas, Iacobus, vtiq́, & Ioānes: Simonis primo mentionē facit, quaſi ipſe dixerit cæteris: Eamus & inquiramus eū. ſemper eius vicarius futurus, in feruore inuenitur primus:* Et cū inueniſſent eū dixerunt ei, quia oēs quærunt te. & ait illis. Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt ibi prædicē, ad hoc enim veni: *Nec enim ſoli Capharnau dn̄s miſſus erat, ſed vt ipſe dixit, ad oues quæ perierūt domus Iſraël. Oportebat enim per oīa loca diſcurrere, vt Euangeliū notū fieret in omni Iudæa, & audirent ex ore eius, quē apoſtolus Paulus vocat miniſtrū, hoc eſt prædicatorē circuncıſionis, ad Romanos.15. dicēs: Dico enim Chriſtū Ieſum, miniſtrū fuiſſe circunciſionis, propter veritatē Dei, ad confirmādas promiſſiones patrū. Diſce qui præes, oues tuæ ditionis viſitare, & verbo in fide & virtute roborare.* Et erat prædicās in ſynagogis eorū: *non tantū in vna, ſed in ſynagogis eorū.* In omni Galilæa, & dæmonia eijciēs. & venit ad eum leproſus deprecans eum, & genuflexo dixit, ſi vis potes me mundare: Ieſus autem miſertus eius extendit manū ſuam, & tangens eum ait illi: Volo, mundare. & cum dixiſſet ſtatim diſceſsit ab eo lepra, & mundatus eſt, & dixit ei: Vide nemini dixeris, ſed vade oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro mundatione tua quæ præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. at ille egreſſus cœpit prædicare et diffamare ſermonem: ita vt iam non poſſet manifeſte introire in ciuitatem, ſed foris, in deſertis locis eſſe: et conueniebant ad eum vndiq;. *Hunc primū eſſe leproſum, quē mundauit dominus, facile oſtendunt Matth. cap. 8. & Luc. cap. 5. qui, cū deſcendiſſet dn̄s de monte, poſt illū promulgationis Euangelicæ legis, longum ſermonē, continuo inducit hūc leproſum procubuiſſe ad pedes domini. & Luc. ait: cū eſſet in vna*

ciui-

ciuitatum, hoc eſt, veniſſet in vnam ciuitatum: extra ciuitatem, ſed non nimis longè, ſolet eſſe habitatio leproſorum: extra, ne cõtagione ſua plurimos inficiat: non longè vt illis neceſſaria, commode poſsint miniſtrari. Non mireris ſi ſeparat eccleſia peruerſos homines, & qui ſua peſtifera conuerſatione plurimos corrumpunt, ſi leproſi tanta deligentia, à cœtu ſeparantur hominum: quanto magis qui vel fide vel moribus errat, lepra hæreſis, vel prauæ conſuetudinis, à conſortio debet ſeparari cæterorum fidelium. Genu flexo accedit, obedientiam & reuerentiam, quam pœnitens ad confeſſarium debet habere, longe præoſtendens: Si vis potes me mũdare, *videtur de diuinitate dñi bene ſentire: Quis enim alius, cũ vult, præſtare poteſt ſanitatẽ, niſi ſolus Deus. Nã viri ſancti precibus impetrãt: volũtate autẽ Dei, ſctõrũ precibus patrãtur miracula. Leproſus vero ait:* Si vis potes: *ac ſi diceret, omnia tibi poſsibilia ſunt, nihil poteſt obſtare ſi velis, ſi vis potes me mũdare.* Ieſus autẽ miſertus eius, *cui propriũ eſt miſereri, nõ continet in ira ſua mĩas ſuas: miſeretur Ieſus: & quis eſt qui miſericordiã ab eo poſtulet vero corde, qui nõ impetret? & ſi aliquãdo nõ quod poſtulat, nihilominus ſemper quod expedit donat. nec dñs miſeretnr queẽadmodũ homines compati ſolent, qui aliquãdo compatiuntur, non tñ proximis quibus condolent, præſtãt: Atqui* Ieſus autem miſertus eius, extendit manũ ſuam & tetigit eũ dicẽs: Volo, *ac ſi diceret, duo propoſuiſti, & quod poſſum te mundare, & id ſi volo poſſum facere. ad illud quod ais* ſi vis *dico tibi* volo: *ad aliud quod petis mundari,* mundare: & ſtatim diſceſsit ab eo lepra & mundatus eſt. *Sperandi nobis ſemper datur exẽplũ, nõ enim dñs qui ſemper potẽs eſt, deficere à ſua poteſtate põt, nec à ſua pietate, fons eſt inexhauſtus, ſemper pullulans, ſemper mĩa manans, venas potentiæ ſuæ nemo obturare, nemo miſericordiæ ſuæ fluxũ rumpere poteſt. Et ſperent in te, inquit Dauid, qui nouerunt nomen tuũ, quoniã nõ derelinquis quærẽtes te dñe. Tetigit dominus leprã, per quã hæreſes & peccata deſignãtur, vt noſ-*

noſcamus, eum qui in hæreſim vel peccatum lapſus eſt, non niſi manu domini poſſe à peccato reſurgere. Rurſus autẽ, vt quẽadmodũ potentiã diuinitatis, iſte leproſus ſignificabat dicens: Si vis potes, *ſic etiã humanitatẽ agnoſceret, inſtrumentũ & organum eſſe deitatis, cuius tactu ſalus dabatur credẽtibus, & dixit ei,* vide nemini dixeris, *ad noſtram vtiq; inſtructionẽ præcipitur tacere, ne laudes bonorũ operũ exterius quæramus, quin etiã omniũ bonorũ Deo laudes offeramus, cuius gratia operamur. quidquid boni agimus, facimus vtiq; liberi, ſed tanquã puſilli, tanquã infirmi, à gratia mouemur & iuuamur, quẽadmodum infantes, dum prima elementa calamo exaranda traduntur, ſuper manum paruuli, illum inſtruẽs Magiſter, ſuã ſuperponit manũ, vt recte elementa depingat. vel quẽadmodum debilis infirmus, & per ſe mouetur dum ambulat, & audiutorio vtitur alterius: Sic nos miſeri infirmi, & puſilli, à gratia mouente iuuamur, quatenus bene facere poſſimus. Quapropter, quidquid operamur, ad Deũ gratiã præſtantem referimus, & ipſe Deus opera noſtra cõdignis præmijs remuneratur. Attendens etiam nos liberam voluntatem, bonis operibus exhibuiſſe,* ſed vade, *inquit,* oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tuà quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis. *Quod habetur Leuit. 14. voluit dominus leproſum legem ſeruare, ne contrarium legi Iudæi dominum accuſarent. Inſuper vt ipſe leproſus, & diſcipuli eius, omniſque populus dominum conſpiceret, legis ſeruatorem. Ille vero, lætitia magna ſanitatis non ſe continere potuit, quin prædicaret & diuulgaret quod factum fuerat, gratum ſe Chriſto oſtendens, & deſiderans omnes ad illum confluere. Itaque factum eſt vt præ hominum concurſu, non poſſet dominus introire in ciuitatẽ manifeſte, ſed foris in deſertis eſſe, ſed nec illic a frequẽtia populi ſecuri morabantur, nempe confluebant ad eum, inquit Euangeliſta, vndiq. Soli igitur illi, cũ patre et ſpiritu ſancto, ſit gloria, gratiarum actio, & imperium per æterna ſecula. Amen.*

Tra-

TRACTATVS PRIMVS
In cap. Secundum beati Marci.

ET ITERVM intrauit Capharnaum poſt dies octo, & auditum eſt quòd in domo eſſet: & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. *Quanta deuotione & concurſu conueniebat populus ad Ieſum, ſanctus proponit nobis Euangeliſta, vt audirent verbum Dei, & illa ſuauiſſima præſentia fruerentur. Docet vtique nos Capharnaitarum gens iſta, quanto debeamus affectu ad verbum Dei audiendum concurrere, & ad ipſam ſacram in eccleſia domini præſentiam, & ſi velatam, adorandã conuenire. Dũ igitur verbum Dei loqueretur dominus,* Venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui á quatuor portabatur: Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. Cum autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis: Quid hic ſic loquitur? blaſphemat: Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dixit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? quid eſt facilius, dicere paralytico, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere ſurge tolle grabatum tuum, & ambula? Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabato, abijt inde coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, &

hono-

honorificarent Deum dicentes: Quia nunquam ſic vidimus. *Solemnis huius paralytici curatio, & ipſius & portantium fides admiranda eſt. Proculdubio reor, ipſum paralyticum vel rogaſſe hos quatuor ſuos portatores, vel ſaltem permiſiſſe ſe portari ante conſpectum domini. Qui æger eſt quantũq́ reſolutus iaceat, dominico ſe faciat portare conſpectui, fide non hæſitãs à quacunq́ diuturna etiam peccandi conſuetudine, poſſe ſanari. Quicunque etiam propinquum ſanguine vel amicitia conſortẽ habet, qui peccatis deditus, totus virtute deſtitutus ſemimortuus iacet, nõ deſinat precari dominum, cum audiat ipſum ad portantium fidẽ aſpexiſſe: quòd ſi præ turba ad ianuã aſtantiũ ſecularium hominũ, qui ſæpe à bono peccatores auertunt, contrariaq́; virtuti conſulunt, conſpectui domini præſentari non poſſit, per tectum ſe ſubmittat, aſcendat ſuperiorem domus partem, rationiq́; intelligat conſentaneũ eſſe, pro ſalute animæ nihil eſſe omittendum, quantumcunq́ difficile & extraordinarium ſit.* Cum vidiſſet ergo Ieſus fidem illorum, *& etiam paralytici accipienda eſt, qui ſe vel portari præcepit, vel permiſit ante Ieſum,* ait paralytico: Fili dimittuntur tibi peccata tua. *Huius neruorum reſolutio, flagellum vtiq́; impenſum pro peccatis fuit, aliàs non diceret dominus, cum & paralyticus & ſui portitores non animæ ſed corporis ſalutem quærerent,* remittuntur tibi peccata tua: *Peccata vtiq́; quibus membrorum reſolutionem pateris, remiſſa ſunt tibi. Sublata igitur per me, qui peccata poſſum dimittere, cauſa, non erit difficile quin paralyſis pœna peccatis impoſita auferatur. Supra mentionem fecimus (cum de ſalute ſocrus Simonis ageremus) quanta cura & ſolicitudine infirmi, & qui eorum curam habent, mediciq́; qui aduocantur, prius per confeſſionem, & ſanctiſſimi corporis domini ſumptionem, animæ ſaluti occurrere teneantur: deinde medela corpori adhibeatur, ne prout ſæpe contingit, dum pro aliquo crimine infirmus patitur, ſalutem corporis conſequi minime poſſit, niſi prius omnia peccata*

radi-

radicitus extirpentur,quæ infirmitatis cauſa fuere,ſicut qui infixam pedi habet ſpinã, vel cui ferrum ſagittæ corpori infixũ eſt, quantũcunq; imponantur medicamenta nihil proſunt,niſi prius extrahatur infixa ſpina vel ferrũ.Medicus igitur cœleſtis prius peccatorum ſpinas extrahit,deinde corpori in pœnam peccatorum viribus deſtituto,ſanitatem largitur.Hoc miraculo maxime domini diuinitas comprobatur,quantũcunq; profecto phariſæi intra ſe verbum remittuntur tibi peccata tua,*plaſphemũ eſſe iudicabant,eo quòd ſolus Deus dimittere poteſt peccata:tanto certe magis domini diuinitas oſtendebatur,cum in teſtimonium poteſtatis dimittendi peccata,quod ſolius Dei eſt,admirandã paralytico & ſubitam, robuſtamq́ præſtitit ſanitatem,ita vt qui à quatuor portabatur ipſe continuo iam ſe & grabatũ ferre poſſet.Nihil habent quo ſe tegere poſſint,qui Chriſti diuinitatem negãt,qui,* Vt ſciatis,*inquit,* quia filius hominis habet in terra poteſtatem diuinam,*hoc eſt vt ſciatis quia Deus eſt.*Surge tibi dico tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. *Miraculum equidem in natura,ſolus Deus poteſt facere,& Deus Chriſto dicente:vt ſciatis quia Deus ego ſum qui dimitto peccata,cum per vos dictum ſit,Deus ſolus dimittere peccata poteſt: hoc miraculum in teſtimonium huius veritatis fecit. Igitur verum eſt Chriſtum dominum verum eſſe Deũ:longe ante Dauid prophetauit:Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis,domum tuam decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Non vtique teſtimonia domini parum credibilia facta ſunt,ſed credibilia nimis:eccleſiam tuam,hæc eſt domus eius,decet ſanctitudo. Sancta vtique eſt in æternum,in longitudinem,inquit, dierum: Qui in te credunt,qui in vna ſunt fide orthodoxa adunati,veri ſunt non mendaces,vera credunt non falſa, ſicut Iudæi, ſicut hæretici, & alij fidei aduerſarij. Mirantur aſsiſtentes,tantam potentiam,tam ſubitam operationem,& vnico verbo vidiſſe hominem viribus & neruis deſtitutũ,leuatũ, ambulantẽ,grabatũ por-*

portantem, & Deo gratias reddebant dicentes: quia nunquam ſic vidimus. *Nec nos quidem ſic vnquã vidimus, ſiquidem omnes in Chriſto credimus, qui talia ſuæ diuinitatis præſtitit teſtimonia, & vitam à fide omnino diſcrepantem habemus, ita vt iam per nos nomen Dei blaſphemetur inter gentes, cum omnes dicant, ſi iſti Chriſtiani credunt Dei filium dominum Ieſum Chriſtum, vnde inter illos bella, rixæ, lites, morum diſſolutio, & totius iniquitatis patratio? quibus reſpondemus, peruerſi ſanè ſumus, paralytici in peccatorum lecto iacemus, veruntamen lex ſancta, Euangelium ſanctum: & pœnitentes poſſumus cum paralytico ſanari & ſaluari, quod infidelibus non eſt datum, quouſq; credant verum eſſe Deum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria in æternum. Amen.*

In cap. II. beati Marci.

ET egreſſus eſt rurſus ad mare, omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos. & cū præteriret, vidit Leui alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me. & ſurgēs ſequutus eſt eum. Et factum eſt cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius: erant enim multi qui ſequebātur eum. Et ſcribæ & phariſæi videntes, quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magiſter veſter? hoc audito Ieſus ait illis, non neceſſe habent ſani medico, ſed qui male habent, non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Nullam requiē dabat dominus corpori ſacratiſſimo ſuo: lectione præterita audiuimus eum docentem in domo, nunc egreſſus ad mare, non aliquod ſumpſit ſolatium, ſed docebat populum. docens nos vtique dum ſpiritum ducimus, ſemper Dei obſequijs nobis eſſe inſiſtendum, nec vllam ocioſam horam prætereūdam, ſed ſemper nobis vel bonis operibus occupatis, & noſtræ, vel proximorū ſalutis rationē eſſe habendam: ſic bene edoctus beatus apoſtolus Paulus. 2. Corinth. 2. ait, Cum veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in domino, non habui requiem ſpiritui meo. Et in eadem epiſtola cap. 7. inquit: Nam & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra. Proprium eſt diſcipulorum Chriſti non ocioſe viuere, ſemper vt quid boni agant quærere, ſemper aliquo bono & vtili opere occupari. Multa proculdubio ocioſis ſolēt mala euenire. Dina filia Iacob ocioſe diſcurrens, rapta eſt à Sichen filio Emor, gen. 34. Dauid ocioſe deambulās in ſolario ſuo, cupiditate exarſit Berſabeæ. 2. Reg. 11. vnde poſt adulterium, ſubſequutum eſt homicidium. Proinde cum dominus vellet rationem reddere eorum,* quo-

quorum nouiſſima fiunt peiora prioribus, qui ab vno dæmone tentati, illo fugato tentantur à ſeptem, inducit ipſum immundũ ſpiritum loquentem & dicentem: Reuertar in domum meam vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem, & ingreſſi habitant ibi & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus, Matth. 12. Rationem igitur quam affert finis peioris principio illa eſt, quia domum dæmon vacantem, ocioſam ſcilicet, nihil operantẽ, nihil agentem inuenit. Quid ad hæc noſtræ tempeſtatis hæretici dicturi ſunt? qui omne opus deſtruunt, & nullis volunt homines orationibus occupari, nullis ſacrificijs adeſſe, nullis ieiunijs corpus macerare, nullis vigilijs extenuari. dominus in deſerto pernoctat in orationibus, prout ſupra cõmemorauit noſter Euangeliſta, tota die prædicatione & miraculis occupatur: ſemper itaq; occupatur vt nobis proſit, & ſimul præbeat exemplum. Et cũ præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: ſequere me: Et ſurgens ſequutus eſt eum. *Mira Chriſti filij Dei ſapientia, futuri erant hæretici, qui leuitatis ad ſequendum dominum notarent apoſtolos dicentes, homines pauperes & ſecundũ ſeculum abiectos, inconſiderate illum fuiſſe ſequutos. Propterea nunc ſuæ diuinitatis volens oſtendere virtutem, & quanta cum ratione cæteri vocem eius audientes, illum ſequuti ſunt: Diuitem Matthæum, & ſeculi & diuitiarum cupidum, vnico verbo ſecum trahit, quod à principio volumus repetere, ad hæreticorum retundendam audatiam, & catholicorum fidem roborandam, qui duas ſcripturæ ſacræ ſententias falſo inductas, quemadmodum cæteras ſcripturas deprauant, aduerſus domini ſanctos apoſtolos afferunt: illa prima eſt eccl. 19. Qui credit cito, leuis corde eſt, & minorabitur. quod ſecus apoſtolis euenit, qui non minorati, ſed nimis honorati ſunt. Altera Eſa. cap. 28. Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem angularem, lapidem probatum, precioſum in fundamento fundatum, qui crediderit non feſtinet. ſeptuaginta tranſtulerũt, qui crediderit non confundetur:*

D ſic

Sic adducit beatus Petrus prima epiſtola capit.2.his verbis: Qui crediderit in eum non confundetur: Hoc eſt non verecundabitur, nec facies eius rubeſcet, quẽadmodũ ſolet facies eorũ, qui cõfunduntur. Pro erubeſcere poſuit beatus Hieronymus feſtinet, qui enim feſtinant etiã facie rubeſcunt, igitur non feſtinet pro nõ rubeſcat, ideſt non erubeſcet: Prophetia hæc de Chriſto eſt prænuntiata venturo. Feſtinauerunt apoſtoli ad credendũ, ſic mẽdax Porphyrius blaſphemat in ſanctos: cui nos luce clarius reſpondemus, ſanctos apoſtolos, & cæteros in Chriſtũ credẽtes, non ſic feſtinanter, non ſic cito crediſſe, quemadmodum illis iſti hæretici opponunt: quod profecto primo probamus, ex tempore: Chriſtus dominus promiſſus fuit Abrahæ & Dauidi: Abrahæ, In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes, gen.15. non dicit, inquit apoſtolus Paulus Gal.3. in ſeminibus quaſi in multis, ſed in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Et Dauidi: De fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. & illud: Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. & alibi: Dominus dixit ad me, filius meus es tu &: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. A natiuitate Abrahæ dominus natus eſt, anno ſecundo milleſimo quinto decimo: ab vnctione Dauid in regem, anno milleſimo trigeſimo ſecundo. Eſa. prophetauit tempore Oziæ, qui à Dauid ſeptimus rex fuit. Computato igitur tempore, qui crediderunt Chriſto domino vocanti & prædicanti, non feſtinauerunt vtiq;, nec cito crediderunt: quinimo ſuo tempore crediderunt à tot millibus annis expectato, quando ſcilicet iuſtus Simeon expectabat redemptionem Iſrael: quando Iudæi miſerunt ſacerdotes & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? Tantuſque increbuerat rumor aduentus Meſſiæ, quòd vſque ad Samaritanos peruenerit, dicente muliere illa paupere Samaritana domino: Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo venerit ille annunciabit nobis omnia, nihilominus tamen ter fuere apoſtoli illi quatuor primi, Petrus, Andræas: Iacobus, &

Ioan-

Ioannes vocati. Primo adduxit Andræas Petrum fratrem ſuũ, ad Chriſtum dicens illi: Inuenimus Meßiam, Ioannis.1. Deinde prout legimus Luc.5. In captura miratum Petrum piſcium, vocauit illum dominus cum cæteris tribus. vltimo autem vocati ſunt ad mare Galilææ, prout narrat beatus Marcus, præcedenti cap. Nunc autẽ vocatus Matthæus: num feſtinare dicitis beatos viros ad credẽdum Chriſto, poſt tot millia annorum pronuntiato, omniq; iam prophetia adimpleta? illa ſcilicet Iacob, de ſceptro amiſſo, Moyſi de propheta ſui ſimili, Balaam, Danielis, Aggæi, Malachiæ, de quibus ſatis ſupra cap.1. tracta.4. diſſeruimus. Leues corde dicendi non ſunt, qui ſequuti ſunt dominum, ſcientes tempus adimpletum: quinimo ter vocati, viſis aliquot miraculis: prout fuit illud tranſmutationis naturæ aquarum in vinum. & tanta piſcium captura, Luc.5. quibus duæ nauiculæ penè mergebãtur. Deſine, deſine hæretice ab ira & relinque furorem, noli æmulari vt maligneris, non vtique cito crediderunt, ſed maturo crediderũt tempore, maturoq; conſilio ſanctißimi viri. Diues erat Nicodæmus & princeps Iudæorũ, hic cognoſcẽs tempus aduentus Meßiæ adimpletum venit ad dominum. diues erat Ioſeph ab Arimathia: diues erat Zachæus: diues de quo nunc loquimur Matthæus. nõne & Gamaliel & Saulus diuites erant? & vnico verbo ad terram proſtratus Saulus ait, domine quid me vis facere? Non igitur poteſt quiſpiam hæreticorum calũniari ſanctos apoſtolos cito nec feſtinanter, ſed congruo & maturo tempore credidiſſe: neq; paupertas illorum fidei obijcienda eſt, cum multi diuites eandem fidem ſuſceperint. Poſt aduentum autem ſpiritus ſancti, quàm maturè crediderint apoſtoli & domini diſcipuli, manifeſtum fuit vniuerſo orbi: Multa turba proculdubio ſacerdotum obediebat fidei, actuum.6. hi diuites erant. deinde quot Imperatores, quot diuites crediderunt, ſi enarrare voluerimus deficiet nobis tempus. Quanto melius hæretice præmeditares diuinum verbum, per os illius ſacratißimæ

Gen. 49. Moyſi Exo. 18. Balaã. n. 24. Danie.9. Aggæi.1. Malach. 3.

humanitatis aſſumptæ, tantæ virtutis eſſe vt corda ad ſe traheret non reſiſtentibus prauo corde, & dulciſſimo verborum ſonitu, animas liquefaceret: prout ſponſa prædixerat in cãticis: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt. Magnes attrahit ferrum ſua virtute, & verba domini, tu non vis attrahant corda? Fecit autem domino Leui conuiuiũ in domo ſua, vt poſſet cum ſponſa dicere: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Non paruum eſt miraculum, hominem in negotijs telonei abſorptum (ſiue teloneum dicas vectigalium receptorem, ſiue pecuniæ augendæ campſorem) vno verbo, in alium virũ permutari. Nec parũ etiam mirandum eſt, verbum incarnatum, in domo peccatoris, ſic accubuiſſe, ſic manducaſſe. Iam iam inflati ſcribæ & phariſæi, omnes homines, præter ſe ipſos deſpiciẽtes murmurabant. Quare cũ publicanis et peccatoribus manducat magiſter veſter? *Genus hoc detractionis, etiam ad nos vſque peruenit: non deſunt ſane qui detrahant ſanctis viris, ſi illos viderint cum deſpectis & peruerſis viris ſermones habere: ſunt etiam viri potentes & diuites, aliud pſeudo chriſtianorum genus, pauperes & humiles deſpicientes, qui neque animarum miſeriam condolent, nec indigentium corporibus ſubueniunt. Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus vtriſque reſpondet:* Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui male habent: nõ enim veni vocare iuſtos ſed peccatores. *Illi phariſæi & ſcribæ, ſe ſanos exiſtimabant, cum eſſent nimis infirmi: publicani & peccatores ſe infirmos fatebantur, ideo cœleſtis medicus illis relictis, iſtis medicinam afferre curabat. Nulla profecto grauior ac proinde perículoſior infirmitas eſt illa, quæ ſic attonitum & extra ſe reddit ægrotum, vt ſe ſanum eſſe ſibi perſuadeat, ſic dicit beatus Ioãnes Apoc. 3. præpoſito Laodiceæ: Dicis diues ſum, & locupletatus, et nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis & pauper, & cæcus & nudus. Ex hoc autẽ ſemper apud philoſophos, & præcipuè apud nos chriſtianos, ſui cognitio per quàm maximè commen-*

men-

mendata eſt: Qui enim ſe non cognoſcit, quid nam boni faciet? Nihil profectò poteſt rectè extra ſe agere, qui ſe ipſum intra ſe non cognoſcit. Nam ſi ad te veniret agricola, hirtis & hirſutis capillis paleaque inuolutis, manibus fœdatis, facie puluere plena, pannis obſitus: & ſe regem diceret, velletque ab omnibus venerari, ciues ſodaleſque ſuos pro nihilo haberet: non ne illum ſtultum exiſtimares, irrideres & illuderes, illique acclamares: noſce te? certe faceres. Sic igitur homini ſuperbo, cæterosque contemnenti, quantumcunque ipſe ſit magnus, quantumcunque diues, ab omnibus acclamandum eſt: O homo quid ſuperbis? quid peccatores deſpicis, quid te extollis: vt quid te ſanũ reputas cum ſis miſer, nudus & cæcus? Noſce te, noſce naturam tuam fragiliſsimã, corpus tuum pelle coopertum, quod niſi Deus optimus maximus faceret, quis poſſet ſe conſpectui aliorum offerre? omnes vndiq; foueas peteremus, ne inuicem nos abſtracta pelle conſpiceremus. Nihil enim aliud eſt corpus pelle ſuperindui, quàm ſterquilinium, ſerico pãno contegi. Quiſquis igitur vult ſanitatem, conſequi ſe agnoſcat, ſe peccatorem fateatur, nemo de ſua virtute glorietur, nemo ſibi arroget & nimiũ tribuat, vel de animæ virtute, vel corporis pulchritudine, ſeu ſanguinis claritate præſumat. Qui gloriatur, inquit apoſtolus Paulus, in dño glorietur: à quo cuncta bona ſuſcepit, & animæ virtutem, virtutumq́ dotes, & corporis ſpeciem, & ſanguinis nobilitatẽ. Principium totius conuerſionis ad Deum eſt, cognoſcere ſeipſum, prout fecerunt hi publicani & peccatores. principium totius defectionis à Deo eſt, quando quis ſeipſum non cognoſcit. ſcriptum namq; eſt: Initium omnis peccati ſuperbia: à qua notum eſt, ortum habere ſui defectus cognitionem: propterea merito dicitur, & principium totius perditionis eſſe, ſui ignorantiam. Cæterum cum humilitas ſit omnis exaltationis principium, ſecundum domini ſententiam: Et qui ſe humiliat exaltabitur: humilis porrò ſui ipſius & ſuorum defectuum, veram habet cognitionem. Qua de cauſa

dicitur principium omnium eſſe virtutum, ſui ipſius cognitio & id merito. Hanc igitur vt habeamus, inſudare & totis viribus huic ſcientiæ incumbere oportet. Illi vero qui multa de alijs, pauca, vel nulla de ſe ipſis ſciunt, ſimiles hijs ſunt, qui proprio ignorato idiomate, vel quæ in propria ſua ſiunt domo, totius mũdi ſe gaudent notitiam habere linguarum, & negociorum. O miſeri, quanta ſæpe narrant de his quæ geruntur hîc ac illic, cum autem ad ſe perueniunt omnia penitus ignorant, nihil de ſe ſciũt quod verum ſit, omnis quam de ſe habent eſt falſa notitia. Oremus igitur chariſsimi dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt nos illa ſuauiſsima voce qua Matth. vocauit, ad ſe traxit, & ſeipſum noſcere fecit, vocare dignetur, & ad ſe qui ſumma eſt veritas attrahat atque rapiat, dicentes cum ſponſa. Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus: Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria in æternum. Amen.

In cap.II. beati Marci.

ET erant diſcipuli Ioannis & phariſæorum ieiunantes:& veniunt & dicunt illi, quare diſcipuli Ioannis & phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant?& ait illis Ieſus,nunquid poſſunt filij nuptiarum quandiu ſponſus cum illis eſt ieiunare? quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt ieiunare,venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus,& tunc ieiunabunt in illis diebus. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri,alioquin aufert ſupplemẽtum nouũ à veteri,& maior ſciſſura fit.Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin diſrumpet vinum vtres,& vinum effundetur, & vtres peribunt:ſed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. *Ex hac lectione monemur mentes ieiunãtium, & ipſa ieiunia diſtinguere: ieiunabant Ioannis diſcipuli à ſancto ſuo magiſtro edocti:ieiunabant phariſæi hypocritæ ad decipiendos populos,quemadmodum legimus dixiſſe dominum: Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes,exterminant enim facies ſuas,vt appareant hominibus ieiunantes,Matth.6.ſic & orabant orationibus prolixis,domos expoliantes viduarum.Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ,qui comeditis domos viduarum,orationes longas orantes,propter hoc amplius accipietis iudicium. Ab intentione interiori, exteriora diſtinguntur opera, hoc nouit Deus qui iudex eſt cordium.Diſcipuli Ioannis facile decipi potuerunt à Phariſæis,quorum ordo religionis præcipuus, apud Iudæos inter cæteros habebatur:vidẽtes diſcipulos Domini,non ſua frequẽtia obſeruare ieiunia,detrahi nimis perfectioni eis videbatur,non tanta quemadmodum & illi ieiunia,Domini diſcipulos facere. Adhuc imperfecti neſciebant,quod et poſtea apoſtolus Paulus Romanis ſcripſit cap.14. Qui manducat,Domino manducat,& gratias agit Deo:& qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo: Neque*

D iiij præter

prætermittendum eſſe arbitror, quantum bonis noceat malorum conuerſatio, maximè ſi ſub aliqua boni ſpecie ad aliquid faciendum, vel dicendum inducantur. Ecce Ioannis diſcipuli totius virtutis exemplar, dum aſſociantur phariſæis, de domini diſcipulis malè ſentiunt: quòd & ſi calumniandi gratia phariſæi dixerint, quare diſcipuli tui non ieiunant, Ioannis diſcipulos magis diſcendi quàm calumniandi gratia id dixiſſe exiſtimandum eſt, quanquam bonorum non minima tẽtatio eſt, cum illos aliqua ſubrepit ambitio vel inuidia, non bene de proximorum virtute ſentiũt. Ideo non ab re ſuſpicandum eſt, Ioannis diſcipulos aliqua fuiſſe æmulatione permotos, maximè cum viderent opera domini clariora eſſe quàm Ioannis. Inuidia igitur correpti, videntur & ipſi conqueri: quare diſcipuli domini, qui ſanctitate Ioannem ſuperabat, nõ ieiunarent: Nam ſic legimus illos permotos fuiſſe, cum viderent populum apud dominum eſſe frequentiorem quàm apud Ioannem: & plures habere ipſum dominum diſcipulos, Ioannis .3. & dixiſſe Magiſtro ſuo: Rabi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat: & omnes veniunt ad eum. quibus reſpondit Ioannes, non poteſt homo accipere quicquam niſi fuerit ei datum de cœlo, ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quòd dixerim, non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum, qui habet ſponſam ſponſus eſt. Cauenda igitur eſt etiam bonis ambitio & inuidia, quibus aliquando occulte per moti, exiſtimant ſe bene facere male ſuſpicando, & de alijs eiuſdem officij vel prædicandi vel docendi detrahere non verentur. Innocens dominus, cuius diſcipuli aliquãdo ſic ieiunabant, vt fame aſtricti ex ſpicis grana confricata pro pane ſumerent, prout in hoc cap. paulò inferius legitur: & aliquando iam veſpertina hora, quinq; ordeaceos panes & duos piſces tantũ ſecum ferrent, de quibus dominus ſaciauit quinq; hominum millia, homines innocentes tuetur, & illũ ieiunandi modum phariſæorum & Ioannis diſcipulorum non reprehendit: tempus

vero

verò ieiunij ſuorum prænunciat dicẽs: Non poſſunt filij nuptiarum quandiu cũ illis eſt ſponſus ieiunare, tolletur ab eis ſponſus & tunc ieiunabunt. *Tempus magnæ lætitiæ fuit Chriſti domini conuerſatio, & qui illi maiori familiaritate adhærebant, maiori ſemper perfundebantur alacritate, tum illum videndo, tũ audiendo, tum videntes tam crebra, & inaudita miracula perpatrantem: vnde & ipſe dominus, dicebat illis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quòd multi prophetæ & Reges, voluerũt videre quæ vos videtis, & nõ viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt. ſponſum Chriſtum dominum animarum eſſe, iam diu prædixerat Eſa. cap. lxij. Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius: & ſaluator eius, vt lampas accendatur: & videbunt gentes iuſtum tuũ, & cuncti reges inclytum tuum. Et paucis interpoſitis: Habitabit iuuenis cum virgine (quod de ipſo ſaluatore, cum virgine deipara matre, vel de Ioſeph ſponſo eius, ab omnibus accipitur) & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. Et iterum dicit Eſa. cap. lxj. Gaudens, gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me: quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis: dotem magnam donauit ſponſus ſponſæ, ſanguinem vtique ſuum. Filij igitur harum nuptiarum, vel ſi accipiantur nuptiæ hæ à verbo diuino, dum ſibi adiunxit humanam naturam, quam omni genere gratiarum dotauit, dono & virtutum, ſic proculdubio decens erat, omnibus ornari virtutibus humanitatem illam, quæ taliter diuino erat coniungenda verbo, vt Deus eſſet homo, & homo Deus: nõ poſſunt lugere quandiu gaudent, in præſentia tanti ſponſi, de quo Dauid prophetauit pſal. xviij. Et ipſe tanquã ſpõſus procedẽs de thalamo ſuo.* Auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt: *alia ieiunia, non veteris legis quæ aboletur, ſed ieiunia innocentiæ,*

ieiu-

ieiunia non ceremoniarum,ſed in cordis ſimplicitate ſument cibum,& ieiunia lætitiæ celebrabunt,non ſicut hypocritæ triſtes, qui ſuas exterminant facies,vt appareant hominibus ieiunãtes: ſed crebra & læta celebrabunt ieiunia,prout ipſemet ſponſus, ſe illis primo exemplum præbuit,qui ieiunauit in deſerto quadraginta diebus,totidemq́ noctibus,vt primo cap.dictum eſt. Quod nec colligere negligas aduerſus neothericos hæreticos,qui ventri deſeruientes ieiunia tollunt:vide ieiunantem dominum,poſtquam baptizatus eſt:vide annunciantẽ tempus ieiunij diſcipulorum, ſcilicet, cum auferetur ab eis ſpõſus, tunc ieiunabũt, *quod perſæpe fecerunt,prout etiam legimus in actibus Apoſtolorum cap. 13.Miniſtrantibus illis Domino & ieiunantibus,dixit illis ſpiritus ſanctus:Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.tunc ieiunantes & orantes imponentesque eis manus,dimiſerunt illos.Et actuum.14.& cum conſtituiſſent, ſcilicet Paulus & Barnabas,illis per ſingulas eccleſias presbyteros,& oraſſent cum ieiunationibus.Hoc et Corinthijs Paulus monebat.2. Corinth.6.dicens:In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros,in multa pacientia,in ieiunijs multis.Non habẽt igitur quid ieiunijs calumniẽtur moderni hæretici.Quod autem Dominus ait,de rudimento nouo non aſſuendo veſtimento veteri,& vino nouo non infundendo in vtres veteres,illud eſt ieiunium euangelicum:& euangelicam conſuetudinem nouam, non eſſe veteribus Iudæorum conſuetudinibus admiſcendam,ſed expectandum quouſque noua doctrina nouo veſtimento aſſueretur, & in nouum vtrem nouũ vinum infunderetur,quod poſt aduẽtum ſpiritus ſancti,quando ieiunare diſcipuli conſueuerunt factũ eſt,& ſic vtraque ſunt adſeruata,& hominum nouorum mentes nouæ,nouæ etiam ſpirituales conſuetudines,nouaque ieiunia mentibus nouis,gratia domini noſtri Ieſu Chriſti.Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor,gloria & imperium in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS. IIII.

In cap. II. beati Marci.

ET factum eſt iterum, cum Dominus ſabbatis ambularet per ſata, et diſcipuli eius cœperunt progredi, & vellere ſpicas. Phariſæi autem dicebant ei: Ecce quid faciunt diſcipuli tui ſabbatis, quod non licet? & ait illis: nunquam legiſtis quid fecerit Dauid quando neceſsitatem habuit & eſurijt ipſe: & qui cum eo erant, & quomodo introiuit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum & panes propoſitionis manducauit, quos nō licebat manducare niſi ſolis ſacerdotibus, & qui cum eo erāt? & dicebat eis: ſabbatū propter hominē factum eſt & nō homo propter ſabbatū. Itaq; dn̄s eſt filius hominis etiā ſabbati. *Quod dicit Euangeliſta:* iterum factum eſt, *referendum eſt ad priorem quæſtionem & detractionem, qua phariſæi calumniari diſcipulos intendebant, quia non ieiunabant, ac ſi diceret Euangeliſta, iterum calumniati ſunt, iuxta eandem de edendo materiam, occaſiones omni hora calumniandi dominū quærebant phariſæi. Quare inquiunt, cum publicanis & peccatoribus māducat magiſter veſter: Quare diſcipuli tui non ieiunāt, nunc* ecce diſcipuli tui faciunt, quód non licet? *occaſiones quærit, inquit ſapiēs prouerb.18. quod ego de his phariſæis non ab re interpretor, qui vult recedere ab amico omni tempore erit exprobrabilis, quoniam ſcriptū eſt de Meſsia pſal.71. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Exemplo Dauidis retundit phariſæorum calumniam: Si enim panes propoſitionis, qui ex lege ſolis ſacerdotibus reſeruati ſunt, prout habetur Leuit. xxiiij. dicente Domino, poſtquam panes poni ſuper menſam duodecim præcepit ex ſimila: Per ſingula, inquit, ſabbata mutabuntur coram domino ſuſcepti à filijs Iſraël, fœdere ſempiterno, eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco ſancto, quia ſanctum ſanctorum eſt, de*

ſacri-

ſacrificio domini iure perpetuo. Hanc oblationem ſicut legimus, ſolis ſacerdotibus reſeruatam, neceſsitate extrema accedente, licuit Dauid in cibum ſibi, & ſuis ſummere: quomodo non magis licebat eſuriētibus diſcipulis domini, manibus triturare ſpicas, & extracta grana edere. Sacræ ſcripturæ exēplo in caput phariſæorum retundit dominus impoſitam calūniam: ſic licet cum aliquid agimus, quod iuſte & recte facere poſſumus, ſi calūniemur, exēplo id refutare ſanctorum. Quòd autem Marcus Abiathar nominat, cū primo regū. 21. dicatur: Sub Achimelech ſacerdote Dauid hoc feciſſe, non eſt à veritate diuerſum, tū quia forte ex præcepto patris Abiathar filius, qui & ipſe ſacerdos erat, panes Dauidi porrexit, vel quia Achimelech, dicebatur Achimelech Abiathar, quēadmodum dicimus Petrus Ioānes, vel Antonius Marcus, & his ſimilia. vel ipſe filius dicebatur Abiathar Achimelech, pronomine ſibi ex patris nomine aſſumpto, prout eſt vſitatiſsimū, quod magis quadrat. Quia tamen Saul patrem, qui domui Dei præerat exiſtimauit ſibi contrarium, & quòd Dauidi fauebat illum occidit. quin etiam & filium occiderat Abiathar ſi potuiſſet, niſi fugiēs euaſiſſet: quippe qui illa die occidit nō tantū Achimelech, ſed vniuerſos ſacerdotes numero octoginta quinq́.

Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum. *Iuxta hanc domini ſententiam, bene edocta ſancta mater eccleſia à ſuo ſponſo Chriſto, quotiens vrgens neceſsitas præualens, obſeruationi diei feſti occurrit, illi ſubueniri non damnat: prout eſt infirmos curare, mortuos ſepelire, occurrere vrgente violenta tempeſtate ſegetibus, bellum aduerſus ſibi bella inferentes gerere. Quod vtiq; conſultius fecerunt Machabæi. 2. quàm primò, prout habetur primo Machabæorum. 2. Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra, dixerunt primo, & teſtes erunt ſuper nos cœlum & terra quod iniuſtè perditis nos: & intulerunt illis bellum ſabbatis, & mortui ſunt hij, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorū vſq; ad mille animas homi-*

*hominum,& cognouit Mathatias & amici eius,& luctum habuerunt ſuper eos valde,& dixit vir proximo ſuo: Si omnes fecerimus ſicut fratres noſtri fecerunt,& non pugnauerimus aduerſus gentes,pro animabus noſtris & iuſtificationibus noſtris, citius diſperdent nos à terra.& cogitauerunt in die illa dicentes: Omnis homo,quicunq́; venerit ad nos in bello die ſabbatorum, pugnemus aduerſum eum,& non moriemur omnes,ſicut mortui ſunt fratres noſtri: Sic ſabbatū probatur factum eſſe propter hominem,& non hominem propter ſabbatum: quin etiam ipſimet phariſæi,ſi bos,vel ouis eorum in foueam die ſabbato incidebat, eadem hora extrahebatur,prout dominus illis aliàs intulit, ad aliam de die ſabbati in eorum caput retundendam calumniam, quin etiam addit dominus,& ſi tanta cauſa neceſſitatis ceſſaſſet, ego ipſe dominus ſum ſabbati.*Dominus,*inquit*,eſt filius hominis etiam ſabbati.*Hic ſe Deum dicit,nec tamē aduertunt phariſæi,exemplo Dauidis perculſi & deuicti: potuit ſiquidem ille qui fecit ſabbatum,leges ſabbati obſeruandas conſtituere,illasq́; vel reſtringere,vel laxare,et verū ſenſum ſabbati obſeruationis præ cæteris reddere,& ad iſtum ſenſum capienda eſt illatio illa. Itaq; cū prædixiſſet dn̄s,ſabbatū propter hominē factū eſſe,idē eſt ac ſi latenter inſinuaret,à me vtiq; Deo eſt factū.Palā nāq; à Deo factū ſabbatū accipiendū erat,vt ſcilicet homo Deo vacet,adoret,meditetur,aliquod obſequiū impendat: ex hoc ſubinfertur,qui Deus eſt,dn̄m eſſe ſabbati.Itaq;,*dn̄s eſt filius hominis etiā ſabbati:*nec præterire debemus,oīa propter nos feciſſē dn̄m,etiā ſabbatū: vt illa dies prima ſabbati,quæ eſt dominica apud nos in laudē redēptoris Dei expendatur,& eius obſequijs illa die inſiſtamus,nihil extraneū cogitātes,nihil aduerſus eius honorē cōmittamus: attēdētes,quāta à Iudæorū populo,dies ſabbati obſeruātia cuſtodiebatur,in memoriā creatoris,quia legitur: quòd die ſeptima requieuit dominus,ab omni opere quod patrarat: & in memoriā cæterorū beneficiorum Dei. Nos vero qui iam nō*

crea-

creatoris tantum, ſed reparationis noſtræ ſolennem celebramus primam diem, illam ſcilicet, in qua dominus à ſepulchro reſurgens victor aſcendit, debemus omni opere ſpirituali occupari, audiendo verbum Dei, præcipuè autem deuotè ſacratiſſimo miſſæ ſacrificio intereſſe, eleemoſynis & orationi vacare, & tota illa die eccleſiæ aſsiſtere: & animo voluere quæ, & quanta pro nobis Chriſtus dominus operatus eſt viuens, moriens, reſurgens, & in cælum aſcendens, & quomodo iudicaturus eſt viuos & mortuos. Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria & imperium in æternum. Amen.

In cap. tertium beati Marci.

ET introiuit iterum in ſynagogam:& erat ibi homo habens manum aridam.& obſeruabant eum,ſi ſabbatis curaret,vt accuſarent illum.Et ait homini habenti manũ aridã:Surge in medium. Et dicit eis:licet ſabbatis benefacere an male?animam ſaluam facere,an perdere?at illi tacebant.Et circunſpiciens eos in ira,contriſtatus ſuper cæcitatem cordis eorum,dicit homini:extende manum tuam. & extendit:& reſtituta eſt manus illi. *Quòd dominus tot laceſſitus calumnijs,iterum in ſynagogam venit,nobis inſinuat,nullis contradicentium hominum ita turbari calumnijs, vt benefacere deſinamus,quinimo quo magis nos perſequuntur,magis eorum ſalutem perſequi,charitatis officium eſt.Magna Chriſti charitas,non deſinit animas quærere,ſe mũdi ſaluatorem oſtendere,perſequentibus phariſæis,multa bona illis etiam nolentibus conferre.Erat in ſynagoga,*homo habens manum aridam.*Non paucos apud nos,habet hodie ſodales languidus hic,qui manum habent aridam ad tribuendum,& indigentibus benefaciendum.Manus huic paralytico erat,digitos habebat,non tamen manus illi ſeruiebat:tales profecto ſunt,quibus manus arida ad præſtandum: ad recipiendum autem non arida,ſed fortis eſt.Contra autem fieri monet Eccleſiaſt. capit. 4. dicẽs:Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum,& ad dandum collecta.Hoc ex peccatis Sodomorum, narrat Ezechiel cap. 18.dicens: Et manus ad pauperem non porrigebant.Venerat in ſynagogam homo iſte,manum habens aridã.Mira cæcitas phariſæorũ,obſeruabãt dominũ ſi ſabbatis curaret,vt accuſſarent illũ: ipſi bouem & aſinum ſuum ſi in foueã incidiſſet extrahebant die ſabbati,& obſeruabant dominũ an hunc manum habẽs ſtupidã*

pri-

priſtinæ integritati ſabbato reſtitueret:medici eorum infirmis medelam inferebant die ſabbati, iſti autem dominum accuſare intendebant,ſi ſabbato miracula faceret.Non fuit vnquã malitiæ eorum ſimilis alia,non indurata pertinatia viſa,non inuidia ſimilis reperta:quod ipſi deſiderare,quod impetrare precibus à domino debuerant,hoc ad calumniandum oculis apertis,vigilantes circunſpiciebant.Rogare dominum ſummopere & ab eo ſummis precibus contendere debemus omnes,ne nos inducat, hoc eſt permittat,in talem dilabi odij & inuidiæ tentationem,qua ſic obcæcati,& bonum dicamus malum,& malum bonum.Hoc tãtæ cæcitatis malum,non vnico generatur peccato,ſed à corrupta iam mente multitudine peccatorum,hi calli naſcuntur.Quemadmodum enim ex aſsiduo labore,agricola manus callis plenas habet ita,vt penè iam ligonem & aratrum non ſentiat:ſic peccator cum vitam deteſtabilem,per abrupta vitiorũ diu geſſerit,iniquitatum ſtimulos non ſentit.Dominus porrò miſerator & miſericors non deſinit, & his in duritiem camelorum corda geſtantibus,bonis operibus & miraculis medelam adhibere.Unde, & ait homini habenti manum aridam,ſurge in medium. *Duobus volebat dominus medelam præſtare,& huic ægroto,& phariſæis,huic in corpore,illis in anima:vtrorũq; miſertus,qui vtroſq; creauerat.Diſce qui inimicos habes,quantum in te eſt,animabus illorum conſulere:diſce à bono non deſiſtere,quantũcunq; calumnieris,in medio iubetur ſtare miſeria,vt ab omnibus poſsit facile conſpici:proximorum neceſsitates ſemper in medio debent apparere,hoc eſt,ante omnium ciuiũ illius oppidi conſpectum ſemper eſſe præſentes,vt ab omnibus poſsint,pro vniuscuiuſq; facultate iuuari.Homine igitur ſic in medio conſtituto, ait dominus circunſtantibus phariſæis: Licet ſabbatis benefacere,an malè? animam ſaluam facere an perdere?at illi tacebant.quàm facile reſponderetur,ſi aliqua ex parte horum mens,virtutis luce perfunderetur,quid ni reſponderent domino.O domine,bene facere ſem-*

ſemper Deo acceptabile eſt ſacrificium, male autem operari deteſtabile. At illi tacebant: *Non habet quid dicat, non habet quid reſpondeat bono, prauorum inueterata malitia. Cum confunduntur, & quid reſpondeant non habent, tacent: obmuteſcunt vtiq́, ſed non deſinunt bonos perſequi, eoſq́ue inſectari. nõne & inferius poſt patratum hoc miraculum, legitur quòd ſtatim concilium faciebant cum herodianis phariſæi, vt perderent eum? Dominus vero* circunſpiciens eos in ira, contriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis eorum: *Quid ni contriſtaretur plaſmator eorum, ſaluator eorum, requiſitor eorum: vidẽs ſua prauitate in tãtam deuiniſſe cordis duritiem, vt ipſam ſolis lucẽ minime poſſent intueri! Quòd autem legimus iram domini, non animi quẽadmodum & nos perturbationẽ, rationem vel præuenientem, vel obcæcantẽ intelligere debemus. Non enim Chriſtus dominus, has paſsiones, quemadmodum & nos, patiebatur: atqui ipſa ratione præueniente, iram vocabat, illamq; adeſſe quantũ optima ratione iudicabat, præcipiebat. In nobis autem paſsiones rationẽ præueniunt & ſubrepunt, in Chriſto autem domino, ratione motus hos omnes præueniente, ipſos tanquam verus homo præſentes eſſe iubebat, quantum vera ratio poſtulabat. nimirũ vtiq;, quòd dominus iraſcebatur, ſuper cæcitatem cordis illorum, maximè religioſorum hominũ, tales namq; erant inter Iudæos phariſæi, qui omni opere legis neglecto, omniq́ue prophetia poſt tergum proiecta, ſic ſuis tantũmodo commodis inſeruiebant, vt nec tempus aduentus Meſsiæ, nec ipſam doctrinam, quin etiam nec ipſa oculis proſpecta miracula conſiderarent, ſed tantum ſuis deſiderijs & cupiditatibus inſeruientes, id pro lege & prophetis recipiebant, quod ſibi commodum eſſe iudicabant. Tunc* dicit homini: Extende manum tuam: et extendit: et reſtituta eſt manus illi. *Tanta celeritate reſtituta eſt manus, quanta primus homo plaſmatus. Hæc eſt vna mira diſtinctio operum domini, ab operibus naturæ, ſiue ſanctorum, ſiue angelorum. Nempe natura, non*

poteſt niſi diſcurſu temporis operari: ſancti, vel angeli, ſi aliquod operantur opus, & ſi Dei iuſſu id fiat, nihilominus aliquo interuallo temporis operantur, quoniam creatura non poteſt in inſtanti operari: opus eſt moueatur, moueantur membra, tangatur per angelum, vt legitur de angelo mouente piſcinæ aquam, Ioãnis. 5. Chriſtus vero Deus verus, in inſtanto & ſubiti miracula operabatur, vt ex ipſa ſubita curatione, facile volenti intueri appareret, hunc eſſe illum, qui dixit & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt: Erat febricitans ſocrus Simonis, continuo ſurrexit, dixit paralytico ſurge: & continuo dicit Euangeliſta, ſurrexit. Dixit nunc homini habenti aridam manum extende manum tuam, et extendit et reſtituta eſt manus illi: *Nullam temporis moram protraxit natura, quin ſuo obediret auctori. proinde nec legitur hic continuo, nec ſtatim, quamuis omnia hæc denotẽt ſubitam diuinam curationem, ſed adiungit Euangeliſta, nullo temporis interuallo poſito, & reſtituta eſt manus eius. Chriſto ſit honor, gloria & imperium, cum patre & Spiritu ſancto regnanti in æternum. Amen.*

TRACTATVS. II.
In cap. III. beati Marci.

EXeuntes autem phariſæi, ſtatim cum herodianis conſilium faciebãt aduerſus eum, quomodo eum perderent. Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ceſsit ad mare, & multa turba à Galilæa et Iudæa ſequuta eſt eum, & ab Hieroſolymis: & ab Idumæa, & trãs Iordanem: & qui circa Tyrum & Sydonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum: & dixit Ieſus diſcipulis ſuis, vt nauicula ſibi deſeruiret, propter turbam, ne comprimerent eũ: multos enim ſanabat: ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebãt plagas. Et ſpiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant di-

cen-

centes: tu es filius Dei. & vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum. *Dimiſſi à Deo, ſuis multis præcedentibus peccatis, miſeri phariſæi, in deſiderio cordis eorum, & in adinuentionibus ſuis, in hoc barathrum peruenerunt, & ſimul cum herodianis, Herodis miniſtris vel familiaribus conſilium fecerunt aduerſus dominum, quomodo eum perderent. Iam nec lingua nec mens, quid de iſtis dicendum ſit ſuppeditat, viſa ſubita hominis curatione. Cum argumentum certiſſimũ, diuinitatis Ieſu deberent habere, perditionem eius moliri, ſumma diligẽtia procurant. Non igitur quicquam amplius de his loquendum, ipſa malitia eorum declarat, inſanabilem factam eſſe plagam eorum, cum his qui dicunt Deo: recede à nobis, viam ſcientiarum tuarũ nolumus. Benigniſſimus Ieſus, qui eorum mentẽ nouerat, ſeceſſit ad mare, dans locum malitiæ ipſorum: Væh his quibus Chriſtus terga vertit, væh his à quibus recedit: Hieremias ait cap. vj. Erudire Hieruſalem, ne forte recedat anima mea à te, ne forte ponam te deſertam, terram inhabitabilem: Et Iob. 19. Stulti quoq́ deſpiciebant me, et cum ab eis receſſiſſem detrahebant mihi. Omnia hæc profecto venerunt ſuper Iudæos & Hieruſalem, prout ipſa experientia manifeſtat. Vt autem ſcias, nihil detrimenti accipere Chriſtum, ſi à te recedat, vel tu ab ipſo etiam recedas, vide quid ſequatur:* Et multa turba á Galilæa et Iudæa ſequuta eſt eum, et ab Hieroſolymis, *Ecce Iudæos: nũc vide gentes etiam veniẽtes, vt ex vtroq́ pariete vna conſurgat eccleſia.* Et ab Idumæa, *inquit*, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sydonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. *Non omnes Iudæi errauerunt, multi proculdubio ex ipſis crediderunt, prout legimus in actibus apoſtolorum: die vna pentecoſtes conuerſi ſunt tria millia: deinde diebus paucis interiectis, crediderunt quinque millia: & multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. Non igitur nos ſumus Deo neceſſarij, ſed illo nos opus habemus, vt ſine illo viuere non poſſimus: In ipſo,*

E ij *inquit*

inquit Athenienſibus Paulus, viuimus, mouemur & ſumus. neq; noſtris eget, cum præcipit ſubueniri pauperibus, ſed ob noſtrarum indigentiam animarum, pauperes fecit aliquos ex nobis, vt cũ temporalia donaremus, nobis æterna largirentur: Ipſe pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat, hunc humiliat, & hunc exaltat, quatenus ille pacientia, ille vero benificentia, vterq; ſaluetur: O mira diuini conſilij diſpoſitio! ô inenarrabilis prouidentia! recedunt phariſæi, ſequuntur Idumæi, illi quomodo perdant quærunt, iſti quomodo ſanentur, inquirunt. In hac conſideratione, beatus Paulus abſorptus exclamauit, vt legimus ad Roman. xj. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? præceſſerat namq; hæc ſententia. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate (vt omniũ miſereatur) qua finita, ſtatim ſubſequitur exclamatio: ô altitudo diuitiarum? Diſcipulis autem, concurrente turba, præcepit dominus, vt nauiculam pararent, ne comprimeretur, quoniam omnes irruebant, vt illum tangerent & ſanarentur. Fons ſcaturiens ſanitatis, corpus Chriſti & veſtis erant, quotquot tangebãt ſanabantur. Lætare qui credis in Chriſtum, iubila qui adoras, dominus tuus omnes ſanat, & animarũ & corporũ languores: nulla tibi eſt difficultas ſi accedis, ſi amore accedis, ſi fide tangis ſanaberis, tibi adeſt medicus ſi æger es, accede noli timere: vide Idumæos, Tyros & Sidones venientes. tu qui credis, quare recedis? accede, tange, veniat tibi in memoriam mulier illa peccatrix pedes eius tangẽs, lachrymis lauans & oſculans, & quid dominum dicturum expectabat? forte, recede à me, noli me tangere, quia peccatrix es? audi quid dicat: fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Beneuolum habemus peccatores receptorem, qui recipit & non dedignatur, parcit & non improperat. Nunquam igitur, recedamus ab eius conſortio, ne aberremus, ipſe ſit via, ipſe vita, ipſe ſpes noſtra, illi adhærentes nihil eſt quod timeamus, ab illo recedentes, nihil eſt quo protegamur,

ſine

ſine illo, nec diuitiæ proſunt, nec honores firmantur, neque ſalus lætitiam, neque vita vitam præſtat: omnia euaneſcunt, omnia labuntur, omnia corruunt, omnia perduntur. Quemadmodum enim homo, qui ſine firmo iacto fundamento, domũ altam erigit: ſic hæc ſe habent, quãto altius ſe ſe tollit ædificium, tanto facilius corruit: non enim habet fundamentum quo ſuſtentetur, nec quo firmetur. Hanc ſimilitudinem ipſe dominus dignatus eſt, ad noſtram doctrinam prædicare, prout ſcribit beatus Luc. cap. 6. Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit: ſimilis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum ſupra petram. Iam de hac petra prædixerat David: Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos: inundatione autem facta, illiſum eſt flumẽ domui illi, & nõ potuit eam mouere, fundata enim erat ſupra petram. Ecce autem quanta ratione, quidquid obtinetur, quidquid poſſidetur cum Chriſto, ſiue parum ſit, ſiue multum, firmitatem habet. Qui autem audit, prout fecerunt iſti phariſæi, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti ſupra terram, ſine fundamento. ô quot miſeri ædificant ſupra terram (ſine fundamento, quod eſt Chriſtus dominus) diuitias & honores, mundi fauores & principum familiaritatem, de quibus ſequitur: In quam illiſum eſt flumen, & continuo cecidit, & facta eſt ruina domus illius magna. Hoc verbo continuo, ad denotandam, & apertè oſtendẽdam, huius fallacis vitæ breuitatem, vtitur ſcriptura prout legimus Sapientiæ. 5. dicere in inferno damnatos: Laſſati ſumus, in via iniquitatis & perditionis. & poſt aliquas comparationes breuitatis vitæ, magnis ſingultibus, & inutili eiulatu addiderunt: Sic & nos nati, continuo deſinimus eſſe. Itaque inter tempus natiuitatis & mortis, tanquam ſi nulla dies præteriſſet, addunt verbum continuo. quod & David prophetauit dicens: Vidi impium ſuperelevatum, & exaltatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non erat. Dæmonia autem ne ſe manifeſtarent compeſcit

dominus, prout iam diximus ſupra cap. 1. tractatu. 6. quoniam hoc malitia, ad explorandam diuinitatem domini, non ſciētia prædicabant. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS. III.

In cap. III. beati Marci.

ET aſcendens in montem, vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eū. Et fecit vt eſſent duodecim cū illo, & vt mitteret eos prędicare. & dedit illis poteſtatē curandi infirmitates, & eijciēdi dæmonia: & impoſuit Simoni nomen Petrus: & Iacobū Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filij tonitrui: & Andræam, & Philippū, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomā, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Scarioth, qui tradidit illum. *Nota, quòd non populi tumultu eliguntur apoſtoli, nec turba comprimente dominum, vt noueris qualis debeat eſſe electio ſanctorum. Qui enim poteſtatem habēt eligendi prælatos, non voce ignorantis populi, non tumultu perſtrepentis turbæ, ſed in monte eligendi ſunt, hoc eſt in alto contemplationis loco. Illi ergo eligendi ſunt, qui cæteris doctrina & exemplo præſtant. foris igitur apoſtolorum fit electio, & in loco ſublimi atq; excelſo, in quo nos Chriſtus docet, ab omni affectione carnali, alienos eſſe debere, cum animarū regimini aliquos præficimus. Dum autem ait, ad ſe vocaſſe quos voluiſſet ipſe, oſtendit voluntatem ſuam ita rectiſſimam eſſe, vt errare non poſſit: quod nobis contingere non poteſt, qui homines fragiles ſumus, & à rectitudinis tramite, ignorantes ſæpe nos auertimus. Diuinam etiam in hoc cognoſce voluntatem, qui poteſt facere de ſuo quod velit, quemadmodum ſcriptum eſt: Et ipſe quidem quoſdam dedit apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores, ad conſumationem ſanctorum,*

in

in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, ad Eph.4. Cum autem diuinam attenderis voluntatem, cognoſce etiam noſtram fragilitatem. Dominus enim quos ipſe vult eligit, & electio perfectiſſima eſt, quoniam ipſe Deus eſt, & bona ſemper eius eſt voluntas, & rectiſſima ratio. Nos vero, quoniã deuiare à bona voluntate, & à recta ratione amore, vel odio poſſumus, nõ quos volumus eligere debemus, ſed quos vult ipſe Deus, quippe qui præ cæteris, doctrina & morum exemplo præſtantiores ſunt. Rurſus autem, quoniam nos non poſſumus, quibus præficimus virtutem & ſapientiam præſtare, non quos volumus, ſed quos Deus vult, eligere tenemur. Deus vero ex lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ, queadmodum & beatus apoſtolus Paulus. 2. Corinth. 3. dicit, de hac vocatione loquens. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera ſed ſpiritu: ideo quos eligit cæteris facit præſtantiores. Et venerunt ad eum. *Liberi hic arbitrij, agnoſce voluntatẽ, illos vocauit, ipſi venerunt: ſemper enim tali ſale cõdienda eſt vocatio Dei, quatenus vocatos intelligas, libere vocationi obedire. Inde eſt quòd multi ſæpe vocantur & reſiſtunt, quinimo cum Pharaone flagellantur, nec meliores inde, renuentes, redduntur. Orandum eſt & laborandum, ne vocati domini vocationem negligamus vel reſpuamus. Hæc eſt vera obedientia, dum vocati continuò dicimus, ecce adſum, & præſti ſumus parere iuſſis. Prima ruina Saulis fuit, non obedire voci Samuelis, quem noluit expectare, ſed ipſe ſua arrogantia & ſuperbia, obtulit holocauſtum cum non eſſet ſacerdos, nec hoc à Deo ſibi fuiſſet officium cõmiſſum, prout legitur primo Reg. 13. Deinde primo Reg. 15. Deuenit in inobedientiam, quæ ſuperbiæ eſt filia, parcens Agag Regi Achimelech, & optimos greges ſeruans. Vltimo ex ſuperbia & inobedientia, prolapſus eſt in maleficia, idolatriæ ſpeciem, maleficam mulierem adiens, ad dæmonem*

conſulendum, primo reg.28. Itaque his edocemur exemplis, voci domini ſemper obedire, & eius vocationi præſto eſſe. Et venit, *inquit*, ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo, *iuxta numerum duodecim tribuum Iſraël.* Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & dæmonia eijciendi, *vt prorſus miraculis doctrinam noui aduentus Meſsiæ confirmarent. aderat illis dominus, qui ſecundùm diuinitatem vbique ſemper eſt præſens.* Et impoſuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannẽ fratrẽ eius: & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui. *Iam hoc nomen ſe Petro impoſiturum, ſpoponderat dominus, prout habetur Ioannis .1. cum illum adduxit ad Ieſum frater eius Andræas, intuẽs eum ait, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: à petra ſiquidem nomen Petri accepit, vt illum firmum & ſtabilem, in apoſtolico loco credamus. Dictum enim eſt illi Luc.22. cum dominus proximus eſſet paſsioni: Ego rogaui pro te Petre, vt nõ deficiat fides tua. Magnopere attendendum eſt, quemadmodum dominus à principio, Petrum omnibus alijs antepoſuerit, quem poſtea ſuum erat vniuerſalem vicarium relicturus: iam illi petræ firmitatem accõmodat, prout profundo ſenſu, interpretatus eſt beatus apoſtolus Paulus, dicens: 1. Corinth.10. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare trãſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberũt: bibebant autem de ſpirituali, cõſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Igitur iamdiu petra illa (de qua in deſerto omnes hebræi potati ſunt, quæ percuſſa virga Moyſi produxit aquas largiſsimas, nu.cap.20) Chriſtum dominum ſignificabat, qui firmus in ſe Deus ſemper manẽs, immobilem præbuit ſaluandis fidem. Hoc igitur fortiſsimum nomen Petro dominus imponit, petræ nomen illi dans, & in illo annuntians ſuæ fidei firmitatem, cui omnium credentium curam,*

&

& totius mundi gubernationem ſubmiſit. Alios duos apoſtolos, tonitrui filios nuncupauit: nouimus tonitrui filium fulgur eſſe, & ſi in terris prius, cœlo tonante fulgur conſpiciatur quàm ipſum tonitruum, nihilominus tamen, ex fragore tonitrui, fulgur egreditur. Hos igitur ardentes lampadas & nimia velocitate diſcurrentes, more fulguris videmus, vnum primū inter apoſtolos martyrē, alterū inter Euangeliſtas primū, qui cōtra omnes fidei hoſtes, tanquam fulgur coruſcans clariſsimo lumine fulget. Duo namque hoſtes fidem ſacram orthodoxamq́ue impugnant, armis mahumetani, verbis hæretici. Contra primos beatus Iacobus datus eſt propugnator ac defenſor, tanquam fulgur reſplendens, prout ſæpe noſtri experti ſunt, conflictu cum illis habito, ipſum armatum videntes, equo albo inſedētem, hinc inde hoſtes proſtrantem. Vox namque noſtrorum militum, qui aduerſos mahumetanos, ſiue Turcas, ſiue quos mauros vocamus, bellum gerunt, hæc eſt: ſancte Iacobe, ſancte Iacobe. Doctrina, Euangelioque ſuo beatus Ioannes, ſecundam impugnantium fidem hæreticorū aciem, profligat & vincit. Vnde iure optimo filij tonitrui vocantur. Reliquis apoſtolis nomina non impoſuit dominus noua, præter illud, alioquin omnibus commune, quo omnes apoſtoli vocantur, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor gloria & imperium, per æterna ſecula. Amen.

Tra-

TRACTATVS QVARTVS.

In cap. III. beati Marci.

ET veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare. Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum, dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt. Et ſcribæ qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam beelzebuth habet: & quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: quomodo poteſt Satanas Satanam eijcere? Et ſi regnum in ſe diuidatur non poteſt regnum illud ſtare. Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpartiatur, non poteſt domus illa ſtare. Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpartitus eſt, & nõ poterit ſtare, ſed finẽ habet. Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerint: qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant, ſpiritum immundum habet. Et veniunt mater eius & fratres, & foris ſtantes, miſerunt ad eum, vocãtes eum. Et ſedebat circa eum turba, & dicũt ei: Ecce mater tua, et fratres tui foris quærunt te. Et reſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea et fratres mei? Et circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant, ait: Ecce mater mea, et fratres mei: qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et ſoror mea, et mater eſt. *Iterum reuertitur dominus ad domum, vt omnibus ſui copiam tribuat, qui pro ſalute omnium venerat: nunc in ciuitatum vijs, nunc ad mare, nunc ad domum, nullam præterit dominusocioſam horam, ſemper operatur, quod vtique diuinam in eo arguit naturam. Non*

enim

enim ſolus homo tot poſſet labores tolerare, Deus vero, quoniam ſemper operatur in creaturis, verbum Deus in hominem veniẽs, ſemper operibus opera intexit. Tanta illum ſequuta eſt turba, ſuauitate doctrinæ verborum eius attracta, & miraculorum multitudine ſtupefacta, vt non poſſent nec cibum ſumere. Ipſe vero tanto docebat feruore turbas, vt nihil de prandio cogitaret, ita vt amici & cognati ſecundum carnem, exirent tenere eum dicentes: Quoniam in furorem verſus eſt, *rectius profecto dicerent, quoniam in inextinguibilem feruorem verſus eſt: vides quanto ſanguine coniuncti, viris ſpiritualibus impedimento ſunt. Iam hi nolebant dominum docere, nec quidem laborare, ſed perſuadebant cedere labori, quietem aliquam accipere, & tandem reſpirare, manducare, bibere & dormire, maxima ſpe erecti tanti viri ſanctitatem, illis adhuc prodeſſe ad temporalia commoda poſſe. Nec extra Euangelij ſenſum hoc exiſtima. Cum iã proximus paſsioni eſſet, filios tonitrui Iacobum & Ioannem cum matre ſua dextram, & ſiniſtram audis poſtulare, quod & alij diſcipuli grauiter & iniquo animo tulerunt, & indignati ſunt de duobus fratribus. Quin etiam poſt reſurrectionẽ domini, cum iam proximus aſcenſioni in cœlum eſſet, non defuerunt qui quærerent: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues Regnum Iſraël? Illam tunc cognationẽ & familiam Domini (Deipara quæ eum genuit, ſemper virgine Maria excepta) quemadmodum & nunc noſtri familiares, & ſanguine coniuncti, aliquid temporale à Domino expectare, ipſa ſacra Euangelia teſtantur. Non enim nunc aliud, ab inſigni & eminenti prædicatore conſanguinei expectant, quàm proprium commodum, quomodo ille poſsit à ſeculi principibus & magnatibus, aliquid impetrare: & ſi aliquod beneficium illi conferatur, quomodo ex eo aliquid commodi & emolumenti, eis poſsit venire: Sic temporalis gens temporalia cogitans, Dominum tenere volebat; ne labore deficeret, ne forte ſi ipſe eſſet Meſsias (futurum*

regnũ

regnum Meſsiæ, male intelligentes ſcripturam, temporale reputantes) prima ipſi loca in illo regno obtinerent. Scribæ vero quibus lex notior erat, non hac via, ſed aliò tendunt, volentes miracula domini, quia procidebāt ei arreptitij, & exibant à multis dæmonia, infamare: quo ſic peracto, populus ab illo auerteretur, & malam de domino opinionem conciperet, quem frequentem, deuotum & propenſum domino cernebant: dicebant enim, Belzebuth habet: & in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. *Quanta horum ſit malitia, quantisq́ digni flagellis & diſperſionibus, ipſa rei experientia vſq; nunc, & vſque in finem mundi futura, ſatis oſtendit. Dominus vero, duabus rationibus quas hic ſcribit Marcus (alias duas etiam addunt Matth. cap. 12. & Luc. 11.) illorum blaſphemiam in eorum caput retundit, & luce clarius turbæ & illis oſtendit, impoſsibile eſſe in dæmonis potentia, eijci poſſe dæmones: naturalis quippe ratio demonſtrat, alicuius prouintiæ Regi, qui ſe tutus vult ſeruare, regni diuiſionibus, omni ſolicitudine occurrere opus eſſe, non autem illas mouere. Nam diuiſum regnum ſtare non poteſt: nempe nec domus diuiſa. Procurare igitur neceſſe habet paterfamilias, ſi velit integrā conſeruare familiam, illam tranquillitate tueri. Dæmon vtique regnum ſuum, domumque ſuam, ſartam tectam percupit, & ob omni ruina tueri: votum eius eſt, homines non tantum prauis moribus, ſed etiam torſionibus corporis ſuo regno velle adſcribere. Quomodo ergo fieri poteſt, vt Satanas contra Satanam agat, dæmonque dæmones, ab obſeſsis corporibus eijciat? Rurſum autem, debilis cōtra fortem præualere non poteſt, & vaſa domus eius arripere, illumque ſuis bonis expoliare. Hæc eſt ſecunda ratio, niſi ſit illo fortior, & illum deuincat. Cum igitur ego dæmones ſic imperando, à ſuis ſedibus eijcio, non in Belzebuth, ſed in alia, deitatis ſcilicet ſuperari poteſtate id ago. Hæc ſunt duæ rationes: ex naturalibus exemplis adductæ: quibus auditis ſiluère ſcribæ iſti peruerſi, qui ab Hieroſolymis venerant vt poſſent accuſare dominū. Eorum*

pro-

propterea pœnam, ne illis inſperata veniret, dominus annuntiat, irremiſſibile fore peccatum, in ſpiritũ ſanctum pronuntiãs, quoniam opus Dei, & quod ſola ſpiritus ſancti virtute fieri poteſt, dæmonibus tribuebant blaſphemantes, ſiquidem qui in tantam malorum abyſſum deuenit, vt inuidia motus opera Dei nequam ſpiritui tribuat, appoſitam habet ad cordis oſtium talem feram vt omnes Dei vocationes & pulſationes nec audiat nec ſentiat. Reſpondit dominus vocanti ſe, omnem illum, qui Dei voluntatem fecerit, ſuum fratrem, ſororem & matrem eſſe, vt omnis turba circunſtans manu ipſa palparet, quàm longe eſſet ab affectibus carnis, illa ab eo aſſumpta deificata caro, & vt etiam poſſet turba cognoſcere, ſuorum qui eum in furorem verſum ſuſpicabantur ſtultitiam, & ſcribarum qui eum in Belzebuth eijcere dæmonia, ſacrilego ore dicebant, induratam malitiam: qui hoc domino cœli & terræ imponebãt, qui vnam ſi matrem elegit, à qua humanitatem ſumpſit, hoc non pro ſe ſed pro nobis Deus ipſe verbum ſuſcepit, vt ex vna multas obſeruatione mandatorum Dei matres faceret, multosq́ue fratres & ſorores multiplicaturus in ſalutem aduenerat. Illi autem primi cognati, Chriſti fratres & ſorores dicuntur more ſcripturæ, quæ omnes propinquiores ſanguine fratres appellat, prout ſunt filij ſororum & fratrũ, & nepotes eorum: Sic proculdubio dixit Abraham Loth fratrẽ ſuum, Saramq́; ſororem ſuam. Idem & Iſaac apud Abimelech Rebecam ſuam dixit ſororem. Fratres aliquando in ſcriptura etiam habitatores eiusdem regni dicuntur, prout dixere Machabæi: Ne moriamur ſicut fratres noſtri. 1. Machab. 2. Et Dauid in pſalmo, frater non redimit, redimet homo: Vnicus ſiquidẽ dominus ſecundum humanitatem, extitit matri ſuæ: vnigenitusq́; ſecundum diuinitatem eſt patri ſuo, cum quo & ſpiritu ſancto viuit, imperat & regnat in æternum. Amen.

In cap. IIII. beati Marci.

ET iterum cœpit docere ad mare: & cõgregata eſt ad eum turba multa, ita vt in nauim aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram erat: & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua: Audite, Ecce exijt ſeminãs ad ſeminandum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illud. Aliud vero cecidit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam, & ſtatim exortum eſt, quoniam non habebat altitudinẽ terræ: & quando exortus eſt ſol, exæſtuauit, & eo quòd non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in ſpinas: & aſcenderunt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum aſcendentem & creſcentem, & afferebat vnum trigeſimum, & vnum ſexageſimum, & vnum centeſimum. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Et cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi, qui cũ eo erant duodecim, parabolam exponere. Et dicebat illis: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt: vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata. Et ait illis: Neſcitis parabolã hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis? Qui ſeminat, verbum ſeminat. Hi autem ſunt qui circa viam, vbi ſeminatur verbum, & cum audierint, confeſtim venit Satanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum. Et hi ſunt ſimiliter qui ſuper petroſa ſeminantur: qui cum audierint verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud, & non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deinde orta tribulatione,

vel

vel perſecutione propter verbum, cõfeſtim ſcandalizantur. Et alij ſunt qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ ſeculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur. Et hi ſunt qui ſuper terram bonã ſeminati ſunt: qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificant, vnum trigeſimum, vnum ſexageſimum, et vnum centeſimum.

Quòd antea dicebamus nullam Dominum ſibi requiem dare, ſed nunc in domo, nunc in ciuitatis via, nunc ad mare ſemper populum docere: nunc iterum comprobatur. Exiens vtique Dominus de domo, ad mare perrexit & nauiculam aſcendit iterum, ne à turbis irruentibus comprimeretur, ſed & turba ad littus audit verbũ Dei: Dominus autem ſciẽs quid eſſet in corde vniuscuiuſque audientium, ſermonem facit de fructu verbi, reddens rationem & cauſam, quare in multis non fructificet, docens apoſtolos ne ex paucitate fructus & magnitudine laboris cũ prædicauerint, & ipſi ſcandalizentur, ſcientes cauſas non fructificationis verbi, quas dominus ſatis ſuperque per ſe voluit explanare, ne aliquem dubitandi locum nobis relinqueret, vel minus interpretandi has ſeminum diſperſiones. Cæterum ne mirarentur diſcipuli, cum viderent incluſam parabolam, ſequenti ſe turbæ propoſuiſſe, illos autem ſolos diſſeruiſſe, quando ipſi futuri erant verbi Dei ſeminatores, quibus omne terræ ſecretum, cui ſemen verbi Dei erat committendum, tanquam verbi agricolis exponendum erat illud Eſa. vj. Vt videntes videant, & non videant, & audientes non intelligant: quod non cauſatiue vel optatiue accipiendum eſt, ſed enuntiatiue more prophetico, vt eſt illud: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem illorum, & non intrent in iuſtitiam tuam: pſal. 68. hoc eſt in tantũ malitiæ culmen deueniant, vt tu Deus ob immerita eorum, ſinas illos apponere iniquitatem ſuper iniquitatem. pari modo hoc ipſum intelligendum eſt, vt videntes videant, & nõ videant, & audientes audiãt, & nõ intelli-

intelli-

intelligant. In tantam deuenere peccatorum profunditatem Scribæ & phariſæi & ſacerdotum principes, præcipuè Annas & Caiphas, vt non iam velint verbum Dei audire, nec intelligere, ſed ſemper calumniam ſaluatori parare, & in circuitu ambulare, quærentes quomodo eum caperēt in ſermone. Vides igitur quomodo non poteſt capere verbum Dei, qui verbum tantū audit, vt poſſit accuſare dicētem. Igitur, quid faceret prædicator, ſi ſciret præcipuos ſuos auditores tantum ad audiendum verbum Dei conuenire, vt ipſum prædicantem in ſermone capiant & accuſent? vtiq; vel tacebit, vel ita enigmatice ei loquendū erit, quatenus laqueos euadat audientium inimicorū. Propter hanc rationem prophetauit Eſa. iuſto Dei iudicio fieri in Meſſiæ aduentu, vt contra calumnias accuſare volentium, parabolice loqueretur: ne ipſi inuidi inimici caperent verbum, & ſic non poſſent accuſare ſermonem. Cum autem eſſet ſingularis à turba ſe motus, diſcipuli interpretationem parabolæ expoſcunt. Secreta Dei ſi velis cognoſcere, non in tumultu turbarum, ſeu ſocietate multorum, ſed ſolus interrogare debes Ieſum, ipſe ſi diſcipulus eius es, aperiet tibi ſenſum vt capere poſſis ſermonē. Parabola ipſa quoniā à domino explanata diſcipulis eſt, non indiget expoſitione, ſed tantum animaduerſione, vt vnusquiſq; proſpiciat cor ſuum, & videat ne ita arcanum cordis ſui æquè patefaciat bonis, & malis cogitationibus. Qui ſimiliter de bonis cogitat, quemadmodum & de malis, & ſic conſuetus eſt bona in cordis ſui vaſe recipere, ſicut & mala, homo diſſolutus dicitur, cuius cor nec fores nec ſerā habet, vt illā prauis cogitationibus claudat, & aperiat bonis. Non dubium eſt quin, quicquid boni audierit, ne verbum Dei retineat, Satanas continuo cum prædicationem audierit, alias malas illi ingerat cogitationes, & verbum bonum rapiat de corde eius. Similiter caute decet ſuſcipere verbum, his quorum corda adhuc frigida ſunt, ne in tempore cuiuſcunq; tentationis, verbo repulſo corruant, audientes profectò verbum Dei, & illi applau-

dentes

dentes ſæpe contigit, iiſdem iterum implicari ſordibus, ſi ſuperueniat tentatio quam prius contingebat ſectari. His qui tertio loco ſunt nihil dicendum arbitror, cum ipſi ſimiles ſcribis & phariſæis, aliò tendentes, diuitiis ſcilicet & curis ſecularibus, pro nihilo pendant verbum. Hæc autem turba, cæteri omnem ſuſcipientes & bonam & malam cogitationem, vel metu temporali vel ſolicitudine ſecularis curæ, verbum & ſi auidè audiebant, non fortiter retinebant: qui autem ex eis verbum verè ſuſceperunt, & ad dominum conuerſi vero corde ſunt, fructum afferebant, alium trigeſimum, alium ſexageſimum, aliũ centeſimũ. Qui ex eis cura rei familiaris & vxoris tenebantur trigeſimum, qui vero vidui vel viduæ erant ſexageſimum, quoniam iſtos minor cura & ſolicitudo angebat, virgines vero quæ tantum ſolicitæ quæ domini ſunt, toto illi corde coniunguntur, centeſimum. Itaq; nullus verbi Dei ſeminator anxius ſit de fructu, namque & ſi tres partes ſeminis perdantur, quarta vberes reddet fructus, gratia Ieſu Chriſti domini noſtri: Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor gloria & imperium, per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

E Tua

TRACTATVS. II.

In cap. IIII. beati Marci.

ET dicebat illis: nunquid venit lucerna, vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto: non ne vt ſuper candelabrum ponatur? non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur: nec factum eſt occultum, quod non veniat in palā: Si quis habet aures audiēdi, audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua menſura mēſi fueritis, remetietur vobis. & adijcietur vobis. Qui enim habet dabitur illi, & qui non habet etiā quod habet auferetur ab eo. *Multæ hic nos terrent ſententiæ, namq̄ dn̄s doctrinā ſuā, & aduentū ſuū, lucernæ accenſæ poſitæ ſuper candelabrū ſimilem eſſe confirmat: ac ſi dicat, nō miremini quod dixi vobis de ſemine verbi Dei non fructificanti in tribus cōditionibus hominū, neq̄ turbemini cogitantes: Quare igitur ſeminās quilibet eſt ſemē ſuum ſuper viam ſparſit & ſuper petroſa & inter ſpinas, quoniā vtique verbum Dei lux eſt: Lucerna pedibus meis verbum tuū, & lumen ſemitis meis, Dauid pſal. 118. dicit. Officium lucis eſt omnibus lucere, & quantū in ſe eſt omnibus prodeſſe. Qui à domo, quæ eſt eccleſia, in hæreſim lapſus aufugerit, vel in gremio eccleſiæ fide nō permanſerit, ſed oculos clauſerit, nec quicquā viderit, non eſt culpa in lucernam transferenda, quæ non venit vt ponatur ſub lecto, ſub modio uè, ſed ſuper candelabrum. Similiter ſator qui venit, vt in omnem animam viuentem verbi Dei ſemen ſpargat, culpandus non eſt, eo quòd doctrinam ſuam palam mundo loquitur, & ſi ſciat paucorum eſſe, verbi fructum ferre. hoc omnibus in ſuis contingit officijs: multas armaturas faciunt armigeri quæ non venduntur: haſtas quantas efficiunt haſtarum fabri: quædam rumpuntur, quædam tortuoſæ exiere quæ non venduntur. non omnes pāni quos textores texunt venduntur, quoniam non omnes perfecti ſunt. nō omnes gēmas vendit lapidarius, nec aurifex omnes ānulos, nihilominus tamen omnes*

nes

nes artifices in ſuâ arte laborant. Sic prædicator verbi Dei, non omnibus prodeſſe poteſt, ſufficit illi à ſua arte non deficere, nempe lucerna eſt lucens, ſuper candelabrum ponenda venit, non ſub modio. ſuper montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Siō, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem: exalta, noli timere, dic ciuitatibus Iudæ, ecce Deus veſter: ecce dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo, ſicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit, Eſa. 4. Hæc prophetæ verba, nullus duræ ceruicis Iudæus, de Meſsia dicta eſſe negare poteſt, cuius aduentū mandat Deus in excelſis montibus prædicari. Dominus igitur, qui lux mundi eſt, ſe aduenisse prædicaturus erat, nempe alias quomodo crederemus ſine prædicante? neceſſe erat, ſe mundo manifeſtare doctrina & miraculis, quibus duabus vijs manifeſtiſsime ſe Meſsiam & Deum comprobabat, volentibus attendere. Lux non cogit, oſtendit omnia quæ in domo ſunt, ſic dominus omnem aperiebat ſcripturam, tempus Meſsiæ aduenisse, ex ſcriptura manifeſtabat: neque quia ſcribæ & phariſæi oculos claudebant, à prædicatione & miraculorum operatione ceſſare debebat, quicquid ſeminus verbi Dei perderetur, ſator verbi Dei erat, à ſeminatione deſiſtere nō licebat: & quoniam diſcipuli poſt aſcenſionem domini, in officium prædicationis ſucceſſuri erant, ideo dominus illis ſimilitudinem lucernæ, poſt parabolam ſeminantis continuò adiunxit. Quod autem Simeon ille ſenex & iuſtus, Deiparæ ſemper virgini Mariæ dixit, dum illum ſecundum legis ſtatuta, domino die quadrageſimo in templo offerret, ſcilicet: ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur in Iſraël, & tuā ipſius animam doloris gladius pertranſibit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. futurum nempe erat, eius perſecutores qui oculos doctrinæ & miraculis clauſerant, eum crucifigendum

*tradituros,ideo addit,*non eſt enim aliquid abſconditum:quod non manifeſtetur,nec factum occultum,quod non veniat in palam, *Quoniã,qui multum in lege & prophetis gloriabantur, phariſæos & ſcribas in ipſius legis interpretatione,omnes cum primis ſacerdotum principibus, auaritiæ magis quàm virtuti, ambitioni plus quàm prophetis & legi deſeruire,palam in morte domini omni populo factum eſt: in tantum ſolummodò legem tenebant,in quantum ſuis proprijs commodis poterãt deſeruire, quicquid ſuæ propriæ vtilitati commodum non erat, illud iniuſtiſſimum prædicabant:quod bene dominus oſtendit,cum illis dixit: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram: Matth. 14. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, prædixit Iob 20.*Siquis habet aures audiendi,audiat. *Commendat dominus ſententiam ſuam apoſtolis:arrigere aures dicit,vt apud ſe hoc myſterium recondant,ſuo tempore manifeſtandum, illuſque animum addit dicens:*In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis. *Ideſt:ſi bene in prædicatione & veſtro officio vos geſſeritis,iuſtus eſt Deus qui adijciet vobis præmium in cœlo.*Qui enim habet dabitur illi, *hoc eſt, qui habet cor rectum ad lucem lucernæ circunſpiciendam,ad verbum ſeminantis ſuſcipiendum,dabitur illi,donum certè maximum, Meſsiæ videlicet cognitio,ſaluatoris mundi fides,verbi fructificatio,*Et qui non habet,*cor videlicet rectum, deſiderium intelligendi ſcripturas,temporis Meſsiæ aduentus computatio, doctrinæ & miraculorum conſideratio,* & quod habet, *hoc eſt eſſe ſcribam,eſſe phariſæum,iactare ſe eſſe Iudæũ,*auferetur ab eo,*diſperſa per vniuerſum orbẽ eſt natio miſera Iudæorũ,ablata ſiquidem eſt ab eis lex,regnum,ſacerdotium, templum & ſacrificium.Omnia hæc terrent no, ſiquibus datum eſt noſſe myſterium verbi Dei,qui lucernam habemus poſitam ſuper candelabrum,ne forte inter latebras cordis aliquorũ,abſcondita ſit iniquitas:quandoquidem cernimus in aliquibus maximã morum*

cor-

corruptionem. Ulcus in cute ſi prodeat, ſcabies ſi per totū ſit corpus ſparſa, periti medici intus prius humorum corruptionē ſirupibus & pharmaco curare contendunt, quàm exterius vlceri uel ſcabiei vnguenta apponant. profectò cum aliquorum corruptiſſimorum hominum mores experimur, intus remedia prius adhibēda ſunt, quàm exterius apponenda: & hos tales conſulerē, vt fidem quā tenent animaduertant & conſiderent, prius quā aliquid aliud illis mollificatiuū, de Dei amore prædicandū ſit: namq; ſi fides putreſcit interius, inuanū adhibetur lenimentum exterius. nihilominus tamē qui verbū ſeminat omnibus debitor eſt, & fidē tenendā prædicare, & virtutes exercendas tenetur monere, & orare, vt dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit, omnes ſua pietate dignetur, & carne mortificare, & ſpiritu reſurgere in ipſum. Cui cū Patre & Spiritu ſancto eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.

TRACTATVS. III.
In cap. IIII. beati Marci.

ET dicebat: *S*ic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dū neſcit ille. Vltro enim terra fructificat, primū herbā, deinde ſpicā, deinde plenum frumentū in ſpica. Et cū ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcē, quoniam adeſt meſsis. Et dicebat: Cui aſsimilabimus regnū Dei? aut cui parabolę cōparabimus illud? *S*icut granū ſinapis, quod cum ſeminatū fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra: & cum natū fuerit, aſcendit in arborē, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cœli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbū, prout poterant audire: ſine parabola autē non loquebatur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis ſerebat omnia. *Vt oſtenderet dominus apoſtolis ſuis, qui futuri*

erant ſeculi prædicatores, quemadmodum illis datum erat verbũ ſeminare (Et neq; qui rigat, neq; qui plantat, prout dixit apoſtolus Paulus, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus) ne tedio frangerentur, audientes ſupra proximas prædictas parabolas de ſemine perdito: de lucerna, de illo qui nõ habet, cui auferetur etiã & id quod habet: hãc omni conſolatione ponit ſimilitudinem, de iaciente ſementem in terram, quæ vltro germinat, ope videlicet diuina herbã, deinde ſpicam, deinde plenũ frumentum, quod tẽpore meſsis colligitur. Quẽadmodum igitur ſine alio ſeminãtis labore, poſtquam ſemen terræ mandatum eſt, ipſo neſciente creſcit & matureſcit meſſis, ſic eſt prædicator ſeminis verbi Dei. Sator igitur verbi poſtquam prædicauerit, non habet amplius quid faciat: Dominus nouit qui ſui ſunt, ipſe incrementũ qui dat in ſegetibus terræ, præſtat etiam maturũ fructum in ſegetibus cordiũ. Propterea ſicut cum copiã frumenti colligimus Deo gratiæ maiores debentur, quàm agricolæ ſeminanti & terram prius aratro ſulcanti: ſic cum audientes verbũ Dei conuertuntur, ſiue ad credendum, ſiue qui crediderint ad bene operãdum, Deo ſuperiores debẽtur gratiæ, quàm ipſi prædicanti. Nõ modica cõſolatio hæc eſt ſeminatoribus verbi Dei, cum illis alius labor non imponitur præterquã ſeminare verbum, & cum ſeminatũ fuerit, Deo committere ſpiritualium ſeminorum fructus maturitatem. Quinimo & aliud maius ſolatium ex hac parabola oritur, cum ſiquidem certiores & vberiores fructus, debeat verbi ſeminator expectare (eo quòd dominus ipſe dat incrementa virtutum, ipſe largitur ſpiritualium ſeminorum pullulationem, & maturitatem, & abundatiam) quàm ſi ipſe poſt iacta ſemina eſſet actor ſegetu, & qui eã faceret germinare. Optime dominus conſuluit peccatoribus, dum noſtram conuerſionem & conſummationẽ non in manibus cuiuſlibet ſancti, ſed ſuæ hoc reſeruauit miſericordiæ & potentiæ. Poteſtatẽ tantum prædicatoribus commiſit prædicationis & exempli, ipſius vero eſt conſumare, quin etiam animarum no-

ſtra-

ſtrarum nobilitatem,& ſuæ imagini & ſimilitudini eſſe animas creatas manifeſtat,cum ſe velit omnium virtutum eſſe actorem & conſumatorem,certamque ſpem nobis dedit,ipſum habituros præmiatorē & præmium.O rex gloriæ qui nulla re eges,& tanta tibi de nobis miſeris cura eſt,& ipſe infinitæ maieſtatis hanc de nobis voluiſti curam ſola pietate ſuſcipere,vt eſſes noſtrarum bonarum operationum actor,director,præmiator & præmium: tibi laus,tibi gloria,tibi gratiarum actio reddatur ab omnibus in æternum, amen.Quod ait, ſtatim mittit falcem,ſic accipiendū eſt,prædicatorem cum viderit maturum aliquem cor habere,illū intra horreum eccleſiæ congregare,& obſeruare ne iterum labatur,vel à virtute recedat.Similitudinē aliam de grano ſinapis, humilitati credentium diſſeruit,ne dum illis Euangelium prædicatur ab hominibus indigenis,& ſecundum ſeculum deſpectus,in principio,deinde ſucceſſu temporis à pauperibus religioſis, deſpiciatur, nec ipſi ſeculi magnates pro nihilo reputent,& prædicantes & ipſum verbum prædicatum:ſcientes quoniam quemadmodum ſinapis granum,quod minus eſt omnibus oleribus,ſurgit in ſuperius olus:ſic Dei verbum ab humilibus prædicatum,& qui tantū innituntur humilitate,ſurgit in arborē magnam,ita vt aues cœli requieſcant ſub vmbra eius.Non enim angeli deſpiciūt quinimo & gaudent, & venerantur Chriſti Dei Euangelium, & gaudio perfunduntur,domino ipſo teſte,ſuper vno peccatore ſuperbo,inflato,ſe humiliante & pœnitentiam agente.Ipſi magnates ſeculi,colla dum ſubdunt humilitati euangelicæ, requieſcunt:& vtinam ſaperent & intelligerent,nullam in hoc ſeculo reperiri poſſe requiem,niſi in humilitate euangelica,& in imitatione Chriſti,& in operatione virtutis:ſic quippe dicit ipſe dominus:Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam vos:Hæc requies mea in ſeculū ſeculi,hic habitabo, quoniam elegi eam:dixit Dauid pſal.131. de habitatoribus Sion: Et pſal.83.Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

E cõtrario autẽ de peccatoribus dicitur, Hiere. 6. Ecce enim ambulat vnuſquiſq; poſt prauitatem cordis ſui mali, vt me non audiat, & eijciã vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos & patres veſtri, & ſeruietis ibi Dijs alienis die ac nocte, qui nõ dabunt vobis requiẽ. non eſt pax impijs dicit dominus Deus, prædixit Eſa. 57. Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicẽtes, pax, pax, & non erat pax, Hier. 6. & talibus multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire, & ſine parabola non loquebatur eis. *Populus enim rudis, melius capiebat verbum admixtum parabolis, & facilius recordabatur parabolarum, quàm ſi in doctrina ſine parabolis dominus loquutus fuiſſet: quin etiam multorum verborum, ſub parabolis non aſſequebantur perſpicuam intelligentiam, eo quòd non erat decens omnia ſecreta populo pandere, ideo dominus ſeorſum omnes differebat apoſtolis parabolas, quippe qui futuri erant totius orbis prædicatores. Non omnia prædicãda ſunt populis, obſcuriora celanda ſunt. propitiatorium alijs duorum cherubin celabatur, Exod. 25. ad Hæb. 9. Sunt quædã arcana Dei, quæ potius celari debent quàm populo manifeſtari, quæ etiam ſæpe, non tantum ædificant ſi prædicentur, quantum in cordibus aliquorum excitant dubitationes & ſcrupulos quoſdam. Doctiſſimus vas electionis apoſtolus Paulus nos docet, altiora nõ dare indifferenter turbis, dũ ad Chorint. 1. cap. 3. ait: Ego fratres, nõ potui vobis loqui quaſi ſpũalibus ſed quaſi carnalibus, tanquã paruulis in Chriſto, lac vobis potũ dedi nõ eſcã, nondũ enim poteratis, ſed nec nũc quidẽ poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Qui idiotis hominibus altiora & ſecretiora Dei prædicat, oſtẽtationẽ magis videtur captare quã ædificationẽ, quod graue peccatũ eſt, cũ tantummodo fructũ animarũ debeat prædicator quærere, & earũ languoribus mederi, & oĩa verba in earũ profectũ dirigere, aliàs ſe quærit non audientiũ aĩas, ſe prædicare intendit non Chriſtum: Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, gloria, & imperiũ in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS. IIII.

In cap. IIII. beati Marci.

ET ait illis in die illa, cum ſerò eſſet factum. *Tran*ſeamus contra. *Et* dimittētes turbam, aſſumunt eum ita, vt erat in naui, & aliæ naues erant cum illo: Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiēs: & excitāt eū, & dicūt illi: Magiſter non ad te pertinet quia perimus? Et exurgens cōminatus eſt vēto, & dixit mari: *T*ace, obmuteſce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. Et ait illis: *Q*uid timidi eſtis, nec dum habetis fidem? Et timuerūt timore magno, & dicebant ad alterutrum: *Q*uiſputas eſt iſte, quia & ventus, & mare obediūt ei? *Omnibus dominus proficere nō deſiſtit, & cū tot mirabilia eſſet operatus ad littus maris, contra vult tranſire, vt alijs ciuitatibus prædicet, & miſeris infirmis medelam conferat: prædicatorum charitatem nobis cōmendat, qui ſi zelum Dei habent, quomodo omnibus proficere poßint illis ſemper ante oculos eſt habendum. Apoſtolorum obedientiam commendat in eo, quod continuò ſe mari committūt, nihil hæſitantes, nec domum repetentes, nec de neceſſarijs ad victū cogitantes: hoc enim ſignificant verba Euangeliſtæ,* et aſſumunt eum ita vt erat in naui. *Non vtique expectandum eſt, neque mora aliqua trahenda, cum iubet dominus: Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, pſal. xvij. Hoc & ſi David, de gentibus credituris prædixit, nihilominus & omnibus promptè obedientibus domino poteſt aptari (per hæc namque verba, obedientia vera exprimitur, quæ non hæſitat, nō rationem rei imperatæ exigit, ſed continuò audito verbo, ſine murmure, ſine iurgio, manum ſuam operi iniuncto imponit.) Talibus nihil eſt in humanis rebus quod quærant, quod optent, qui omnem ſuam voluntatem & libertatem, in manibus præpoſitorum*

collo-

collocarunt: hæc eſt præ omnibus quietior vita, quæ in hoc ſeculo reperiri poteſt, nulla talibus eſt cura, nullam vnquam patiuntur rerum agendarum dubitationem, liberi ſunt ab omni hæſitatione, anxietate & triſtitia: cum nihil aliud præ oculis habeant, quàm ſuorum maiorum iuſſa perficere: ſi multum poſſident, non apponunt cor ipſis rebus poſſeſſis, cum ſi hac eadem hora præpoſitus præcipiat omnibus expoliari, læti dicto obediunt: ſi nihil habent, eadem ſunt lætitia perfuſi, quoniam ſic eſt ſuorum voluntas ſuperiorum, quibus ſuam in omnibus voluntatem liberi ſubiecerunt. Iam incipiunt beatæ vitæ, aliquo modo ſentire quietẽ, cum nulla perturbatio poſſit animum illorũ mouere: Non contriſtabit iuſtum, quidquid acciderit ei: prouerb. xij. Animas facit obedientia caſtas, quæ non fornicantur, nec ſeparantur à Deo, alienum rerum temporalium quærentes amorem. quod & beatus Petrus. 1. Epiſt. cap. 1. his verbis oſtendit. Animas veſtras caſtificantes in obediẽtia charitatis. Namque ſicut vxor quæ in omnibus viro obedit, non poteſt quandiu in corde retinet hanc obedientiam, alium præter illum diligere: ſic qui verè obediens eſt quandiu retinet veram obedientiam Deo cui recto ſe ſubijcit corde, peccare non poteſt, repugnat namq; cum vera Dei obedientia peccatũ: propterea qui peccat, proculdubio obedientiã iã nõ retinet: & qui verè Deo obediens eſt, minimè Dei præcepta transgreditur. Non poteſt maius dici de virtute obedientiæ, qua verè Deo obedimus, quã quod dũ verè retinetur fugat peccata, & tãquam antidotũ ſingulare, cor à crimine præſeruat, & culpæ veneno. Dicto igitur dñi parẽt apoſtoli, & nõdũ verba finierat dñs dicens: Tranſeamus contra, *continuo dimiſſa turba aſſumunt eũ prout erat in naui: fit autẽ procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis: probatio diſcipulorũ eſt, probatio fideliũ futurorũ, typus militantis adhuc eccleſiæ eſt. Cæterũ nihil timendũ chriſtiano, ſi Deus nõ recedit à corde, bona cõſcientia vbiq; ſecura eſt, inſurgãt fluctus, ſufflẽt procelloſi vẽti, tumul-*

multuentur populi, exurgant bella, excitentur rixæ, ſi Chriſtus dominus ab anima non recedit ſecurus es, noli timere: tibi ſolum timendũ ſi à Deo peccãdo receßiſti prædicat ſcriptura: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: Si exurgat aduerſum me præliũ, in hoc ego ſperabo. Et cum hoc ita ſit, & ita contingat habentibus Chriſtum, tamen qui ab illo recedũt, & à quibus Chriſtus ipſe recedit, qui primus ſemper eſt in acceſſu, & ultimus in receſſu, fugiunt & timent à metu foliorum arboris: ſic ait Salomon, Prouerb.28. fugit impius nemine perſequẽte. Procella hæc ventorũ probatio diſcipulorũ fuit: quomodo probatur in conflatorio argentũ, ſic probatur homo, Prouerb.28. Sic enimuero Moyſes corda trepidantiũ Iudæorum mitigauit, dicẽs exod.20. Noli timere, vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, et nõ peccaretis. Ipſe qui nõ dormitabit nec dormiet, ſecundum humanitatem dormiebat ſuper ceruical: dormiebat corpore, diuinitate omnia videbat, & eius beatiſſima anima, ſecundũ ſuperiorẽ rationẽ qua beatiſſima diuinitatis viſione fruebatur, procellã venti, fluctusq; quos in nauim vis vẽtorũ proijciebat perſpicuè cernebat. Vide dñi paupertatẽ, qui cũ diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt illius inopia nos diuites eſſemus non reclinat in lecto, ſed ſuper ceruical, ſic pauper pro nobis factus, naturæ iura ſoluebat, ſic in paruo & pauperi reclinatorio ſomno tãtiſper reficiebatur: inſurgũt fluctus, inſurgit in corda diſcipulorũ timor, nec recordãtur tot miraculorũ ante eorũ oculos per manus dñi patratorũ, nec diuinitatẽ credũt, qui habẽtes ſecũ dñm cœli & terræ & maris, qui omnia quæcũq; voluit fecit, in cœlo et in terra et in mari, turbãtur timẽt & excitãt dñm dicẽtes: Magiſter, non ad te pertinet quia perimus? *O diſcipuli beati, tantũ ad eũ pertinet* quia perimus? *quod ne periremus, paſſurus eſt & ipſe fluctus mortis turpiſſimæ, prout prophetauit de illo Dauid pſal.68. Veni in altitudinem maris,*

Pſal.26.

2. Corin. 8.

mariſ, & tempeſtas demerſit me. Ad illum pertinet ne pereamus, cuius fuit nos condere quando non eramus. Dominus autem cuius viſcera ſunt ſicut cera liqueſcens, comminatus eſt vēto: nec hoc ſufficiebat: Namque poſtquàm ventus qui intumeſcere fecit mare ceſſat, non continuò ſedantur fluctus, & maris eleuatiō vndarum. Manet enim aqua à vento concuſſa & tam cito ſedari non poteſt: ideo dominus poſtquàm vento eſt comminatus, mari dixit: tace, obmuteſce: & facta eſt tranquillitas magna. *Miſit de cœlo & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Hæc eſt in tota ſcriptura, Dei noſtri decantata miſericordia, qui non continet in ira ſua miſericordias ſuas: ſiue iratus, ſiue volens nos probare, ſeculi ventos & fluctus intumeſcere permittit aduerſum nos, cito facit tranquillitatem. Præcipitur Abrahæ immolare filium, condonatur filius, & myſterium illi redemptionis noſtræ in figura oſtenditur. perſequitur Saul Dauidem, occiditur Saul, & fit Dauid rex. perdit omnem ſuam ſubſtantiam Iob, duplicantur illi omnia, & fit tranquillitas magna. Obiurgat dominus illorum timorem, quandoquidem paucitas fidei, illorum corda obrepſerat dicēs:* quid timidi eſtis? nec dum habetis fidē? *Illi vero exterriti à Chriſti potētia, in ſubita venti & maris trāquillitate ad alterutrum dicebant:* quis putas eſt iſte, quia & vētus & mare obediunt ei. *Vſque ad Spiritus ſancti aduentum diſcipulorum fides inſtabilis fuit, nunc credunt illum filium Dei, nunc timent, nunc dubitant, prout fecere in paſſione. In aſcenſione autem de regno temporali percontantur: Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? In timore eorum denotatur credentium fides, ſi non gratia Spiritus ſancti firmetur, vnde fit quòd multi credentes, per perfidiam, prout contigit hæreticis, ſeparentur à fide vera, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.*

Tra-

ET venerunt trans fretum maris, in regionem Geraſenorum. Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neq; catenis iam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, diripiſſet catenas, & compedes comminuiſſet: & nemo poterat eum domare, & ſemper die ac nocte in monumentis, & in montibus erat, clamans & concidens ſe lapidibus. Videns autem Ieſum à longè, cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Ieſu, fili Dei altiſsimi? adiuro te per Deũ ne me torqueas: Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine iſto. Et interrogabat eũ: Quod tibi nomen eſt? & dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem. Erat autem ibi circa montẽ grex porcorum magnus, paſcens in agris. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et conceſsit eis ſtatim Ieſus. Et exeuntes ſpiritus immũdi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare, ad duo milia, & ſuffocati ſunt in mari. Qui autem paſcebant eos, fugerunt & nuntiauerunt in ciuitatem, & in agros. Et egreſsi ſunt videre quod eſſet factum, & venerunt ad Ieſum, & viderunt illũ, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorũ. Cumq; aſcenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cũ illo: & nõ admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia

illis

illis quanta tibi dominus fecerit,& miſertus ſit tui.Et abijt & cœpit prædicare in Decapoli quanta ſibi feciſſet Ieſus,& omnes mirabantur. *Ad expellendam cateruam dæmonum, dominus trans mare Galilææ, ex alia videlicet parte, pertranſit, ſic enim dixerat,* tranſeamus contra, *& venit in regionem Geraſenorum, à ciuitate Geraſar dicta. Erat autem ibi homo à legione dæmoniorum obſeſſus (in exercitu hominum, legio continet ſex millia & ſex centos ſexaginta ſex milites, in legione dæmoniorum quot ſint non conſtat) ipſe mendatij pater ſic loquutus eſt: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. cum tot eſſent, miſerum hominem ſic torquebant, talemque vim ad rumpendum vincula afferebant, vt neque compedibus, neq; catenis poſſet teneri. Iam humanum genus in figura vides, omnibus rationibus vinculis ſolutum per omnia peccata diſcurrens, ipſumque populum Iudæorum, ſolutis vinculis legis & prophetarum, ſæuum nimis, ita vt & in dominum ſibi tot oraculis prophetarum promiſſum, tot ſignatum legis figuris, inſurgerent & occiderent. Peccatorem etiam per vitia diſcurrẽtem, in hoc eodem homine, non ab re potes attendere, qui nec prædicationibus, nec ſacramentis, nec etiã aliquando per poteſtates vinculis mancipatus, à praua conſuetudine peccandi poteſt auelli. Inimicitiam etiam conſidera ipſius diaboli, quam habet aduerſus humanum genus, cum audis illum ſic torquere homines: nullam illis requiem concedit, in quibus per vitia habitat. nõ dubium eſt quin dominus voluerit apoſtolis oſtẽdere in maris periculo, laborem quem in conuertendis ſeculi procelloſis hominibus habituri erant: & in iſto dæmoniaco legionario, pugnam etiam quam aduerſus ipſum dæmonẽ habituri erant, qui à tot Imperatoribus, regibus & magnatibus, populiſque in idolis colebatur, iuxta illud apoſtoli: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates: aduerſus mundi rectores tenebrarũ harũ, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. quandoquidẽ nullum aliud miraculũ dominũ,*

cuius

cuius opera plena ſunt myſterijs, in terra illa Geraſenorum operatum eſſe videmus. Dæmonis illam conſuetudinem, appellandi dominum filium Dei ſimulatam eſſe, ſæpe ſupra diximus, vt vel ſic poſſet explorare Chriſti diuinam naturam, quam in illo ſuſpicabatur eſſe. Adorationem etiam ſimulatam intelligimus, illã inquam, quæ domino vero Deo debebatur, ſed dæmones tanquam virtutem ſe ipſis ſuperiorem habentem, ne illos torqueret adorabant: facultatem tunc petierũt, vt in gregem porcorum permitteret ingredi, quod & dominus conceſsit. Non poteſt dæmon quicquam facere, niſi dominus permittat, ideo & ſi ille dominũ non nouerat, ſuſpicabatur tamen. Cæterum tanquam ſanctiſsimo viro, in quo experiebatur magnam eſſe virtutem, facultatem hanc poſtulabat, vt tandem aliquid poſſet in porcis, quod iam nõ poterat in homine: Dominus autem ſuo ſecreto conſilio conceſsit, legionem in porcos intrare: & ſic fit vt dæmon precans introire in porcos, precans etiam tentare Iob, exaudiatur. Paulo vero precanti auferri à ſe carnis ſtimulum dicitur: Sufficit tibi gratia mea. Illi vero tanto illos tormento affecerunt vt magno impetu totus grex præcipitaretur in mare: erant autem duo millia porcorum. Nec tacebo Iudæorum quorundam ineptiam, qui ex hoc loco volunt impudenter arguere, quomodo Iudæi quibus prohibitum erat manducare carnes ſuillas, porcos habere in tanta quãtitate dicantur? Prohibitum, reſpondemus huic ineptæ impudẽtiæ, Iudæis erat, manducare lepores & cuniculos, neque propter hoc Deus à creatione horum, & aliorum plurimorum animalium ceſſabat; quandoquidem multis alijs rebus prodeſſe poterant, & ſic de prohibitis piſcibus dicendum venit. Similiter porci pinguedo, maximè illa quæ inter viſcera nutritur, vtiliſsima eſt ad medicamenta plurima, illãque medici ſæpe neceſſariam, ad non modicas infirmitates curandas quærũt. Neceſſe ergo erat, in aliquo Iudæorum loco habere porcos: neque etiam ſutores, ocreas, calceos, ſandaliaque conſuere poſſunt, niſi ſeta porci filo ligata.

Cæ-

Cæterum de porcis, & in tanta quantitate vltimo dicendum eſt: Quòd vel Iudæi hos curabant porcos, quia in pretio apud gentes quæ adhuc habitabant terram illã habebantur, quos illis vendebant, & ſic non ad eſum, quia prohibiti erant, ſed ad vendendum & augendam pecuniam, porcos alebant: Rurſus autem ſciendum eſt, quòd Cananæi non longè à Geraſar habitabant, & poterant paſtores ſuos cum porcis, habita à Iudæis facultate, ad illa paſcua, iuxta mare in terra Geraſar, mittere, vt per paſtores Iudæorum ibi paſcerentur. Quòd autem eſſet vicina Geraſar Tyro & Sydoni vbi gentes habitabant, beatus Matth. apertè oſtendit in fine.14.cap. dicens: Et cum transfretaſſent venerũt, in terrã Geraſar. & paucis interiectis ait: Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sydonis, & ecce mulier Cananæa à finibus illis egreſſa, clamabat ad dominum. Sic ſatis perſpicuum eſt, per paſtores Iudæorum hos porcos nutriri, quos ſi Iudæorum dicas, illos ad vendendum gentibus propè habitantibus paſcebant, vel porci Cananæorum erant nutriti per paſtores Iudæorum, propter paſtus iuxta mare abundantiam: præſertim cum Iudæis habere porcos non ſit prohibitum, ſed tantum illorum veſci carnibus. Cum paſtores nuntiarent in ciuitate, venerunt viri, neque aliquid loquuti ſunt contra Ieſum, vt ſcias nulla tribulatione, in Deum vllum eſſe verbum iniquum referendum, ſed cũ beato Iob dicendum: Dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut domino placuit ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum. Nihilominus rogabant eum, vt diſcederet à finibus ſuis: quod non timore deuotionis, tanquam ſe indignos arbitrantes eius præſentia, ſed timore amittẽdi alia pecora, ſi alius adduceretur dæmoniacus poſtulabant. Sunt etiam aliqui viri deuoti, qui Deum volunt, ſed cum porcis, vnà cum terrena ſubſtantia: hæc deuotio fragilis eſt ſimilis illi, de qua dicebat Dauid: confitebitur tibi, cum beneféceris ei. Verus Chriſti amator non ſic ait, ſed dicit: Benedicam domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: ſiue diues

ſim,

ſim,ſiue omnibus vna hora expolier bonis, ſemper benedicam, ſemper laus eius in ore meo. Viri iſti Geneſareth ſine porcis nolebant Chriſtum dominum, moram facere in finibus ſuis, quod & dominus humiliſſimus & amantiſſimus, eorum fragilitati compaſſus, continuo fecit: & ingreſſus eſt iterum nauiculam. quo ſit clarior noſtra, quam in principio dicebamus ſententia, dominum in hunc locum veniſſe, tantum ad hanc legionem ſathanæ ab hoc paupere homine eijciendam, & ad inſtruendos apoſtolos ne terrore percuterentur, aduerſus Idola pugnaturos. Liber ab hac tanta plaga homo, rogabat dominum vt ſe eunt ſequi permitteret, quod dn̄s noluit, ſed abire illum ad ſuos iuſſit, & quanta illi feciſſet dominus nuntiaret: quod libenter homo fecit, narrans quoquo ſe vertere contingebat, quanta illi feciſſet Ieſus. Nobis vtique exemplum dedit dominus cùm aliquid boni faciamus, non illos nobiſcum, cui bona fecimus adducere, ne tuba canamus, ante nos buccinãtes operá noſtra, illis vero quibus bona præſtitimus non prohibetur hæc publicare, dummodo gratias referant, non nobis vtique, ſed Deo, eorum quæ receperunt beneficiorũ, quorum omniũ bonorum auctor eſt Deus, vt cæteri audientes gratias etiam agant Deo. Qua propter concludit Euangeliſta, omnes mirabantur, uidelicet, quibus legionarius iſte narrabat, quanta illi fecerat Ieſus. Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, gloria, imperium & poteſtas in æternum. Amen.

In cap. V beati Marci.

ET cum tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſum trans fretum, cõuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et venit quidã de archiſynagogis, nomine Iairus, & vidẽs eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicẽs: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni impone manum tuam ſuper eam vt ſalua ſit, & viuat: Et abijt cum illo: & ſequebatur eũ turba multa, & cõprimebant eũ. Et mulier quæ erat in profluuio ſanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quicquã profecerat, ſed magis deterius habebat: cum audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius: dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, cõuerſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimẽta mea? Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circunſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier vero timens, & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace, et eſto ſana à plaga tua. Adhuc eo loquente, veniunt nuntij ad archiſynagogũ, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid vltra vexas magiſtrũ? Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantũmodo crede: et non admiſit quenquam ſe ſequi, niſi Petrum et Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes, & eiulantes multum. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella

non

non eſt mortua, ſed dormit. Et irridebant eum. Ipſe vero eiectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecũ erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens: Et tenens manum puellæ, ait illi: Talithacumi (quod eſt interpretatum) puella, tibi dico, ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Et obſtupuerunt ſtupore magno. Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret: et iuſsit dare illi mãducare. *Quoniam de his duobus miraculis à domino perpatratis, ſatis in cap. 9. beati Matthæi diximus, breuiter nunc percurremus. Archiſynagogum, cuius nomen reticuit beatus Matth. nunc Marcus Iairum nominat, hic procidens ante pedes Ieſu, & hoc quod dicit beatus Marcus dixit: & illud quod dicit beatus Matth. hoc eſt, filia mea in extremis eſt, & mortua: hoc eſt, ita eſt in extremis vt ego illam mortuam reputẽ. Ideo dicit beatus Matth. modo defuncta eſt, non quòd illam pater Iairus iam mortuam relinqueret, ſed taliter erat in extremis vt illam defunctam in illa hora, quando hoc Chriſto domino dixit reputaret, ideo ait: in extremis, & modo defuncta eſt, ego illam defunctam arbitror. & ſic melius quàm aliter exiſtimo concordare verba euangeliſtarum, cum ſemper pro certo habere neceſſarium ſit, quando vnum verbum vnus euangeliſta ponit, & in illo loco aliud verbum reperitur in alio euangeliſta, vtrunque vel dominum, vel quicunque ille ſit cuius verba referuntur, dixiſſe. Sic colligimus ex omnibus Euangeliſtis, ſeptem verba dominum in cruce dixiſſe, & nullus illorum ponit omnia ſeptem. Sic igitur coniungenda ſunt verba Iairi, Domine filia mea in extremis eſt, concordant verba Lucæ cap. 8. quia vnica filia erat ei, ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur: poſuit beatus Lucas, quia non verba propria Iairi, ſed ſenſum poſuit, vt facile eſt videre: & modo defuncta eſt, hac hora illam defunctam arbitror, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & viuet: quia illam adhuc non certò, ſed ſecundum ſuam exiſtimationem defunctam*

arbitrabatur. rogat vt veniat & manum imponat: defectum patiebatur in fide Iairus, non credens domini diuinitatem. excitatus namque, eſt à domino, poſtquam à nuntijs cognouit illam vere eſſe defunctam, in fide, dicente: Noli timere: tantummodo crede: *Eunte domino, in via ſanatur mulier à profluuio ſanguinis, quæ omnia medicis erogauerat, nec melius inde habuerat. Neceſſe eſt, poſt adhibitam naturalem diligentiam, qui melius non habet, recurrere ad diuinã potentiam. prius procedendum eſt naturali via, deinde liberum eſt, expectare à Deo ſupernaturalem recurſum. In omnibus igitur negotijs quæ via poſſunt naturali confici, non ſunt poſtulanda miracula, nihilominus orandum, & à domino poſtulandum in omnibus auxiliũ eſt, non miraculum. Poſtquam autem natura, & ars deficiunt, tunc remedium ab illo ſolo eſt petendum, qui potuit & hanc à profluuio ſanguinis ſubitò ſanare, & aliam vno verbo ſuſcitare. Legimus enimuero, dominum non dediſſe Iudæis manna de cœlo, niſi deficiente farinâ, quam ſecum tulerant ex Ægypto. Quoniam igitur naturalem habebant panem, non datur cœleſtis: deficit natura, fit miraculum. Quòd autem dominus dixit, virtutem à ſe exiſſe, non eſt accipiẽdum, vt virtus flueret quemadmodũ à fonte fluit aqua: ſed virtutem exire, eſt operari: ego ſenſi me feciſſe miraculum, quis me tetigit? qui ſcit ſe ſanaſſe hanc mulierem, nouerat etiam illam, ſed voluit vt illa daret Deo gloriam, & haberet gratias pro conſecuta ſalute, ne forte ingratitudine perderet quod acceperat, & ſi non in corpore, in anima, cuius præcipuè ſalus eſt conquirenda. Poſt ſuſcitatam filiam Archiſynagogi, præcipit nemini dici, & hanc à profluuio ſanguinis ſanatam voluit eſſe manifeſtam: hîc inanem nos docẽs gloriam fugere: illic docens benefactori Deo gratiſsimos eſſe. Qui enim ingratus eſt, etiam benefactoribus hominibus, meretur beneficio collato priuari: Deridebant dominum dicentem:* puella non eſt mortua, ſed dormit: *ſed poſtea cum illam viderent viuam obſtupuerunt. Populum Iudæorum errare*

cum

cum dicimus, & ſopore infidelitatis teneri, irrident nos ipſi Iudæi: ſed cum in fine ſeculi à morte reuocabuntur, ſanata prius gẽtilitate ab idolatriæ profluuio, obſtupeſcent. Et iuſsit dominus illi dare manducare, vt ſcirent illam non ſolum vitæ reuocatam eſſe, ſed cum reductione animæ, virtutem ambulandi & manducandi, ſubitò illi fuiſſe collatam. Nihil loquitur Euangeliſta de fide huius Archiſynagogi, quẽadmodum de Regulo beatus Ioan. ait: Et credidit ipſe, & domus eius tota, ſed de ſtupore magno. Sic obſtupefacta ſynagoga, & non conuerſa, permanet vſque in finem, tunc conuertentur ad veſperam, & credent dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, eſſe Meſsiam verum, verumque Dei filium: Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria, & imperium, in æternum. Amen.

In cap. VI. beati Marci.

ET egreſſus inde, abijt in patriam ſuam, & ſequebantur eum diſcipuli ſui. Et facto ſabbato, cœpit in ſynagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi; & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic eſt faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabãtur in illo: Et dicebat illis Ieſus: Quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos, impoſitis manibus carauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum: & circuibat Caſtella in circuitu, docens. *Viſitare patriam, charoſque cognatos & amicos, ad illis ſpiritualia bona communicandum laudabile eſt. Ecce enim poſt ſuſcitationem filiæ archiſynagogi, dominus in patriã ſuam Nazareth venit, & ſabbato docet illos in ſynagoga, ſecuti ſunt illum & diſcipuli. Admirabantur nazaræi in doctrina & miraculis domini: & vtinam mirarentur, vt conuerterentur & crederent, ſed mirabantur detrahentes nimium diuino honori, quin etiam & humanitati Ieſu benigniſſimæ & ſanctiſſimæ, cum deberent credere doctrinæ, cum deberent in fide roborari miraculis: audi quid dicunt:* Vnde huic hæc omnia? *O bellius rudiores homines cum ſic loquimini,* Vnde huic hæc omnia? *ſi vobis videtur, non poſſe humanitatẽ talem ſepientiã & potentiam habere, quare vobis metipſis non reſpondetis? dicentes è cælo. Certum enim eſt ſi nõ à terra, ergo a cælo? Si a cælo a Deo vtique: ſi à Deo quare non creditis euangelio? Illi admirabantur in doctrina eius, & nos admiramur in incredulitate eorum. Vide quantum malum generet in homine, praua conditio & corrupta natura. Quemadmodum*

modum enim, ſi ſtomachus ſit corruptis humoribus plenus, omnia quæ eduntur, quantūque bona ſint, in malos conuertuntur humores: ſic anima prauè affecta, etiam miraculis detrahit. Sic profectò iſti dicunt: Quæ eſt ſapiētia quæ data eſt illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? *O adorāda doctrina, o veneranda miracula? quis eſt tam prauè affectus ex vobis, qui non ſuſpicetur Deum & non alium poſſe eſſe, talium rerum operatorem? O ſtupidi Nazaræi, & ſilicibus duriores, cū dicitis:* Quæ eſt ſapientia quæ data eſt illi? *quare nō agnoſcitis talem ſapientiam, alium non poſſe niſi deum ipſum habere autorem. cum dicitis,* & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? *non ne videtis, à ſolo Deo poſſe mortuos ſuſcitari, leproſos ſubito mundari: à profluuio ſanguinis, illam cui medici ſubuenire non poterant, ſolo tactu ſanari: mortuam Iairi filiam ad vitam reuocari? Erudiuit Dominus apoſtolos ſuos, quanta paſſuri erant à Iudæis perfidis, erudiuit vtique in ſua patria non multas poſſe operari virtutes: ita vt diceret: Vobis quidē oportebat primū loqui regnum* Act. 13. *Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ: ideo cōuertimur ad gentes. Ferina horum duritiei Nazaræorum, vide quid dicāt: Mirabantur & dicebāt, vnde huic hæc ſapientia, & virtutes quæ operātur per manus illius? Vnde quæſo niſi de cœlo? vnde niſi ab illo, in quem deſiderant angeli proſpicere? Iam conſultum eſt apoſtolis ad duritiem Iudæorum perferendam, videre doctrinæ & miraculis domini, à compatriotis ſuis Nazaræis, ſic detrahi, ſic cōtradici. Non ſatis illis fuit doctrinam & miracula inſectari, ſed etiam diuinam perſonam ignominia afficere, quaſi eſſent conſanguinei eius mechanici, gēs ſine ſanguinis nobilitate. Propter hos tales beatus Matth. à genealogia nobiliſſimorum Abraham, Dauidis & aliorum regum Iſraël, texuit ſaluatoris lineam: & beatus Marcus ab altitudine Dei incepit dicens: Initium Euangelij Ieſu Chriſti, filij Dei. Fabrum appellant, & filium fabri ſecundum Matth.*

vtrumque ergo dixerunt: nõ ne hic eſt faber, & fabri filius? faber vtique erat Ioſeph lignarius, nec ob hoc vituperandus. Paſtor ouium fuit Rex ille Dauid, de quo non modicum gloriantur Iudæi. Melius eſt aliquem officium exercere, quàm ocioſum eſſe. De domino nunquã legimus artem aliquã exercuiſſe, cuius vita ſemper fuit in ſupremo cœlo cõuerſatio: filius Mariæ frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ & Simonis. *Omnes hi quatuor fratres erãt, filij Mariæ Iacobi, quæ dicebatur Maria Cleophe, ſoror Deiparæ virginis Mariæ, quemadmodum & Salome, mater beati Iacobi & Ioannis, uxor Zebedæi, eiuſdem virginis Mariæ etiam ſoror. Iam ſupra diximus, in ſcriptura omnes filios ſororum, ſeu fratrum fratres dici: ſic dixit Abraham Loth eſſe fratrem ſuum, qui erat filius fratris ſui, & Saram ſororem ſuã, quæ ſua erat vxor: & Iſaac Rebeccam vxorem, ſororem ſuam, cum diuerſaretur apud Abimelech. & Machabæ. lib. 1. cap. 2. Iudæi alios omnes Iudæos dixerunt fratres, eo quòd vnius eſſent religionis & nationis. Dominus autem miratus horum durißimam hebetudinem, dicebat:* Quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, et in cognatione ſua. *Hoc eſt ſecundum communẽ ſucceſſum. Cæterum, fortè altius dominus loquebatur, ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum in regione Iudæorum, quæ erat ſua patria, domus, & cognatio: prout dicit beatus Ioannes cap. 1. In propria venit, & ſui eum non receperunt. neque ſine magno eorum periculo, prout vaticinatus eſt Daniel, cap. 9. dum de tempore aduentus, & mortis domini ageret dicẽs: Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Iudæorum vtique diſperſionem, & populorum vaſtationem prænuntiãs, eo quòd nõ cognouerunt tempus viſitationis ſuæ.* Et non poterat ibi virtutem vllam facere. *Non eſt defectus ignis, ſi non ea facilitate comburit ſaxum, qua deuorat lignum, neque ſi difficilius cõſumit ferrum, quàm conſumit fœnum, ſed ex parte durißimæ materiæ id contingere certißimum eſt. Sic vtique diuinus*

ignis

ignis Chriſti non adurebat nazaræos, quoniam ſaxa eorum corda, ferrea natura, nõ ſuſcipiebant verborum domini calorẽ, neq; ad miraculorum flammas liqueſiebant. paucos infirmos curauit manibus impoſitis, quippe qui fideliter ſalutem poſtulabant. Mirabatur humana natura Chriſti, ſecundum partem illam inferiorẽ qua edebat, dormiebat, & cætera naturæ officia exercebat, tantam hominum incredulitatem, illiſque tanquam deo reſiſtentibus relictis, circũibat alia caſtella, non ocioſè ſed docens. Cui cum patre & ſpiritu Sancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum Amen.

TRACTATVS. II.
In cap. VI. beati Marci.

ET vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum. Et præcepit illis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandalijs, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocunque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde: & quicunque non receperint vos, nec audierint, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur. *Voluit dñs, ſe viuente, apoſtolos incipere ſui apoſtolatus officiũ, ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, vt illos inſtrueret quæ facturi erant. Præterea, vt videntes virtutes, quæ in Chriſti nomine faciebant, illo adhuc in terra cõmorante, firmam haberent ſpem, potiora in eius nomine poſt eius abſceſſum facturos, illo ad dexteram patris regnante: Quod ait:* & dabat illis poteſtatem ſpirituum immũdorum: *ſe Regem æternum oſtendit. Nempe quemadmodum Rex, mittens*

in aliquam prouinciam proregem vel prætorem, illi literis ſuis poteſtatem tribuit puniendi, & exterminandi latrones, homicidas & malefactores, ſe in hoc, Regem illius regni oſtendens: ſic dominus non literis, ſed ſolo ſuo verbo hanc commiſſionem apoſtolis tradens, ſe ſuperiorem ſpiritibus oſtendit, quod argumentum eſt diuinitatis: Modum vitæ tenendum præſcribit, quem nunc teneant, & quem poſt eius glorioſam aſcenſionem obſeruent, quod in actibus apoſtolorum feciſſe legimus: ab omni temporali ſcilicet ſolicitudine omnino vult eſſe alienos, circa vnum ſolummodo eſſe ſolicitos, hoc eſt, animarum ſalutē. Ideo nec virgam poteſtatis, quam ſcribæ & legis doctores manu geſtabant, vt eorum doctoratus, his agnoſcerentur inſignibus, geſtare permittit: Nec enim baculum prohibet: & ſic accipiēdum eſt illud quod dicitur Matth. 10. Neq; virgam, hoc eſt doctorale ſignum: hic dicit Marcus, niſi virgam tantum, hoc eſt baculum ad viæ ſubleuamen: non peram, non panem, non pecuniam, neque calciamenta ſecundum Matth. niſi ſandalia ſecundum Mar. itaque vtrumque dixiſſe dominum perſpicuum eſt. (um enim dicit Matth. non calciamenta, exceptis ſandalijs intelligendum eſt: legēda itaq; eſt vtriuſq; Euangeliſtæ ſic ſententia: neq; calciamenta, ſed calceatos ſandalijs: & ne induerentur duabus tunicis: vna tunica pro veſtimento completo accipiendū eſt. Non enim diceret Ioānes 13. dominū depoſuiſſe veſtimenta ſua ad lauandos diſcipulorū pedes, niſi vna tunica indueretur & alia deſuper, inſuper & pallio, quando non dixit: depoſuit veſtimentum ſuum, ſed veſtimēta ſua. Abſurdū ſanè eſſet pedes diſcipulorū nudū lauare. Depoſitis itaq; veſtimētis, adhuc dn̄s tunica interiori amiciebatur, quod oēs Euangeliſtæ confirmant, dū in paſſione dn̄i aſſerunt, milites diuiſiſſe veſtimenta eius, & ſuper tunicam inconſutilē miſiſſe ſortē. Omnē ſolicitudinē voluit dn̄s à cordibus apoſtolorum remouere, prout apoſtolus Petrus dicit: Omnē ſolicitudinē veſtrā proijciētes in eum, quoniā ipſi eſt cura de vobis. Solicitudo namq; præſentis

vitæ

vitæ corda prædicantium perturbat, & minuitur ſolicitudo ſalutis animarum, dum de terrenis eſt prædicantibus cogitatio: neq; noſtris temporibus parum nocet, quinimo & nimis: dum enim prædicator verbi Dei proprijs eſt intentus commodis, minor illi cura eſt de aliena ſalute. Non mutare hoſpitium præcipitur, ne leuitatis arguantur, & primus qui eos recipit hoſpes ſcandalizetur, dum eius hoſpitium repudiatur, & ſic fructus animarum minuatur: Puluerem excutiendum à pedibus iubetur illorum qui non receperint verbum, in teſtimonium incredulitatis eorum, & vt nouerint etiam infidelium nec puluerem eſſe retinendũ, in teſtimonium vtiq; horrendi ſupplitij, quod de infidelibus ſumpturus eſt Deus, ideo additur: in teſtimonium illis. *Et* exeuntes prædicabant vt pœnitentiã agerent. *Nota totius Iudææ corruptionem, paucis aliquibus ſanctis exceptis. Incipit Ioãnes prædicare: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum Matth. 3. Incipit dominus prædicare: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. miſſi apoſtoli ad prædicandũ, incipiunt, pœnitentiam agite: Ex quo certiſſimum redditur, magnam peccatorum molem illo tempore, occupaſſe Iudæos. Dæmonia multa eijciebant, vt miraculis roborarẽtur in fide, & multos ægros oleo vngebant, & ſanabantur: quod & ſi non legatur, domino prædicente hoc facere arbitramur (noua ſiquidẽ res, & nouæ rei nouus ſanitatis effectus) ſanabantur nempe ægroti vncti, hocq; à domino proceſſiſſe non ab re exiſtimatur. Hic iam extremæ vnctionis ſacræ effectum, quem poſtea beatus Iacobus pronuntiauit attende: Et alleuiabit eum dominus, inquit, ſcilicet infirmum inunctum. In anima autem effectum quem facit vnctio dicit: Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Ecce apoſtolicæ prædicationis effectus in Iudæa, ecce prædicantium præſcripta vita, ecce euangelicæ legis perfectiſſima diſciplina. tales oportet eſſe præcones Chriſti, tales legis euangelicæ annuntiatores, tales pœnitentiæ agendæ declamatores, ipſa per ſe præcepta*

præ-

prædicatoribus data, legis perfectionem oſtendunt. Quis enim alius talem præſcripſit ſuis militibus normam? quis alius talem rationem viuendi præcepit, niſi Chriſtus dominus verus Deus? vnctus ſiquidem oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Legem immaculatam condidit figurarum veterum, legem & prophetarum impletiuam: legem vtique animas conuertentem, lucidam & oculos peccatorum illuminantem. Talis lex, tales annunciatores exigit. Caueant igitur qui paucis, & vtinam non multis peccatis tenentur, ſibi euangelicæ legis prædicationis officium impudenter vſurpare; hi quippe amplius accipient iudicium. quemadmodum & ſinceri verbi prædicatores abundantius, & maius præmium. gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, in æternũ. Amen.

TRACTATVS. III.

In cap. VI beati Marci.

ET audiuit rex Herodes (manifeſtum enim factũ eſt nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: Quia Elias eſt. Alij vero dicebãt: Quia propheta eſt, quaſi vnus ex prophetis. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit. Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes *H*erodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. *H*erodias autẽ inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. *H*erodes autem metuebat Ioannem, ſciens eum virũ iuſtum, & ſanctũ: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidiſſet, *H*erodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumq; introiſſet filia *H*erodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet *H*erodi, ſimulque recumbenti-

bentibus, Rex ait puellæ: Pete á me quod vis & dabo tibi: & iurauit illi: Quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? at illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtę. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens: volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex. Propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput eius in diſco, & decollauit eum in carcere. Et attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellę: & puella dedit matri ſuæ. Quo audito, diſcipuli eius venerũt, & tulerũt corpus eius, & poſuerũt illud in monumẽto. *Cõfitetur Herodes reſurrectionem corporum, & vitam poſt reſurrectionem præſtantiorem futuram, Deo gratias: teſtimonium habemus reſurrectionis futuræ, etiam ab Herode, qui ſequebatur phariſæorum, & omnium verorum Iudæorum ſententiam. Omnes enimuero veri Iudæi, per legem reſurrectionem futuram fatebantur, nunc non noui cuius ſint ſententiæ, qui tantum aberrauerunt á Chriſto, non mirum ſi forte errent á reſurrectione futura per Chriſtum. ſed quoniam cum illis hunc articulum non diſcuſſi, non affirmo quid nunc ſentiant: quanquam cum iam non ſint veri ſed falſi Iudæi, non multum ab eorum perfidia aberramus, ſuſpicantes nihil ipſos de reſurrectione credere: tot opiniones iactabantur de Chriſto, quoniam veritatem & tempus aduentus eius nolebant diſcutere Iudæi. Herodis vero hæc fuit opinio, Ioannem ſcilicet ſurrexiſſe á mortuis, quem ipſe decollauerat: meminit ſuæ iniuſtitiæ. Peccata enimuero grauia, vermes ſunt rodentes conſcientiam, quod maxime habet homicidium: hac occaſione beatus Marcus ipſam Herodis feritatem, & Ioannis mortem narrauit, de qua Matth. xiiij. diximus. Nihilominus tamen hîc tria annotabimus: ex Dei parte permiſſionem: hominis Herodis crudelitatem & iniuſtitiam: ex parte Ioannis, veritatis*

& ſalutis animarum zelum. Ex parte Dei conſideranda venit, iuſtorum in hoc ſeculo pia ſeueritas. Quoniam, vt dicit beatus Petrus, tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei: ſi autem primum à nobis: quis finis eorum qui non credunt dei euangelio? Et ſi iuſtus quidem vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? prima Petri. 4. Itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori cōmēdent animas ſuas in benefactis. Et apoſtolus Paulus de filijs inquit: Caſtigat Deus omnem filium quem recipit: Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri & non filij eſtis, Hæbr. 12. Quam porrò rationem huius diuini cōſilij afferre poſſumus, illā vtique primam arbitror, ſic diuinam hoc diſponere voluntatem, quæ ſemper ſūma ratio eſt. Cæterum poſſumus dicere, cum peccatum primi parentis in inobediencia fuerit, ſummā in hominibus illam eſſe virtutē, ſi pro obedientia præceptorum Dei, ipſam cum ſanguine vitam finiant. Ille pro eſu vnius pomi, & pro voluntate ſuæ vxoris captanda, Dei mandatum tranſgreſſus eſt: nos pro obſeruatione mandatorum Dei, ne ab eius obedientia diſcedamus, patriam, parentes, cognatos, ſubſtantiam, & ipſam propriam vitam, ſi opus eſt, exponamus. Hinc eſt quòd cum poſſet tot virtutes enarrare beatus Paulus de Chriſto, propter quas maximam meruit exaltationem, tantum obedientiam commemorat ad Philippē. 2. dicens: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Flagellis igitur præſentis vitæ Dominus ſuos purgat, erudit & coronat. purgat, qui ſi non habent quid purgent, vt beatus Ioānes, habent qua erudiantur obedienciā, ſcientes quantæ æſtimationis ſit Deus, & quantum debent eorum præcepta cōmendari, & obſeruari, pro cuius honore, & pro quorum obſeruatione etiam ipſa vita pro nihilo pendenda eſt. Quòd Ioannem libenter audiebat Herodes, & eo audito multa faciebat: peccatorum

torum maiorum conditio eſt, audire verbum Dei, aliqua bona opera facere, dummodo peccatũ quo tenentur non tangas. Hi ſimiles ſunt illis qui aliquod membrum caſſatum habent, omnia alia membra libenter tangenda offerunt, ſi vero confractum mẽbrum tangas, magno clamore vociferantur: quod non ſine magna dæmonis aſtutia fieri certiſſimum eſt, vt dum homo virtutes aliquas agere experitur, exiſtimet ſe poſſe ſaluari, cum pro vno peccato grauiſſimo quo tenetur ligatus, ſi non reſipiſcat, certam eius damnationem dæmon expectet: Quemadmodum qui ligatũ vno compede habet ſeruum, liberam illi per ciuitatem deambulandi concedit facultatem, ſciens illum à ſua non poſſe fugere ſeruitute. Cæterum quid de Herode iudicem, tanta leuitate in tantam crudelitatem incidiſſe, prorſus ignoro? non deſunt qui dicant, illum ſecretò conſenſiſſe Herodiadi, & eius conſilio tragœdiam fuiſſe peractam: alij illum ignoraſſe euentum promiſſionis, puellæ ſaltatrici factæ affirmant. quicquid ſit, non poſſumus hominem rationalem, tantæ leuitatis & crudelitatis non dãnare. Vide quid faciat inordinatus filiorum amor? ſaltat puella, adulter filiam ex adulterio ſuſceptã ita diligit, vt iuret quicquid petierit ſe facturum? rem deteſtabilẽ poſtulat maledicta proles, annuit pater, & præcipit angelicũ virum baptiſtã in carcere decollari, & caput in diſco poſitũ, tanquã eſcã puellæ manibus matri offerendũ tradi. Nulli rei eſt apponendus amor ſine menſura, quod vt rectius explicemus, nihil eſt diligendum quod nõ diligatur propter Deũ: Tunc enim ſecurè amamus, dum citra Deum ſuos habet dilectio terminos. Ioannes ipſe totius virtutis & ſanctitatis ſpecimen, de quo tanta ſaluator præconia turbis nũtiauit, de quo tãta cecinerunt prophetæ, traditur adulteræ, caput eius amputatur in carcere, datur in diſco. quãta patiẽtia, quanta Dei obedientia, ne ille truculẽtus & ſordidiſſimus Herodes, Dei trãsgrederetur mandatum, retinens vxorem Philippi fratris ſui viuentis, Ioannes capitis abciſionem tolerauerit, ex eius vita penè angelica oſtenditur.

Exi-

Exiſtimabat profectò cum eſſet in carcere rei futuræ euentum, & qui dixerat de Chriſto: Illum oportet creſcere, me autem minui, Ioannis. 3. Diſcipulos ad dominũ deſtinauit, conſulens illis vt ex reſponſo domini, illũ agnoſcerent & ſequerentur, Matth. 11. Itaque ex parte ſua Deus noſter, ſanctis ſuis dũ patiũtur maius præmium parat: & illis ſe tanquam patrem oſtendit, ex parte noſtra debitam Deo & eius mandatis obedientiam dum patimur præſtamus, vt poſſimus cum illo regnare. Cui laus, honor, poteſtas, gloria & imperium permanet, in ſecula ſeculorum. Amen.

TRACTATVS. IIII.
In cap. VI. beati Marci.

ET conuenientes apoſtoli ad Ieſum, renuntiauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite ſeorſum in deſertum locũ & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi, & nec ſpatium manducandi habebant. Et aſcendentes in nauim, abierunt in deſertum locum ſeorſum. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi: & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Et exiens, vidit turbam multam Ieſus: & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oues non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa. Et cum iam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus hic, & iam hora præterijt, dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent. Et reſpondens, ait illis: Date illis manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. Et cum cognouiſſent, dicunt: Quinque, & duos piſces. Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes ſecundũ contubernia ſuper viride phœnum. Et diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.

nos. *Et* acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, vt ponerēt ante eos: & duos piſces diuiſit omnibus. Et mandu cauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus. Erāt autem qui manducauerunt, quinque milia virorum. *Iuſtum eſt, negotiorum geſtorum rationem dominis reddere, iuſtum & gratias ei, qui contulit reddere: hoc certe faciunt apoſtoli; tanquam grati, & tanquam veri Chriſti negotiatores, renuntiant ei omnia, quæ fecerant & docuerant. Bene conſulunt ſibi verbi dei operatores, ſi omnia quæ faciunt, quæque docent referant Ieſu: errare non poteſt qui ſibi à ſacra ſcriptura præſcriptos terminos non tranſgreditur. Tunc enimuero illius vera & fructuoſa erit doctrina, qui ſibi referens nihil, pro omnibus gratias agat redemptori, confidatquè quo magis Chriſto domino ſubijciatur, maiorem ſe mercedem ab ipſo accepturum. Ecce enim miſericors & piiſſimus ſaluator, labori eorum compatiens ait:* Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. *Nota autem eos, vt poſſint puſillum requieſcere, abire in deſertum locum præcipere dominum: non enim inter turbas, & ſecularem conuerſationem requieſcere poſſunt, quin etiam vt paruam quocunque te conferas, noueris requiem habere poſſe, ait puſillum: nullam ſane niſi puſillam poſſumus in hac vita habere requiem. Foris pugnæ, inquit apoſtolus Paulus, intus timores. 2. Corinth. 7. Feſtinemus ergo illam ingredi requiem, vbi pax eſt, & plena requies. Tanta enim frequentia populi ſequebatur dominum, vt neque ſpacium haberent manducandi. Aſcendentes igitur in nauim abierunt in deſertum locum: populus autem ex omnibus ciuitatibus, videlicet maritimis, pedeſtris circuiendo ſcilicet ſtagnum, præuenit eos: magna deuotio turbæ, ſed maior miſeratio domini, qui cum vt aliquantiſper requieſceret, ipſe & diſcipuli eius à labore tranſfretaſſet, non ſe abſcondit, nec reijcit turbas, quinimo*

H uident

videns turbam magnam, miſertus eorum, qui erant tanquam oues non habentes paſtorem: quoniam ſacerdotes, ſuæ auaritiæ deſeruientes, de lacte & lana curam habebant, de animabus autem prorſus nullã: cœpit tunc illos multa docere. Cum autem illis ſpirituale prandium dediſſet, non oblitus eſt etiam pabulum corporale illis dare: vtrumque dominus fecit, animam & corpus: de vtroque proinde illi ſemper eſt cura. Iacta igitur ſuper dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, pſal.54. & alibi pſal.39. Ego autem mendicus ſum & pauper, dominus ſolicitus eſt mei. Diſcipuli porrò magiſtri pietatis æmulatores, dicunt domino: Deſertus eſt locus hic, & iam hora præterijt, *hora ſcilicet ſumendi cibum, inſuper locus deſertus eſt:* dimitte illos vt euntes in proximas villas & vicos emant ſibi cibos. *Tardior efficeretur hora, ſi ieiuni diſceſſiſſent à domino, à quo nullus poſtulans ieiunus reuertitur. Semper enim illi qui ſyncero corde dominũ ſequitur, efficaciter ſubuenitur. Dominus autem ait illis:* date illis manducare: *Diſcipuli vero (quoniam de hac re, non ita frequenter facere miracula nouerant, & ſi iam aquam in vinum cõuerſam in nuptijs (Ioan.2) conſpexerant, cuius ſi recordarentur poterant etiam credere, dominum poſſe fœnum lapideſque, & quicquid voluiſſet in panem conuertere) hæſitantes de remedio, dicunt:* euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare, *vt autẽ miraculum magis manifeſtum, in oculis diſcipulorum, quos dominus erudire volebat fieret, quærit: Quot panes habetis? dicunt ei:* quinque, & duos piſces, *tunc dominus nihil illis amplius loquutus, præcepit diſcumbere turbam, ſuper viride fœnum ſecundum contubernia, per centenos & quinquagenos: & acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cœlum benedixit, & fregit panes & dedit diſcipulis, & diſcipuli appoſuerunt turbis: & ſaturati ſunt. Viri erant numero quinque millia, & collegerunt duodecim cophinos fragmentorum. Manus domini ſabbaoth hæc fecit, multiplicauit*

plicauit vtique manibus ſuis, panes piſceſque. Non enim accipiendum eſt, in manibus diſcipulorum, vel manducantium multiplicari, ſed in manibus Chriſti, qui multiplicat in ſegetibus grana, multiplicatos hos panes fuiſſe. Admirabilis potentia, iam non relinquitur locus ſequentibus Chriſtum de cibo cogitandi, omnem ſolicitudinem amouit à cordibus noſtris, hæc copioſa ſaturatio hominum, hæc miraculoſa ciborũ multiplicatio. Nec prætermittenda eſt domini & diſcipulorum frugalitas, qui pro alimento tantummodo ſecum ferebant rudem panem, quem beatus Ioannes dicit hordeaceum, & duos piſces: nulla de vino, nec de oleo ſit mentio, vt verbi Dei prædicatores nouerint, quod illis datur ſumere: ſcriptum eſt enim, manducate quæ apponuntur vobis: cum autẽ non habent, paucis eſſe contentos. Cum igitur Chriſtus ſuam imponit manum, plus ſuperat quàm apponitur: habebant tantum apoſtoli quinque panes, nunc autem habent duodecim cophinos fragmentorum panis plenos. Quòd autẽ dominus oculos leuat in cœlum, cum panes diſtribuit, docet omnes, quotquot ſunt diſtributores panis, ſiue eccleſiaſticos, ſiue ſeculares, non affectione carnali diſtribuere beneficia & officia, ſed ſemper oculos in cœlum habere fixos, cum bona diſtribuunt. Benedixit etiam, vt doceat nos, ſemper cum benedictione & gratiarum actione, panem frangere: multiplicantur panes, vt qui pauperibus eleemoſynas diſtribuunt, cognoſcãt, id quod amore Chriſti tribuitur, non minui ſed multiplicari. Bonum igitur eſt confidere in domino, quàm confidere in homine: Bonum eſt ſperare in domino quàm ſperare in principibus. Lætiſſima reor reuerteretur turba, videns tantam in illo, quem ſequebatur potentiam, vnde facile ſi oculos haberet nõ lippoſos, poterat diuinitatem cogitare illius, in cuius manibus inſolitam videbat potentiam. Ioan. 6. ait illos dixiſſe: Quia hic eſt verè propheta, qui venturus eſt in mundum. Si illum prophetam magnum (de quo Moyſes prædixerat: Prophetam ſuſcitabit Deus, illum ſicut me audietis) intelligerent,

rectè vtique cogitarent, & iam proximè ad cogitationem diuinitatis Ieſu accederent: qui ſemper cum patre & ſpiritu ſancto manens, benedicitur & glorificatur ab omnibus ſanctis, in ſecula ſeculorum. Amen.

TRACTATVS. V.

In cap. VI. beati Marci.

ET ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauim, vt præcederent eum transfretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum. Et cum dimiſiſſet eos, abijt in montem orare. Et cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim loquutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite: ego ſum, nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerũt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerũt. Cumque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui ſe male habebant, circunferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos: & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant. *Recedere diſcipulos dominus iubet, dum ipſe turbas dimittit, vt ſolus*

poſſit orationi vacare. A conuerſatione ſpirituali amicorum, aliquandiu recedendum eſt, vt locus quietior orationi relinquatur: Apoſtolos etiam à carnis præſentia domini aliquando, omnino ſeparãdos poſt eius ad patrem aſcenſum, inſtruere oportet. Quid etiam poſſint viribus ſuis, quidue domino præſente oſtenditur, cum ſemper ſiue dominus dormiat ſuper ceruical in puppi, ſiue abſens ſit tempeſtas oriatur, ſine Chriſti præſentia omnia perturbationibus concutiuntur: quod ipſe melius nobis noſtram fragilitatem cognoſcens, ad cœlum iam aſcenſurus Matth. vltimo dixit: Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſumationem ſeculi. Vide laborantem eccleſiam in apoſtolis, qui remigando laborant, vt poſſint vincere remis ventorum vim, ſed fieri non poteſt, niſi Ieſus ipſe aſcendat in nauiculam. Ut cognoſcas officium eccleſiæ eſſe remigare, officium præpoſitorum remis vento reſiſtere, tranquillitas ſit adueniente Chriſto, Erat enim, *inquit,* ventus contrarius eis. *hic eſt apoſtolorum & præpoſitorum labor, contra vim ventorum remigare, vt nauicula tranquillitatem obtineat. Ventum contrarium vitam hominum ſuperborum exiſtimo, iuxta illud Iob. 7: Memento mei domine, quia ventus eſt vita mea: ipſa vita vẽtus eſt. Tunc enim excitatur vẽtus contrarius eccleſiæ, cũ à ſuperbia inflatur, ſuperborũ hæreticorum, & prauè viuentium hominum ſuperba mens: de quibus Hier. 2. ait: In deſiderio animæ ſuæ, attraxit ventum. & Oſee. 12. Ephraim paſcit ventum. Iam igitur eccleſia in apoſtolis erudiebatur, iam illi contrarius ventus hæreticorum, & ſuperborum hominum oſtendebatur in aquis, quos vſq; in quartam noctis vigiliam eſt paſſura, hoc eſt vſquè in finem ſeculi: ſed oportet remigare ſemper & non quieſcere. Non enim legimus apoſtolos obdormiſſe nunc in naui, ſed remigaſſe, vt ad tranquillum poſſent portum peruenire, & in ſecura ſtatione nauiculam collocare. Vnicuique noſtrum etiam neceſſarium eſt, corporis nauiculam gubernare, vt poſſimus noſtras ſaluare animas: habemus namque*

ventos contrarios ſenſus ipſos videlicet noſtros, & quod pericu-loſiſſimum eſt, ipſe quo viuimus cibus & potus, ſi immoderatè ſumuntur, magnam ventorum excitant tempeſtatem: ſuperbit namque caro ipſa aduerſus ſpiritum, & quod illi tanquam bacu-lum quo ſuſtineatur damus, ipſa in gladium ad perdendam ani-mam conuertit niſi cibo & potu temperatè vtatur. Illudamus igitur illam, quæ ſolet vti contra animam ſenſibus, & eiſdem nos ſenſibus, pro remis viriliter vtentes, ventorum vim coërce-amus: nihil amplius ſenſibus vtentes, quàm quantum ratio & fides vtendum docet: veniet enim Chriſtus, qui à ſuis laborãtibus non recedit, ambulans ſupra tentationum fluctus, & tranquillũ reddet ac pacatum, mundi & carnis diaboliquè concitatum ma-re. Diximus in principio, beatum Marcum beatiſſimi Petri diſcipulum fuiſſe, ab illoque accepiſſe quod nobis tradidit Euan-gelium: hoc dixerim, eo quòd in hac eadem tempeſtate, cum exi-ſtimarent dominum ſuper mare ambulantem phantaſma eſſe diſcipuli, clamauerunt præ timore, & tunc dominus loquutus eſt eis, dicẽs: Cõfidite: Ego ſum: Nolite timere. *Hic omittit beatus Marcus illud, quod beatus Petrus dixit: Domine ſi tu es, iu-be me venire ad te ſuper aquas: & dominus dixit illi: Veni. & ambulabat Petrus vnà cum domino ſuper aquas: Hæc omnia omiſſa videntur ob beati Petri modeſtiam, qui fortè noluit vt hæc de ſe dicerentur in illo, quod diſcipulus ſuus ſcribebat Euã-*
Marc. 8. *gelio. quemadmodũ & illud reticuit beatus Marcus, cum Pe-trus reſponderet quærenti domino: Quem dicunt homines eſſe fi-lium hominis? Tu es Chriſtus filius Dei viui. Quod dominus Petro reſpondit (Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſan-guis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt: & ego di-co tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccle-ſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper*

terram

terram, erit ſolutum & in cœlo) per hæc verba ſummum pontificatum, & prælaturam ſuper vniuerſum mundum illi ſpopondit. Sic nunc, quoniam inditium prælaturæ, præ cæteris apoſtolis fuit deambulatio ſuper mare cum domino, quod nulli aliorum apoſtolorum conceſſum fuit, beatus Marcus conſultò omiſit. Illud autem quod infra cap. 8. in Petri obiurgationem fit, videlicet cum dominus illi dixit, vade retro me ſatana, copiòſe narratur à Marco. Sic & beatus Ioannes, quotieſcunque neceſſarium fuit dicere diſcipulum quem diligebat Ieſus, nomen ipſe ſuum celauit. hæc eſt humilitas ſanctorum, defectus ſuos manifeſtare, virtutes vero abſcondere. Aſcendit igitur dominus nauim, & ceſſauit ventus, & plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerant de panibus: ita rudi erant, vt illam tam apertam panis multiplicationem, à diuina manare virtuten on cognoſcerent, ſed iam quieto mari ad ſe reuerſi, inquit beatus Math. cap. 14. venerunt ad eum, & adorauerunt eum, dicentes: Vere filius Dei es. Itaque primo obſtupuerũt, quemadmodum neque de panibus intellexerunt, iam iam ſtupore ſublato, in ſe reuerſi adorauerunt dicentes: Vere filius Dei es. Veniunt in terram Genaſar, vbi dominus legionem illam dæmonum ab homine, qui in monumentis habebat domicilium procul repulerat: & vt cognouerunt eum, notum fecerũt in omni illa regione. Non enim ſilere debemus, ſed omnibus amicis, propinquis, ciuibus & conterraneis annuntiare Chriſtum, ſic vt iſti Genaſariti notum fecerunt in tota ſua prouincia, dominum adeſſe. Auditores verò, non ſegnes eſſe oportet, ſed cum iſtis concurrere, vbi poſſint Ieſum videre, & omnes infirmos ſecum afferre, quotquot reſciuerint in aliquo eſſe peccato, dum præſul viſitat oues Chriſti ſibi commiſſas, adducere eos, hoc eſt detegere prælato hæreticos & ſchiſmaticos, maleficos, & quotquot ſunt in aliquo publico peccato mortali: vt odia & inimicitiæ componi poſſint, & cætera peccata extirpari. Et quotquot fimbriam veſtimenti eius tangebant, ſalutem continuò

conſequebantur. Mira domini miraculorum operatio: ſicut qui ignem tetigerit aduritur, ſic quotquot fimbriam Ieſu tangebant, à quacunque infirmitate tenerentur ſanabãtur. Se ſemper dominus (quem homines verum hominem intuebantur) miraculis eſſe Deum manifeſtabat, vt vtramque credendam naturam oſtenderet, humanam ſcilicet, & diuinam. qui cum patre & ſpiritu Sancto, viuit & regnat, in ſecula ſeculorum Amen.

In cap. VII. beati Marci.

ET conuenerunt ad eum phariſæi, & quidam de ſcribis, venientes ab Hieroſolymis: Et cum vidiſſent quoſdam, ex diſcipulis eius communibus manibus (ideſt, nõlotis) manducare panes, vituperauerũt. Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & à foro venientes, niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicũ, & vrceorum & æramentorum, & lectorum. Et interrogabãt eum phariſæi & ſcribæ: Quare diſcipuli tui nõ ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducãt panem? At ille reſpondens, dixit eis: Bene prophætauit Eſa. de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me: Inuanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mãdatũ Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum, & alia ſimilia his facitis multa. Et dicebat illis: Benè irritum feciſtis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autẽ dicitis: ſi dixerit homo patri vel matri Corban (quod eſt donum) quodcũque ex me tibi proderit: & vltra non dimittitis eum quicquã facere patri ſuo, aut matri, reſcindentes verbũ Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis. Et ſimilia huiuſmodi multa facitis. Eſa. 49.

Non omnes, qui Chriſtum dominum ſequuntur, piè id faciunt: ſequũtur diſcipuli magiſtrũ, ſequũtur turbæ benefactorẽ qui oẽs ægrotos eorũ ſanabat, ſequũtur phariſæi & ſcribæ, quem æmu-

laban-

labantur, vt poſſent illum in aliquo arguere, in aliquo accuſare. Non dubium eſt quin, non omnes qui hodie in eccleſia videntur exterius ſequi Chriſtũ, bono id animo faciant, alioquin ceſſarent hypocritæ, ceſſarent pſeudochriſtiani, qui vſque in finem in area eccleſiæ tanquam ſtipulæ mixtæ tritico permanebunt, quod optimè comprobatur, cum hi phariſæi & ſcribæ ab Hieroſolymis venientes, nihil aliud quærant, quàm Chriſtum ſi poſſent arguere. Videntes autem quod diſcipuli eius, non lotis prius manibus panem ſumebant, vituperauerunt: ipſi vero non legem diuinitus Moyſi traditam, ſed ſui capitis ſenſum ſequentes, multa baptiſmata ſtatuerunt, nec tantum vituperauerunt, ſed & Chriſtum dominum arguerunt, dicentes: Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem? *at ille, vaticinium Eſa. 49. oppoſuit eis, dicẽs:* Bene prophetauit Eſa. de vobis hypocritis, *dicens:* Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorũ lõgè eſt à me. *Hoc propriũ eſt hypocritarum, labijs & exterioribus ſignis Deũ colere, cũ cor eorũ ab ipſo longè ſit: nouũ diaboli portentũ, non aliter ac ſi in arbore ramos, foliaq; conſiſtere abſq; radice videres, cũ cor omnium bonorum ſit radix. Iſti Deũ labijs cõfitentur, corde autem nihil minus cogitant: iuxta illud apoſtoli Pauli ad Titũ 1. Verbis confitẽtur ſe noſſe Deum, factis autem negãt. Inuanum quærunt dominum hi quorum os aliud, aliud cor loquitur: mendaces certè ſunt, & cum mendacibus punientur, dicẽte propheta: Perdes omnes qui loquuntur mendatium. & alibi: Ipſi vero inuanum quæſierunt animã meam: introibunt in inferiora terræ, partes vulpium erunt. Vulpes animal eſt verſipelle, igne venatores ipſam à fouea exire cogunt, & ſic à canibus capitur. hypocritæ fictione cordis latentes, igne diabolo capiendi traduntur. Notandum eſt propter hæreticos, dominum hic nõ abominari hominum traditiones, ſi ſecundum Dei legem præſcribantur, & ſecundum etiam temporum rationem: ſed damnat contra*

Dei

Dei legem fieri traditiones, & illas è contrario legis Dei obſeruari, nempe apoſtolus Paulus, & ipſi beatiſſimi apoſtoli multa obſeruanda tradiderunt, prout ipſe fatetur 1. *Corinth.* 11. *Cætera cũ venero diſponã. & ibi: Nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei. & ad Theſſalo.* 2. *cap.* 2. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. & cap.* 3. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos, ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecũdum traditionem, quam acceperunt à nobis. quod ipſe Paulus in omni loco docebat, prout habetur Actuum. xvj. Cum autem pertranſiſſent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis. Phariſæis verò relinquentibus mandata Dei, dicebat dominus:* tenetis traditiones hominum. *Deus enimuero præcepit honorari patrem & matrem: illi porrò dicebãt, & ſi pater indigeat, tu autem offerre ſacerdotibus patre omiſſo non differas: dices tamen patri, tibi enim & quod ego offero proderit, hoc Corban ſignificat: & multa his ſimilia facitis. Omnia phariſæi & ſcribæ, in proprios vſus conuerterant, & contra Dei legem populum docebant: quinimò & adimplere traditiones auaras compellebant, implentes marſupia, legem vero Dei euacuantes. De horum mõſtrorum exitio vſque hodie, & vſque in finem teſtimonium perhibet dominus. Si volumus non errare, ſemper eſt neceſſarium Dei in omnibus conſuetudinem attendere. Si vis noſſe quantum Deo ſuperbia ſit abominabilis, & quid tibi ſuperbo eueniet, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi maiores tuos, & dicent tibi: quid ſuperbo Adamo euenit: quid ſuperbè turrim Babylonis ædificantibus contigit: quid ſuperbo Sauli accidit: Videbis profectò vnum à paradiſo eiectum, alterum à regno expulſum: alios diuiſos per vniuerſum orbem, in maximam variarum linguarum confuſionem incidiſſe. Si vis præterea cognoſcere,*

quid

quid tibi vitia carnis ſectanti continget, vide quid factum ſit in vniuerſo terrarum orbe his qui ſe luxuriæ tradiderunt: non ne omnes diluuio perierunt? vtiquè Si vis quod auaris & his qui nulla miſericordia mouentur, flagellum immineat cognoſcere, attende diuitem epulonem in infernum detruſum, guttulam aquæ vnam expoſcentem, quæ vſque hodie negata eſt illi. Arrogãtem, varum, & de ſua eloquentia præſumentem, lege Herodem Agryppam, actuum.12. qui cum orationem haberet ad populum, populo acclamãte voces dei non hominis: ſubitò conſumptus à vermibus, vltimum emiſit ſpiritum. Quid dicam de Moyſe ſeruo domini? qui propter diffidentiam eliciendi à petra aquam, nu.20. audit continuò ſententiam ipſe & Aaron frater eius: Dixit què dominus ad Moyſen & Aaron, quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Traditorem Iudam ſuſpenſum proprijs attende manibus, tu quiſquis traditor es. qui peruerſa conſiliaris, vide Achitophelem.2.Reg.17. etiam proprijs manibus ſuſpenſum. Sic igitur fauentes bene nobis, in alienis periculis conſulamus, nec vnquam contra Dei noſtri legem quicquam faciamus, ne ve duplici corde ad illum accedamus, quemadmodum iſti hypocritæ, ſcribæ & phariſæi, qui cum ſuis principibus perierunt: nos autem per Chriſtum dominũ ſurreximus & erecti ſumus, Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in ſecula ſeculorum Amen.

TRACTATVS. II.

In cap. VII. beati Marci.

ET ADVOCANS iterum turbam dicebat illis: Audite me omnes & intelligite. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſsit eum coinquinare: ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum coinquinare: quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgãs omnes eſcas? dicebat autem: quoniam quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem. Ab intus enim de corde hominum, malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hęc mala ab intus procedũt, & coinquinant hominem. *Docuit dominus turbas, nec dicit Euangeliſta ibi adeſſe ſcribas & phariſæos, qui huic ſermoni occaſionem dederunt, illi obiurgati ſunt, quia tranſgrediebantur Dei mandata, propter hominum traditiones. Populus docetur, cur illotis manibus ſumere panem non coinquinet hominem. Sunt qui non merentur lucem videre, ſunt etiam qui non merentur bonos habere Reges, nec bonos ſacerdotes, eritque qualis populus talis & ſacerdos. Dabo tibi Regem in furore meo: & alibi. Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Populus autem docetur, parabolicè tamen, diſcipulis quærentibus parabola aperitur.* Oſee. 4. Oſee. 5.

Peti-

Petite, inquit dominus, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Ex huius apertione parabolæ, habemus ſimplicem fornicationem ab adulterio ſeparatam, & illam culpam eſſe mortalem: hoc dixerim propter hæreticos, qui à nobis exigunt locum ſcripturæ, in quo Chriſtus dominus hæc expreſſit, quibus hunc apertiſſimum damus locum: De corde exeunt adulteria, fornicationes: ſufficeret illud: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Sed ne verbum mulier, ab ipſis ad viris coniunctas tantum referatur, contra literam & domini intentionem, hunc illis in eorum confuſionem damus locum: De corde exeunt adulteria, fornicationes. quem ſic repetit apoſtolus Paulus ad Hæbr. xiij. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Quòd autem dominus dicit, ab his quæ foris ſunt neminem poſſe coinquinari, fideliter quemadmodum à domino dictum eſt, intelligi oportet: quoad hæc extrinſeca ſunt, non coinquinant hominem, ſed quoad tempore prohibito accipiuntur, poſſunt coinquinare hominem, quoniam iam per contemptum, vel ſuperbiam hoc facit homo, & ſic à corde non optime inſtructo, & inobedienti coinquinatur: vnde fit vt infirmus cum obedientia, tempore prohibito carnem ſumens, non coinquinetur, quoniam exterior eſus non coinquinat hominem, ſed cor inobediens coinquinat hominem non ieiunantem, vel prohibitas eſcas tempore ieiuniorum ſumentem, alioquin inebriari licitum eſſet, quia exterius hauritur vinũ, quod ſatis prohibitũ eſt ab apoſtolo Paulo: Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria: qui certè diſcipulo ſuo Timotheo, modicũ permiſit guſtare vinũ propter ſtomachũ, & crebras eius infirmitates. Hæretici niſi ſe ingurgitent, ſitim extinguere ſe non exiſtimant, contra Dei præceptum, & apoſtolum Paulum dicentem: Non in commeſſationibus & ebrietatibus, Ro. 13. prima Timo. 3. epiſcopum vult nõ eſſe vinolentum: quod idem à diacono petit dicens: Diaconos ſimiliter pudi-

Iob. 34. / Mat. 5. (marginal references)

pudicos, non bilingues, non multo vino deditos. Expoſita hac parabola, dominus Inde ſurgens, abijt in fines Tyri & Sidonis: & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latère. Mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius. Qui dixit illi: ſine prius ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa reſpondit, & dicit illi: Vtique domine: nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum. Et ait illi: propter hunc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua. Et cum abijſſet domũ, inuenit puellã iacentem ſupra lectum, & dæmonium exijſſe. *Voluit dominus, domum ingreſſus neminem ſcire, nec potuit latère: humanitati dominus indulgebat, vt ſe verum hominem comprobaret laſſatus tantis itineribus, tanto turbarum concurſu, tanta impoſitione manuũ: & quod maius eſt, tanta incredulitate ſcribarum & phariſæorum faſtiditus, volebat tantiſper requieſcere: vel fortè, quia illa gens Tyri & Sidonis, non colebat Deum, & quia per fines illorum tranſibat, latère volebat, nec potuit. Mulier namque Syrophœniſſa... de Phœnitia Syriæ gentilis, vt audiuit de eo (quam beatus Matthæus Cananæam vocat) intrauit domum, nec tamen repellitur. exemplum dedit dominus apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, ſi vrgeat neceſſitas, etiam tempus quieti accõmodatum, ſuis ſubditis eſſe concedendum: Quod autem beatus Marcus in domum mulierem introiſſe dicit, & ibi ſalutem poſtulaſſe, ſic accipiendum eſt, & quod ſequitur ſecundum Matthæus. de clamore, & de conceſſione ſalutis filiæ quam petebat, de interceſſione apoſtolorum pro ea, de pane filiorum canibus non mittẽdo, & cætera quæ ſequuntur, in via recedente dño à domo cõtigiſſe: quod beatus Marcus ſiluit, eo quòd coniungẽs proceſſũ petitionis factæ in via, his primis verbis quibus in domo ſalutem filiæ poſtulauit, facilius ad*

ad narrationem miraculi, multis circunſtantijs à domino perpatratum de ſurdo & muto poſſet tranſire. Fides huius mulieris, à domino valde cōmendatur: iam enim incipiebat populus quē non cognouit, ſeruire domino, in auditu auris obedire illi. fugiunt à fide Iudæi, ſequuntur gentes: in cunabulis infantia ſaluatoris à magis adoratur: Centurio non ſe dignum arbitratur in ſua recipere domo ſaluatorē, ſed credit ſi dicat, verbo puerum ſuum priſtinæ poſſe ſanitati reſtitui. Hæc mulier non quēadmodum Iairus vt veniat rogat, & manum imponat puellæ, ſed credit, dominum abſentē ſi velit, poſſe dæmoni imperare, & illū iuſsis parere & à filia diſcedere. Benedicta fides, fortis & conſtans, quæ ter repulſam patiens non frangitur, quinimo immobilis perſeuerat, & dū canis appellatur, Utique domine *reſpōdit,* nam et catelli comedūt ſub mēſa de micis puerorum. *Cælos hæc humilis oratio fide robuſta penetrauit, cui dominus, qui ſecundum diuinitatem vbique præſens aderat, ſecretò ſine aliquo verbo præcepit Dæmoni vexanti puellam recedere: quod & fecit dicēte domino mulieri: propter hūc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua. Cum autem veniſſet domum mulier inuenit puellam ſanam. nimirum quisquis petitionem ſuam fide vera, & humilitate profunda ornauerit, quod pro ſalute animæ poſtulauerit, conſequetur benignitate & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui cum patre & ſpiritu Sancto eſt honor, gloria, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS. III.

In cap. VII. beati Marci.

ETiterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducũt ei ſurdum & mutum: & deprecabãtur eum, vt imponeret illi manũ. Et apprehendés eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguã eius: & ſuſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod eſt adaperire. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculũ linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. *Tot circunſtantijs operatum à Domino miraculum, vſque modò non legimus: Archiſynagogi filia ſola apprehenſione manus reſuſcitatur: dæmones ſolo iuſſu ab obſeßis corporibus exibant clamantes: quin etiam filia Cananææ abſens curatur: ſurdus iſte & mutus, à turba ſeorſum ſeparatur, digitos dominus in auriculas mittit, ſputo tangit linguam, ſuſpicit in cœlum, gemit: eaquè omnia non ſine myſterio & doctrina fiunt à filio Dei. Hunc ſurdũ & mutũ, aliqui dicunt à dæmone eſſe poſſeſſum, ſicut de alio legimus quem dæmon mutum & cæcum fecerat, Luc. 11. Peßimum vtique dæmoniorum genus cum tacent: ideo dicunt hunc primi parentis figuram tenere, qui malè audiuit quod præceperat dominus, eius præceptum tranſgrediens, & peius reſpõdit dum ſe accuſare deberet, culpam in mulierem reijciẽs: & addens etiam, quam dediſti mihi ſociam. Poſſumus etiam populum Iudæorum per hunc ſurdum & mutum intelligere. dicere etiã licet peccatorum mutorum & ſurdorum, qui neque verbum Dei audiunt, nec volunt confiteri peccata ſua, hunc typum habere. Vnde & hæretici negantes confeſſionem peccatorum, & nolentes audire eccleſiam, poſſunt*

per hunc ſurdum & mutum intelligi. Chriſtus vero dominus, qui omnia nouit, iſtos omnes fortaſſe mente conſpiciēs, vel aliquos ipſorum, Iudæos ſcilicet, hæreticos, mutos & ſurdos peccatores, ad hos ſanandos, quorum hic typum gerebat, primò illum à turba ſeorſum ſeparat: non enim intra turbam tumultuantem, poteſt ſanari mutus & ſurdus peccator, neceſſe eſt, ſecedat, & ſeparetur à ſtrepente populo, quatenus poſſit ſalutem conſequi. Monendus igitur eſt omnis ille quem iam in peccatis torpentem cernimus, vt ſeparetur à praua conuerſatione, & tumultu eorum, qui illum ad peccatum incitant, vel ne conuertatur retinent, aliàs non poterit perfectè ſanari. Quemadmodum ſi quis inter ſpinas volutaretur, minime poſſet à vulneribus quibus eſt laceratus ſanari, niſi illum prius à loco ſpinarum quibus pungitur extrahas: ſic qui conuerſationem illorum qui illum ad peccatum mouēt, vel detinent, non ſeparatur, ad verám pœnitentiau peragendam minimè poteſt deuenire. Hanc igitur à turba ſeparationem ſemper memoriæ cōmendare debemus. Quiſquis velit à vinculo linguæ, & auris ſurditate ſanari, digitos mittit dominus in aures eius: qui brachium, hoc eſt, potentia eſt patris. Fecit potentiam in brachio ſuo: nempe vt cognóſcas à peccato non niſi Dei potnetia hominem poſſe ſaluum fieri: tota namque vis hominus brachijs exercetur, ſed nec brachium poteſt ſuam oſtendere virtutem, niſi per manū, manus autem omnem vim motione digitorum exercet. Vide igitur quomodo dominus digitos mittens in aures huius ſurdi, potentiam ſuam nobis manifeſtat ad ſalutem peccatorum eſſe neceſſariam, ſicut ſcriptum eſt: Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Oſee. 13. & alibi, pſal. 43. Non enim in gladio ſuo poſſiderunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum. potentiam igitur fecit in brachio ſuo, dixit Deipara virgo. Sputum in lingua quod è capite manat, nulli dubium eſt ſignificare ſapientiam, vtrumque Chriſtus dominus eſt, & patris ſapientia & fortitudo. Fortitu-

titudine potuit ligare fortem dæmonem, & illum ab animabus fugare, ab obſeſsiſquè corporibus eijcere, & ſic vaſa eius & ſpolia diripere: ſapientia, quæ vincit malitiam ne illum agnoſceret ſe occultare, vt dum obijcit illi humanitatem paſſurã, à diuinitate ſuperaretur. Quòd dominus ſuſpicit in cœlum, omnem à Deo prouenire virtutem, & ſe Deo obedientiſsimũ oſtendit: Ingemuit autem videns ſalutis noſtræ difficultatem, quæ tanto indigebat auxilio, vt non poſſet niſi ſapientia & Dei fortitudine perfici. In verbo autẽ imperatiuo dicẽti, Epheta, quod eſt, adaperire. Et ſtatim ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè & apertæ ſunt aures eius: *diuinitas Chriſti oſtenditur, cum nõ aliunde auxilium poſtularet, ſed tanquã naturæ conditori illi ſoli datum eſſet poſſe illam reformare, ſicut aurifex vas aureum quod fabricauit, facilè ſi fiat tortuoſum vel maculetur, in priſtinam reddit pulchritudinem. Præcepit eis ne cui dicerent: Apoſtolos & prædicatores verbi Dei, ſanctoſquè omnes ſuos docens, ne cum operarentur virtutes, & per eorum manus miracula fierent, hoc ſibi aſcriberẽt, ſed totam ad Deum laudem cum Paulo referrent: qui cum diceret: Plus omnibus laboraui, continuò adiunxit, non ego ſed gratia Dei mecum. & alibi, Regi ſeculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria, in ſecula ſeculorum. Illi homines porrò quanto illis amplius præcipiebat, ne miraculum diuulgarent, eo amplius admirabantur & loquebantur, dicẽtes:* bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui: *Nota quomodo eadem verba ſpiritus Sanctus per os horum populorum pronunciat in opere redemptionis noſtræ, quæ pronunciauit in principio de opere creationis mundi: vt ſic vtique oſtendat, hunc qui operatur noſtram reparationem & ſalutem, id ipſum eſſe verbũ, per quod in principio facta ſunt omnia: Vidit inquit, Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. & nunc populus clamat: Bene omnia fecit: vtique bene omnia fecit, qui vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde*

 bona.

bona.In hoc autem Deum neſcientes confitentur,nempe de nullo alio poteſt dici:bene omnia fecit:niſi tantū de illo,qui ſolus abſolutè dici bonus poteſt,iuxta illud quod dominus dixit iuueni,qui illum magiſtrum bonum appellabat:Quid me dicis bonū?nemo bonus niſi ſolus Deus,qui cum Chriſtum non crederet,Deum bonum ab illo dici dominus reſpuit.Sancti proculdubio qui bene multa faciunt,non à ſe,ſed à Deo accipiunt hæc bona:proinde ſoli Chriſto dicitur bene omnia fecit,Qui cum patre & ſpiritu Sancto,viuit & regnat in æternum Amen.

TRACTATVS. IIII.
In cap.VII.beati Marci.

REſtant tamen adhuc aliqua,de hoc miraculo adnotāda.Homo iſte ſurdus & mutus, multis ceremonijs celebratis ſanatur,in quo proculdubio infirmitatem mutorum & ſurdorum peccatorum grauiſſimam eſſe,opere dominus oſtendit. Quemadmodum enim aliqui peccatores,quorum dæmon ora non claudit, nec aures obturat, loquuntur rectè de Deo: delectantur dum verba Dei audiunt: Iſti profectò medium iter coufectum habent,vt poſſint ad veram pœnitentiam peruenire:ſicut homines qui permittunt ſibi verba fieri de inobedientia à ſe proiecti filij, vel de pace componenda cum inimico,facilè conciliantur:ſi autem nec ipſi loquuntur,nec permittunt alicui de hac re ſibi verba facere, ſignum eſt vtique indurati cordis,& non componendæ pacis. Itaque cum dæmon eum quem in peccato tenet relinquit,& verba Dei audire & de ipſo etiam habere ſermonem, ſignum eſt reconciliabilis peccatoris:ſi verò aures obturat peccantis,& ligat linguam quo nolit verba Dei audire,nec de ipſo vnquam loquitur:quin etiam faſtidit,dum audit alios loquentes ſalutis verba,hic ſurdus & mutus non niſi gemitu Chriſti,& in cœlum ſuſpitione ſanatur,

ſicut

Sicut qui incarceratos quos habet non permittit aliquem alloqui, ſed ſecum claues ſerarum carceris portans abijt ne reperiri poſſit, ſignum illis tardè exeundi è carcere notiſſimum eſt, niſi fortè ad ſupplicium: ſic vtique homines quos dæmon poſtquam in carcerem peccatorum compedibus conſtrictos tenet, ne verbum Dei audiant, ne vè de eo loquantur, aurium & linguæ claues ſecum in infernum portans aufugit, ſignum eſt vel tarde illos è carcere exituros, vel ad ſupplicium æternum illos eſſe deſtinatos, niſi miſericordia Dei adſit, & ipſe mittens digitum in eorum aures, & ſputum in linguam, ſua virtute, ſuaque ſapientia illos è carcere extrahat, iuxta illud quod ſcribitur pſal. 160. Confiteantur domino miſericordiæ eius & mirabilia eius filijs hominum, quia deſtruxit portas æreas, & vectes ferreos confregit: æreas portas intellige pertinacem peccatoris contradictionem, & vectes ferreos rebellionem. Sunt namque quatuor quæ faciunt in peccatore hanc pertinatiam, contradictionem & rebellionem, vt ſit ſurdus & mutus: Primũ certè eſt errare in cognitione, fortis ſera hæc, & clauis diabolica: quandoquidem peccator non cognoſcit malum quod facit, imò reputat ſe non magnam rem, nec deteſtabilem facere cum peccat, & pro nihilo reputat vel iurare, vel inebriari, vel auarum ſeu incontinentem eſſe: & cum eius vitæ fætor aërem corrumpat, & multi ſcandalizentur in eo, ipſe putorẽ ſuũ nõ ſentit: ſimilis illis qui in carcere incluſi, ex magna conſuetudine carceris putorem non ſentiunt, qui autem ad illos viſitandi gratia accedunt, tolerare fætorem non valent. Maximus prædicantium labor eſt, errorem in cognitione curare, cum ſiquidẽ vindicare iniuriam pro ratione receptum ſit, contra domini præceptum, qui iubet non vindicare. congregare diuitias pro ſapientia reputatur, cum dominus theſaurum in cœlo congregandum prædicet: honores, dignitates, ambitioſiſſimè quærere virtuti aſcribitur, cum dominus humilitatem ſectandam moneat. Cum tot errores in cognitione dæmon in mundo ſeminauerit, quid aliud

dicendum erit, quàm quod dominus in Euangelio dixit? O quàm difficile eſt confidentibus in pecunijs ſaluari. Secunda cauſa noſtræ pertinatiæ & rebellionis eſt, difficultas in operando, quæ ſatis oſtenditur ex prima: dum enim quis errorem habet in cognitione, nulli mirum illum difficilè bona operari, cum illud ſit contra id, quod errore cognitionis concepit, poteſt de his dici quod Dauid ſpiritu Sancto præueniente dixit: Concepit dolorem & peperit iniquitatem. Qui errat in cognitione, maximam difficultatem ad bene operandum ſentit, reſiſtente cognitione fallace, oppoſita virtutis operationi. Tertia pertinatiæ & rebellionis cauſa eſt, ſpiritualia faſtidire, ſic habere animæ palatum à peccatorum humoribus corruptum, vt ſpiritualia non ſolùm non guſtet, ſed faſtidiat, longaque illi videatur omnis celebratio miſſarum, omne diuinum officium velit ſumma celeritate finiri, omnem reputet verbi Dei concionem prolixam, nihil ſit in rebus diuinis quod illi ſapiat: hæc eſt rebellionis & pertinatiæ maxima & nimis periculoſa conditio, quibus medicamentis tales curandi ſunt, quibus vè alimentis, ne omnino deficiant alendi, nouit Deus. Quarta cauſa eſt maiorum corruptio: ſequitur namque plebs dominum ſuum, qui ſi contaminetur, & rebellis pertinaxque fiat Deo & eccleſiæ, hæreticus, vel ſchiſmaticus, vel publicus peccator, plebs rudis ſequitur dominum ſuum: Quemadmodum enim, ſi nauis gubernator erret, omnes periclitantur qui ſunt in naui: ſic enimuerò principe errante, periclitatur Reſpublica: ad nutum Regis inquit ſapiēs, totus componitur orbis. Hæc quatuor, rebellionis & pertinatiæ animorum ſunt cauſæ, hæc homines mutos ſurdoſque faciunt, ad quos ſanandos neceſſe eſt diuina potentia quæ in auriculas digitos immittat, diuina ſapientia, quæ linguam ſaliua tangat, diuina miſericordia quæ gemere faciat, & oculos in cælum leuare, vt ſeorſum à turbarum ſtrepitu poſſint ſanari. Multi hic adiungunt quæſtionem, quare ſcilicet dominus præcepit huic plebi vt taceret, quā nouerat non facturam: facilè illis

reſpondetur, quia dominus pro diſcipulorum & plebis exemplo præcepit vt tacerent, vt nos doceret exemplo gloriam non captare dum benefacimus, populorum: Alij dubitant an populus iſte peccauerit, faciens contra id quod dominus præcipiebat, reſpondetur etiam quòd non: quoniam populus humilitatem domini cognoſcens nõ vt non obediret clamabat, bene õnia fecit, ſed queadmodum Chriſtus dominus ex humilitate hoc dixit vt tacerent, populus non ex contemptu præcepti, ſed ex magno deuotionis feruore, ſe non potuit continere, videns mirabilia Chriſti, quin in eius irrũperet laudẽ, & clamaret: bene õnia fecit & ſurdos fecit audire & mutos loqui. Cõſidera etiã, nõ ſine Dei nutu hoc feciſſe turbam, cum hoc miraculum eſſet vnum ex conſignatis per Eſa. prophetam futurum in aduentu Meſſiæ, Tũc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, tunc aures ſurdorum patebunt per Chriſtum ſcilicet dominum noſtrum, Cui cum patre & Spiritu ſancto eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen. Eſa. 35.

I iiij Tra-

In cap. VIII. beati Marci.

N diebus illis iterum cùm turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberẽt quod mãducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuàm, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: quot panes habetis? Qui dixerũt: ſeptem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terrã. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſsit apponi: & mãducauerunt, & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerũt, quod ſuperauerat de fragmẽtis, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos.

Miſericordiã & potentiam domini, & diſcipulorum tarditatem audiuimus, & in vnoquoque horum, Chriſti domini diuinitas manifeſtatur. Nemo enim alius ſic cito moueretur, ſic miſeriæ populorum compateretur, ſic etiam non verbo, ſed opere remedium illorum inopiæ præſtaret, niſi dominus omnipotens. Sequebatur turba, nec horrebant loca deſerta, nec timebant victus inopiam: forte recordabantur, quemadmodum nihil illis deeſſe poterat, domino præſente, prout experti fuerant in alia ſolitudine, quando quinque millia ſaturauerat, de quinque panibus & duobus piſcibus. Tanta arbitror ſuauitate rapiebantur, audiendo verbum de ore domini, vt nihil aliud cogitarent: ſic etiã

etiam obſtupebant, videntes inaudita miracula per eius manus fieri, vt nihil timerent, nec victus inopiam, nec ſalutis defectum. Omnia hæc nobis magnam ingerunt confidentiam, ſi recto ſequamur dominum corde: nihil timendum eſt veris ſectatoribus Chriſti. Accedit ad hoc illud quod legimus de illis primis Hieroſolymitis, poſt aſcenſum domini ad patrem conuerſis, qui omnia vendebant, & ad pedes apoſtolorum pretia omnium ſuarum poſſeſſionum proijciebant, & nemo fuit egens inter eos, Actuum cap. 4. Sequebantur igitur iam triduo turbæ Chriſtum dominum, conſumptiſque panibus quos ſecum tulerant, illi nihil poſtulant, nihil murmurant de defectu ciborum, dominus miſerator & miſericors, eorum inopiæ non obliuiſcitur, ipſe eſt qui dicit: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in uia. *Magnum nobis datur ſpei & confidentiæ in domino exemplum, quanto minus temporalia quærimus, & magis ſumus cœleſtibus intenti, tanto dñs magis eſt de nobis ſolicitus: ſicut alibi legimus apud Matth. Quærite primũ regnũ Dei, & hæc oĩa adijcientur vobis. Hoc eſt quod beatus Paulus philippenſes monebat, cap. 4. dicens, Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Cum tanta verò ſit Domini de nobis cura, ſufficit illi noſcere indigentiã noſtram, ipſe fecit nos, ipſe redemit: quomodo ergo cũ eguerimus, neceſſaria ad tẽporalis vitæ ſupplementum non præſtabit, ſi non deeſt fides, ſi non deeſt in illo confidentia? timentibus Deum nihil deeſt. Manifeſtauit igitur dominus diuinitatem ſuam, miſericordia motus ſuper omnes homines, miſericordiam habens ſuper omnes mortales: facile miſeretur Deus, miſerator & miſericors dominus, eſcam præſtat ſequentibus ſe in eius potentia: etiam manifeſtatur eius diuinitas, cum ita facile ſeptem panes in manibus accepti, dũ populo diſtribuit, velotius quàm in ſegetibus multiplicantur*

cantur, & in tantam exuberant fertilitatem, vt quaſi quatuor millia virorum ſaturarentur. Manus domini fecit hæc, non eſt hæc humana potentia, ſolus hoc ita velociter facere poteſt, qui cũ diceret: producat terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus ſuum, continuò factum eſt ita. Multa in naturalibus poſſunt operari angeli boni, etiam mali, ſed tempus requiritur, vt poßint applicare quæ neceſſaria ſunt ad operationem aliquam faciendam: Dominus autem naturæ ipſius conditor, in inſtanti operatur: & quomodo vult operatur, quod ſpiritibus non licet, niſi quantum dominus vel bonis aſſentit, vel malis permittit. In apoſtolorum tarditate, diximus etiam domini diuinitatem comprobari: notiſsimum ſiquidem eſt, ipſos vidiſſe de quinque panibus & duobus piſcibus, ſaturatam fuiſſe turbam quinque millium virorum, per quorum manus panis ipſe diſtributus fuit, & nunc hæſitant & dicunt: Vnde iſtos quis poterit hic panibus ſaturare in ſolitudine? *facilè poterat illis reſponderi, hîc in ſolitudine poterit hos ſaturare dominus ipſe, magiſter veſter, qui paucis ante diebus ſaturauit quinque millia hominum de quinque panibus, veſtris manibus diſtributis. Cum igitur hos diſcipulos ſic tardos ingenio & hebetes ſenſibus cognoſcamus, per hos mundum conuerti, & relicta infidelitate ad veram fidem videamus orbem reductum: manifeſtiſsimum eſt, hoc ſolum fieri poſſe virtute diuina, non humana, potentia Dei non hominis. Cum itaq; Chriſtus dominus per iſtorum manus hoc perfecerit, verè ipſe eſt Deus: armis Alexander, armis primũ Darius, armis Iulius Cæſar, armis Hannibal & quiſquis alius imperator, vel dux ſtrenuus, victores extitere: Chriſtus dominus hiſce hominibus, qui heri viderunt ſaturari quinq; millia hominum de quinq; panibus, & hodie hæſitãt, quis poterit in ſolitudine illos paſcere, mundũ ad ſe traxit: dæmone etiã cui inſeruiebat genus hominũ profligato, & hoc non ſtipendio aureo vel argenteo donatiuo, ſed ieiunio, & perſecutione, & ſanguinis effuſione his*

quibus

quibus prædicabant promiſſis. Verè hic eſt Deus Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula, qui ſolus laborem & dolorem noſtrum conſiderans, miſeretur & præſtat omnibus affluenter ſua potentia, Cui cum patre & ſpiritu Sancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum Amen.

TRACTATVS. II.
In cap. VIII. beati Marci.

ET ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt Phariſæi & cœperunt cõquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo, tentantes eum. Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum. Et dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt trãs fretum. Et obliti ſunt panem ſumere, & niſi vnum panem non habebant ſecum in naui. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis, quia panes nõ habetis? non dum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc cęcatum habetis cor veſtrũ? oculos habentes non videtis? & aures habẽtes non auditis? nec recordamini quãdo quinq; panes fregi in quinq; millia, & quot cophinos fragmentorũ plenos ſuſtuliſtis? dicũt ei: duodecim. Quãdo & ſeptẽ panes in quatuor millia, quot ſportas fragmentorũ tuliſtis? & dicũt ei: ſeptẽ. Et dicebat eis: Quomodo non dũ intelligitis? *Dalmanutha, & quæ Magædan dicitur apud Matth. cap. 15. cõfines ſunt duorũ populorũ: & qui eſt in confinio vnius, eſt etiã in cõfinio alterius. alij dicũt eſſe idẽ Dalmanutha & Magædã, prout multis locis contingit duo habere nominã. Hic fortè habitabãt aliqui phariſæi, qui ſua aſidua malitia, audientes dñm applicuiſſe ibi,*

exie-

exierunt, & ſignum de cælo quærebant fulguris vel ignis, vel quid huiuſmodi, quæ quidem ſigna facilius per ipſos ſi vellent, poſſent negari oſtenſiua eſſe Meſsiæ, quã ea quæ dominus faciebat. Primò namque, quoniam plurima eorum quæ dominus faciebat à prophetis fuerant prædicta. Secundò autem, quoniam ignẽ de cælo vel fulgur angelica poterat facere virtus: & poteſt dæmon, ſi permittatur, facere, & prophetæ, queadmodũ Helias, quando pactus eſt cum populo, & prophetis Baal. 3. Reg. 18. Inuocate, inquit, nomina deorum veſtrorum, & ego inuocabo nomen Dei mei, & Deus qui audierit per ignem, ipſe ſit Deus: ſic factum eſt, quòd ignis nunquam deſcendit ſuper ſacrificium prophetarum Baal: & deſcendit ſuper ſacrificium Heliæ. Itaque debile ſignum eſſet, ſi Chriſtus dominus ignem feciſſet deſcendere de cælo. Cernebant oculis dæmonia eijci, videbant leproſos mundari, mutos loqui, ſurdos audire, claudos ambulare, mortuos ſuſcitari: friuolam nunc apponunt malitiam, quærentes ab illo ſignum de cælo, quod etiam maleuolo faciunt animo, dicente euangeliſta: tentantes eum, vt poſsint ſcilicet calumniari. non abſque cauſa poſtulat Dauid dicens: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meã, de gente non ſancta ab homine iniquo & doloſo erue me, pſal. 42: Non erubeſcit nec confunditur malitia: ideo iſti qui dolos omni hora cogitabant, erubeſcere neſcierunt, totiens à Domino confuſi, totiens moniti, totiens redarguti, propter quod dominus, qui venerat quærere & ſaluare animas, videns eorum induratam & perfidam iniquitatem, ingemiſcens ſpiritu, ait: quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum. *Datis tot ſignis, non erat dandum quod tentãtes poſtulabant: miracula nõ ſunt faciẽda niſi deuoto & ſimplici animo poſtulantibus, vel ad robur fidei. Iſti increduli & maleuolo animo, ſignum petebant, non erat illis dandum: quemadmodum & ficte petentibus nõ datur baptiſmus, nec hæreticis & excõmunicatis ſacramẽtũ*

cor-

corporis domini:quinimò & recedendum eſt ab eis, prout conſequenter dominus fecit: Et dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt trans fretum. *Relinquuntur Iudæi, non tamen ſine ſuſpirio, quia eos etiam ſaluare venerat. diſceſsit dominus ab eis trans fretum, ſignificans apoſtolos tranſituros ad gentes procul, & illac fidem migraturam. Introeuntes in nauim, obliti ſunt panes accipere: Vide minimam de cibo apoſtolos habere curam. Dominus autem illos monet, vigilanter cauere à nequitia phariſæorum, & Herodis, dicens:* Cauete á fermento phariſæorum, & á fermento Herodis. *Hoc ideo dixit: quoniam ſupra cap. 3. conſilium inierunt phariſæi cum Herodianis, quomodo dominum perderent. Itaque iniqui, & incorrigibiles homines cauendi ſunt, primò ne lædant bonos: ſecundò ne praua ſua nequitia bonorum corrumpant mores. Beati apoſtoli, illa ſua ſolita ſimplici intelligentia ad alterutrum dicebant:* Quia panes non habemus: *dominus verò eorum ſimplicitati compaſſus, cauendam doctrinam & nequitiam, ſecundum Matth. phariſæorum, explanauit. Deinde ad id quod dixerant ſecundum Mar. reſpondit, de panibus cibarijs: reducens illis in memoriam recens ſeptem panum miraculum, & aliud de quinque panibus. Non iraſcitur dominus, ſimplicibus rudibusque hominibus, ſed compatitur & docet ignorantiam noſtram, ſolam aſpernit malitiam, & ab indurata nequitia recedit: ſignificans quanto ſint digni ſupplicio, qui ſola malitia peccant, & bonos perſequuntur, cum dominus benigniſſimus, nec petitum ſignum præſtat, quoniam certè incorrigibiles erant: nec ſua vult illos dignos eſſe præſentia, cum ab ipſis recedit, ipſi dixerunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Deus dicit illis: diſcedite à me operarij iniquitatis. Poſtremòque audient, diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quod paratum eſt diabolo & angelis eius. Docentur ergo, qui cor habent ignorantia obcæcatum: relinquuntur qui malitia cor habent obduratum,*

nec

nec diſcipuli cognoſcebant miraculum quinque, & illud ſeptem panum, quos arguit dominus: Adhuc habetis obcæcatum cor, oculos habetis & non videtis, aures & non auditis? cæterum cum hoc ignorantia non malitia illis acciderit, & ſi digni ſunt qui increpentur, digni tamen ſunt qui erudiantur, benignitate & ſapientia Chriſti Ieſu domini noſtri. Cui cum patre & Spiritu ſancto; eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.

TRACTATVS. III.

In cap. VIII. beati Marci.

ET veniunt Bethſaidam: & adducũt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. & apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuẽs in oculos eius, impoſitis manibus ſuis, interrogauit eum ſi quid videret. Et aſpiciens ait: video homines velut arbores, ambulantes: Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius: & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia. Et miſit illũ in domum ſuam, dicens: vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris nemini dixeris. *Bethſaida ciuitas dicitur eſſe Andreæ & Petri Ioan. 1. eadem eſt patria Philippi apoſtoli.* Et adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret, *Non enim à natiuitate cæcus eſt iſte, eo quòd hoc euangeliſta non dixit, tum etiam quoniam ipſe dixit: video homines velut arbores, nouerat iam aliquãdo homines, nouerat & arbores. Cæcitas hæc mentẽ ſignificat eorũ, qui aliquãdo illuminati guſtauerũt donũ cæleſte, deinde reuerſi ſunt ad vomitũ peccatorũ quæ fugerant: genus hoc difficilè curatur; melius enim erat illis, nõ cognoſcere uiam iuſtitiæ, quã poſt agnitionẽ retrorſum cõuerti, ab eo quod illis traditũ eſt ſancto mãdato, inquit beatus Petrus epiſtola 2. cap. 2. Hinc iã nouimus quàm difficile curãtur hæretici, qui guſtato mãdato domini & ſacramentorum vſu, receſſerunt ab ea fide, quam ſemper obſeruauit ſacroſancta catholica mater eccleſia. Eandẽ difficultatem*

patiun

patiuntur omnes, qui prius vel in aliqua religione nutriti, vel in ſeculo religioſè conuerſati, viam domini reliquerunt, & carnalem ſequuti ſunt ſpurciſſimam conuerſationem: difficilius hi reducuntur ad ſpiritualem vitam, quam ij qui nunquam guſtauerunt, quam ſuauis eſt dominus: Iſti ignorantes ſpiritualem vitam, tanquàm animalia muta cum audiunt aliam meliorem, ad illam alliciuntur: illis verò ingratitudine magna in quam prolapſi ſunt, vitam primo ſpiritualiter actam ſpernentibus, obturãtur eorum aures, obcæcãtur eorum oculi, ne ita facilè ſanentur. Orandum igitur eſt, vt hi qui bene viuunt non abcæcentur, qui verò male viuunt conuertãtur: Vnde fit vt non legatur hunc cæcum clamaſſe ad dominum, ſed adductum eſſe ab alijs. Adducũt, inquit Euãgeliſta, illum ad dominum: niſi adducas hæreticos & apoſtatas, non ipſi veniunt ad dominum. Tanta illos enimuerò peccatorum caligo obcæcat, tanta perfunduntur vitiorum denſiſſima nebula, vt ab alijs operepretium ſit adduci ad Ieſum, & apprehẽſa manu cæci, eduxit eum extra uicum. *Mirabilis curatio eſt, quæ non vbicunque tangitur à domino, ſed primò manu eius apprehenditur: potentia virtutis domini neceſſaria eſt. deinde etiam extra vicum ducitur, non enim intra ciuitatem tales curantur, ſed neceſſarium eſt illos à priſtina conuerſatione, ſi ſanari volunt, ſeparari: quod ne eorũ manibus id fieri ſperes, ſed valida manu & virtute Chriſti: ſic dominus expuit in oculos eius, & manu tetigit, dans illis ſapientiam, qua cognoſcant mala ſua, & virtutem gratiæ ſuæ, qua adiuti poſſint à malo reſilire: iuxta illud apoſtoli Pauli. 2. Timot. 2 Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Iam enim dictum eſt, cum de ſurdo & muto ageremus præcedenti cap. quomodo ſpiritus domini, qui à capite fluit ſapientiã indicet, manus vero potentiam.* Et interrogauit eum, ſi quid videret. *Paulatim ſalus datur huiuſmodi peccatoribus, qui iã vel à fide, vel*

à ſpiri-

à ſpirituali vita defecerunt: propter eorum incredulitatem hoc euenit, defectus ſiquidem fidei huius cæci fecit, vt continuò non ſanaretur, quemadmodum ſanata eſt filia Cananææ, & Centurionis ſeruus, & paralyticus, de quo dictum eſt: Et videns Ieſus fidem illorum, ait paralytico: fili dimittuntur tibi peccata tua. deinde, tolle grabatum tuum, ſurge, vade in domum tuam, ſupra cap. 2. Nihilominus tamẽ ad tactum Ieſu, parumper excitatur eius fides: excitantur in huiuſmodi hominibus paulatim fides & boni mores, & ſic ait: Video homines velut arbores ambulantes: *cernebat quidem à longe homines ambulantes, quorũ membra & lineamenta non diſtinguebat, ſed illi velut arbores, oculis ſemi cæcis repræſentabantur: propterea iterum impoſuit illi manus ſuper oculos, & cœpit videre & reſtitutus eſt, ita vt clare videret omnia. Non dedignatur dñs modicæ fidei huius cæci fulcimenta præbere, illumque paulatim anima & corpore illuminare. ſi quem miſericordia Chriſti tangere incipit, non deſinit opus inceptum ex ſua parte perſequi, & ad perfectum adducere finem. Ecce iſte cæcus ſecundò tangitur, incipit videre, & omninò reſtitutus eſt, ita vt clarè conſpiceret omnia. Miſit illum dominus in domum ſuam: domus animæ ratio eſt, ibi nobis eſt commorãdum, à qua ſi non exierimus, ſeculi tumultus nocere nobis nõ poterunt: quemadmodum tempeſtas non nocet, nec pluuia domi manenti. Domus etiam noſtra ſacroſancta mater eccleſia eſt, ad quam redire neceſſe eſt, quiſquis amiſſa fide ab ea diſceſſerit. præcipitur illi ſi in vicum introierit, nemini dicere, ne forte dum Dei beneficium narrat, ipſe ſuis meritis ſanitatem obtinuiſſe arbitretur: ſilentio reddat gratias Deo à vitijs conuerſus, vel ad fidem catholicam reuerſus. Vel ideò mandatur tacere, quatenus apoſtolis præbeatur qui aderant exemplum, nullam velle pro perpatratis per eorum manus miraculis, laudem captare humanam: vnico verbo dominus multa virtutis præbet exempla cæco, apoſtolis & omnibus nobis. Non deſinit Dei filius pro noſtra ſalute humi-*

humiliari, qui dixit: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis: Siquidem oportebat apoſtolos imitari magiſtrum, & omnes nos ſimiliter redemptorem, & omni cum humilitate & gratiarum actione, conuerſionem & illuminationem noſtram ſuſcipere, in laudem & gloriam eiuſdem Ieſu Chriſti Domini noſtri, Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum Amen.

TRACTATVS. IIII.
In cap. VIII. beati Marci.

ET egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius in caſtella Cæſareæ Philippi: & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dices eis: Quē me dicūt eſſe homines? Qui reſponderunt illi, dicentes: alij Ioannem baptiſtam, alij Eliam, alij vero quaſi vnum de prophetis. Tunc dicit illis: Vos verò, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus. Et cōminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & ſcribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere. Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuerſus, & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro dicens: Vade retrò me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. *Fidem veram volens dominus in diſcipulorum mentibus radicare, quē eum diceret homines interrogat: vt reiectis multorum opinionibus, quid de illo ſentiendum eſſet cæleſtis pater diſcipulis reuelaret. Sciebat namque dominus, multas de illo vulgus habere opiniones: ſciebat etiam, has omnes diſcipulos non ignorare: propterea ne aliquis eorum in vulgi incideret errorem, quem eum dicant homines, ab ipſis diſcipulis quæ-*

rit: & hoc in via cum iret in partes Cæſareæ Philippi, vt ſolis apoſtolis quid de illo tenendum eſſet manifeſtum fieret: quo docemur, in via & quocunque nos conferamus, vtilia verba conferre. Diſcipuli verò retulerunt vulgi ſententias: tunc ab illis quis ſit interrogat: Petrus verò tanquam omnium vertex, à patre cœleſti edoctus, reſpondit: Tu es Chriſtus. *in hoc verbo beatus Marcus complectitur plenam, quam ponit beatus Matth. ſententiam dicens cap. 16. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vnde ſatis apparet, vbicunque dicatur Chriſtus ſeu Meßias, quod eſt idem hebraicè quod græcè Chriſtòs, filium verum Dei intelligi debere: eo quòd in multis pſalmorum & prophetarum locis, Meßiam in lege promiſſum, Deum ipſum venturum ſcribatur. Matth. hæc eadem ſcribēs, refert reſponſum à domino Petro datum reuelationis paternæ, & clauiū eccleſiæ promißionis: quod vtique beatus Marcus, qui beati Petri fuit diſcipulus, & ſecundum quòd ab eo acceperat, euāgelium ſcripſit, humilitatis cauſa ſiluit. Mos ſanctorum eſt ſuos nō celare defectus, & tacere virtutes: De beati Petri & ſucceſſorū eius primatu, ſatis in cap. 16. beati Matth. diximus, ideo hic omittimus: Vnum tamen aduertendum eſt circa iuriſdictionē beati Petri, & ſucceſſorū eius poteſtatem: quoniā (cū Chriſtus dominus illi dixit, beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hāc petrā ædificabo eccleſiā meā, & portæ inferi nō præualebūt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorū, & quodcūque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Quod Ioānes vltimo exhibuit, dicēs ter: Simō Ioānis diligis me? paſce agnos meos, paſce agnos meos, paſce oues meas.) illum ſuū vicarium, & ſuos proinde ſucceſſores toto terrarū orbe his verbis conſtituit: Chriſtus nāq; dominus qui omnibus præerat, ipſum Petrū ōnibus hominibus præeſſe oſtendit, cū ait: Tibi dabo claues regni cœlorū, quodcunque ligaueris*

ſuper

ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, hoc eſt coram Deo, & quodcunq; ſolueris, ſolutũ erit & in cœlis, in diuinæ maieſtatis ſcilicet cõſpectu. Deinde exhibuit quod promiſit, cum ait (poſt reſurrectionem, cæteris illũ apoſtolis & diſcipulis præferẽs) diligis me plus his, paſce agnos meos: paſce agnos meos: paſce oues meas: Deſcẽdit igitur iuriſdictio in vniuerſa eccleſia à Chriſto in ſummũ põtificem, nõ q̃uadmodũ ſecularis poteſtas quæ aſcẽdit à populo in Regem, vel dominũ ſuum, quem ſibi præeſſe primò elegerunt: Petri autem & ſummorũ pontificum iuriſdictio, à Chriſto tanquã ſuo vicario tradita, deſcẽdit ab illo in oẽs: nihilominus tamen apoſtoli ſuas iuriſdictiones, reſpectu illarũ orbis terrarũ prouintiarum, in quibus prædicabant & quo ſe conferebãt, à Chriſto domino iuriſdictionem & poteſtatem acceperunt: quod apertius vnica ſententia oſtenditur, ſic diſcurrendo. Petri poteſtas etſi eadem fuerit quæ cæterorũ apoſtolorũ, reſpectu eorum dioceſum, ſiue vbi illos prædicare contigerat, nihilominus Petri poteſtas fuit eminentior aliorum apoſtolorum poteſtate, in quatuor. Primò, quoniam poteſtas Petri fuit ordinaria in toto terrarum orbe, cæterorum verò apoſtolorum extraordinaria, quoniã non reſpectu totius orbis, ſed ſuarum prouintiarum, & vbi illos prædicare & peruenire contigiſſet: Secundò autem, Petri poteſtas erat perſeueratura vſq; in finem mundi in eccleſia, aliorum autem non: quoniam per eorum tranſitum ad Chriſtum, ſua poteſtas iam nihil operabatur, ſuccedebat quicunq̃ catholicus qui eligebatur à populo, & confirmabatur à Petri ſucceſſoribus, aliqui verò à metropolitanis. Dioceſes & poteſtates epiſcoporum, qui ſucceſſerunt in loco apoſtolorum, nunc extenduntur, aliquando contrahuntur: dioceſis Petri non patitur augmentum, nec diminutionem, quandoquidem ipſa eſt ſemper in toto terrarum orbe eadem. Tertiò autem, poteſtas apoſtolorum nec erat ſuper Petrum, neq̃ ſuper ſe inuicem, ita vt non tenerentur omnes ſtare ſententiæ Iacobi, vel Philippi, vel alterius apoſtoli, nec vnus poterat reuocare

quod alter faciebat.Quartò poteſtas eorũ erat ſubordinata Petri autoritati.Si enim in diſſẽſionẽ aliquã veniſſent,Petri autoritas præualuiſſet,cõtra autoritatẽ aliorũ apoſtolorũ:et ſic Petrus, aſtante beatiſſima virgine deipara,actuũ 1.propoſuit electionem vnius apoſtoli,quẽ oportebat ſuccedere loco Iudæ proditoris,& eius autoritate, ſortibus traditis,electus eſt beatus Mathias,& annumeratus eſt cũ vndecim apoſtolis.Ipſe præterea, in die Pentecoſtes pro omnibus reſpondit apoſtolis, quẽadmodũ & nunc in hac confeſſione Chriſti:ipſe fecit vt vna die conuerterentur tria millia hominum,actuũ 2.alia verò quinq; millia,actuum 4.ipſe primus in concilio de ceſſatione legalium ſententiã protulit,actuum 15.Conſtat igitur Petrũ ſuperiorẽ toto orbe fuiſſe,& Chriſti vicariũ, eãdemq; ſucceſſores eius habere dignitatẽ & poteſtatẽ. Alias vt quid Chriſti dñi promiſſio:Tibi dabo claues regni cœlorũ: & quodcunq; ſolueris ſuper terrã erit ſolutum & in cœlis.poſtremòq; Diligis me plus his? paſce agnos meos,paſce agnos meos, paſce oues meas. Tunc cum Petrus dixiſſet, tu es Chriſtus,*dñs cõminatus eſt illis,ne cui dicerent,ne noſtra aliquo modo præpediri poſſet redemptio,quã continuò adiunxit,dicens quæ paſſurus erat,& quemadmodum die tertia à mortuis reſurrecturus.beatus verò Petrus non valens ſe continere,audiens paſſurum dominum,incepit illum increpare ne talia vellet pati:cui dominus reſpondit:* Vade retrò me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.*Cum loquitur quod illi pater reuelat,veram profert ſententiam:cum verò à ſe vult ſentẽtiam proferre,audit repulſam:Sic profectò contingit ſæpe pluribus,qui dũ ſe Deo quid loquantur committunt,vera proferunt,cum verò ſua ſapientia innituntur, errant.O quot ceciderunt & errauerunt à fide,volentes ſuam conſtituere ſapientiam, recedentes à reuelatione Dei,quæ nobis per ſacram ſcripturam innoteſcit.Hinc cœperũt hæreſes pullulare,hinc errores diſſeminari,hinc omne proceſſit corruptorum morum monſtrum: vnde & apoſtolus 1. Timot.*

mot. vltimo, ait: O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & appoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt. Depoſitum, ſacræ ſcripturæ autoritatem prout ab ipſo beato apoſtolo acceperat, dicit, tunc monet deuitare nouitates verborum, quibus pleni ſunt omnes hæretici: ſuperba namque mens, reſpuens communem viam ſanctorum, nouam molitur viam, qua gradiatur oſtendere, ſed falſam: falſam inquã, quoniã arcta eſt via, & anguſta porta quæ ducit ad vitam, O quàm lata & ſpatioſa eſt via, quæ ducit ad perditionem. Vide Mahumetum, & eius ſocium Sergium, qui latam diſſeminarunt carnis viã, cõcupiſcentiæ laxantes habenas, & delitijs carnis vſque ad nauſeam defluentes. Hæc eſt via hæreticorum hominum, omnibus vacare delitijs, ieiunia ſpernere, damnare abſtinentiam, tollere cœlibatũ, vota, orationẽ redarguere, & pro his immũditiam dare, Deo non reddere promiſſa, nec vnquam orare, nec ſanctum inuocare: Vide quò deueniat ſuperba mens, ſi diligit prophanas vocum nouitates, & appoſitiones falſi nominis ſcientiæ: hucuſque deueniunt, qui ſibi confidentes, & de ſua ſcientia ſuperbè præſumentes, nolunt ſanctorum & eccleſiæ ſenſibus ſubijci, ſed ſuam tantummodo ſectari priuam intelligẽtiam, quos iuſtè corripit eccleſia, & ſatanæ eorum iudicat ſectam, cum audiat dominum beato Petro comminaſſe, quinimo & durè increpaſſe dicentẽ. Vade retrò me ſatana, quia non ſapis ea quæ ſunt Dei, ſed ea quæ ſunt hominũ: Nos verò orthodoxam & catholicam ſemper ſacroſanctam matrem eccleſiam ſectantes, rectè per illam cõtinuò audimus veritatem Ieſu Chriſti domini noſtri. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum Amen.

TRACTATVS. V.
In cap. VIII. beati Marci.

ET conuocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi, deneget ſe metipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me & euangelium, ſaluam faciet eam. Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua? Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera, & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cũ venerit in gloria patris ſui cum angelis ſuis. *Annunciauerat dominus ſe paſſurum diſcipulis ſuis, quod maximam perturbationem Petro attulit, nunc non tantum diſcipulos, ſed omnem turbam voluit doctrinæ euangelicæ vitæ eſſe participem, ne ſe cum illo regnaturos temporaliter exiſtimarent, qui ipſum tunc ſequebantur, quique etiam vſque in finem ſecuturi erant. Vitam igitur nunc Chriſtianam penicillo diuinorum verborum ſuorum ad viuum depingit, dicens:* ſi quis vult me ſequi, deneget ſe metipſum, *quiſquis diſcipulus meus eſt, nõ ſola corporis conuerſatione, meum diſcipulum ſe eſſe exiſtimet: non quiſquis è turba, me miracula facientem corporis obſequio ſequens, ſe perfectum eſſe credat. Neceſſe eſt, ſi quis quo ego vado vult poſt me venire, abneget ſe* Ioan. *metipſum. Verè iuſtiſſimus & æquiſſimus dominus, qui de ſe dicit: quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã, ſed voluntatem eius qui miſit me. Iuſtiſſimè et æquiſſimè poſtulat à nobis noſtri abnegationem: hæc vera Chriſtiana vita eſt, cum quis omnes ſuorum appetituum carnalium motus in ſe ipſo frãgit, & in continua ſuæ carnis & mundi contradictione perſiſtit, nũc huc nũc illuc percurrẽs ad reſiſtẽdum inimicorum ictibus, & bellicis*

tor-

tormentis, quibus nunc à mundo, nunc à carne, nunc à diabolo aggreditur & concutitur. Militia inquit Iob, eſt vita hominis ſuper terram. Et quemadmodum mare quod nunc fluit, nunc refluit, numquam quieſcit, ſic nos miſeri in continuo ſumus fluxu & refluxu tentationũ. Neceſſariũ igitur nobis eſt, queadmoũ fluctus maris, qui cũ intumeſcũt terram abſorbere videntur, & in ſe ipſis franguntur, ſic nos quanto magis fluctus tentationũ eleuantur, nos metipſos abnegemus, vt omnes hæ elationes cupiditatũ in ſeipſis frangãtur: Terminũ, inquit Dauid, poſuiſti, quẽ non tranſgredientur, nec conuertẽtur operire terrã. Hieremias: Qui poſuit arenam terminũ mari, præceptũ ſempiternum quod non præterebit, & non commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius & non tranſibunt illud. Si igitur mare in ſe tumentes fluctus, Deo iubente, retũdit, nos qui rationales ſumus, inſurgẽtes in nobis tentationum fluctus in nobis metipſis recludere debemus, & ſic omnes noſtras cõcupiſcentias cũ Dei adiutorio retundentes, verè abnegabimus nos, quod eſt primũ huius lectionis verbũ, non à quo cũq; ſed à diuino verbo incarnato prolatũ: tũc etiã profectò, tollemus facilius crucem noſtram. Nẽpe quod aliud ſit abnegare ſeipſum, aliud verò crucem ſuã tollere, dominus oſtẽdit, cum dicit: & tollat crucem ſuam & ſequatur me, *ſi enim idem eſſet abnegare ſe, & crucem tollere, poſtquam dominus dixit, abneget ſe metipſum, non adderet: & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Crux noſtra illa eſt, teſte apoſtolo Paulo, cum vitia & concupiſcentias noſtras crucifiginnũ: hoc eſt, Cruce Chriſti illas temperamus: Verũtamen noſtram ſemper crucẽ ſumamus. Qui autem, inquit, ſunt domini, carnem ſuã crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Galat. 5. *Abnegatio igitur noſtra eſt, inſurgẽtes in nobis tentationũ fluctus comprimere, ne conuertãtur, & operiant nos. Tollere crucem eſt, carnẽ noſtrã crucifigere cũ vitijs & cõcupiſcentijs, & illa verè eſt crux noſtra, quã ſemper humeris geſtare debemus, illud quod magis amamus, & quo magis delectamur, ſi præceptis diuinis aduer-*

Hiere. 5.

ſetur non committere, & illam virtutem ad quam peragendam caro ſe repugnantiorem exhibet, illam vtique totis viribus perficere. Ecce habes vitam depictam Chriſtianam, quæ in duobus conſiſtit, videlicet in ſui abnegatione, & crucis ſuæ baiulatione: nunc dominus hæc negligentibus pœnam, & hæc facientibus premium proponit, dicens: Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam, *Ecce quid amatoribus mundi eueniet: cũ enim ſaluã vitam, quæ hic anima dicitur volunt, perdunt eam: anima enim viuit corpus, & ſic fit vt anima ſignificet aliquando vitam, vt hic. Perditur namq; vita ab ijs qui in inferno, moriẽtes vt patiantur viuunt, & viuunt vt patiantur: Illam dixit Ioan. in Apoc. mortem ſecundam: mors prima eſt, cum anima à corpore ſeparatur: mors ſecunda eſt, cum perpetuis ſupplicijs anima crucianda damnatur. Perdet denique vitam quicunque vult illam in hoc ſeculo ſaluare, diuitijs affluendo, ſuam in omnibus voluntatẽ adimplẽdo: perdet igitur bis vitam, corporis in morte prima, animæ in morte ſecunda, & vtramque, animæ videlicet & corporis, poſt vltimã reſurrectionem, quando peccatores peribunt, & in infernũ corpore etiam retrudentur, quæ mors ideo dicitur quoniã viuunt vt torqueantur, & torquentur nunquam morientes, vt perpetuò puniantur. Qui autem crucem ſuam baiulat, & ſequitur Chriſtum dominum, quæ illi euenient bona ſequuntur:* Qui autẽ perdiderit animam ſuam propter me & euangeliũ, ſaluã faciet eam. *Qui propter Chriſtum perdit tẽporalem vitam, acquirit æternam: hoc apoſtoli & martyres perfecerunt, & propter euangelium, quod ſonat bonum nuncium, bona annũciatio, aduentus videlicet filij Dei ad ſaluandum mundum, & doctrinæ ab eo prædicatæ: bona annunciatio eſt, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Qui igitur propter peragendam pœnitentiam, propter obſeruandam euangelicam doctrinam, vitam perdit temporalem, acquirit æternam: hoc addidit dominus propter eos, qui non finierunt vitã martyrio, ſed pœnitentiã agentes diſceſſerunt,*

qui

qui etiam vitam acquirunt æternam, vel propter veritatem vitæ ſeruandam, quemadmodum beatus Ioan. baptiſta, qui occiſus non eſt propter Chriſtum, ſed propter veritatem quam prædicabat Herodi, non licere ei habere vxorē fratris ſui, qui & martyr eſt, quoniam vitam propter veritatem euangelicam poſuit. Sic qui quamcunque ſententiam euangelij defendentes, occiduntur pro illa veritate ab hæreticis confitentibus Chriſtum, negantibus tamen ſacramēta, inueniunt proculdubio vitam æternā. Quod autem ſequitur, quid proderit homini ſi lucretur mundum totū, & detrimentū animæ ſuæ faciat? Aut quid homo dabit cōmutationis pro anima ſua? *ſententia eſt confirmans, & ſuadens pro Chriſto ponere, & pro euangelio animā, nempe cum vita non habeat æſtimationem, nec temporalis cedit niſi æternæ. Pro nulla alia re commutanda eſt vita, niſi pro illo qui poteſt aliam vitam dare præſtantiorē. Nullum certè lucrum vitæ eſt anteponendum, ſi vita perditur. Cum igitur qui vult in hoc ſeculo vitam habere delitioſam, amittit æternam, vitæ ſuæ detrimētum facit ingēs, cum per talem vitam deuenit ad cruciatus æternos, qui potius mortis nomine quàm vitæ appellandi ſunt.* Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea: *In hoc quod dicit, verba mea, reddit ſenſum quem prædiximus de euangelio ſumendo pro doctrina euangelica certiorem. itaque qui moritur pro Chriſto, vel pro doctrina euangelica quam nobis præſtitit ipſe dominus, in vitā æternam cuſtodit vitā ſuam: ibi illam reponit, vbi à nullo lædi poteſt.* in generatione iſta adultera & peccatrice, *adulterā dicit, quoniam virum & ſponſum ſibi promiſſum Meſſiam repudiauere: & peccatrice, quoniam indurati animi & duræ ceruicis populus fuit.* & filius hominis confitebitur eum, *reddet videlicet de eo bonum teſtimonium,* cum venerit in gloria patris ſui cū angelis ſuis. *Itaquè cū reddit Deus vicem ſanctis ſuis, eundem obſeruat honoris proceſſum in illis coronandis, quem ipſi habuerunt in*

illi

illi obſequendo: confeſſus eſt quiſpiam Chriſtũ coram infidelibus, confitetur illum dominus coram angelis ſuis: dicẽs ſuis ſe Deum prædicat, quoniam angeli Deo inſeruiunt perpetuò, & non ceſſant vnquam eum laudare. angeli etiam noſtri dicuntur eo quòd in noſtris ſint neceſſitatibus cuſtodes, à Deo mancipati: Angeli eorũ ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt, dicit Dominus Matth. 18. Si pro eo quòd noſtræ ſunt cuſtodiæ deſtinati, angeli ſancti dicuntur noſtri, multo magis dicuntur Dei eſſe, cuius ſunt creatione & glorificatione beati, cuius etiam obſequijs perpetuò inſeruiunt. Itaque qui vult vitam habere perpetuam, abneget ſe metipſum, deinde tollat crucem ſuam & ſequatur Chriſtum, qui etiam pro nobis ſuſtinuit mortem, & crucis opprobrium: in hoc quippe ſequitur, dum patitur pro illo qui pro nobis paſſus eſt. Nemo igitur ſibi blandiatur delitioſe viuẽs: vita non promittitur æterna niſi ſequẽtibus Chriſtum, euangelium obſeruantibus, & tollentibus crucem ſuam, & quando opus eſt, vitam pro illo cum ſanguine effundentibus. Cui cum Patre, & ſpiritu Sancto, eſt honor, gloria & imperium. Amen.

In IX. caput beati Marci.

ET dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortẽ, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et poſt dies ſex aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt corã ipſis. Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendẽtia & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyſe, & erant loquentes cum Ieſu. Et reſpõdẽs Petrus ait Ieſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, tibi vnũ, & Moyſi vnũ, & Eliæ vnum. Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. Et facta eſt nubes obumbrãs eos, & venit vox de nube dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus, audite illum. Et ſtatim circunſpicientes, neminem amplius viderunt, niſi Ieſum tantùm ſecum. Et deſcendentibus illis de mõte, præcepit illis, ne cuiquam quod vidiſsent narrarent, niſi cum filius hominis à morte reſurrexerit. Et verbum continuerunt apud ſe, conquirentes quid eſſet, cùm à mortuis reſurrexerit. Et interrogabant eum dicẽtes: Quid ergo dicũt phariſæi & ſcribæ, quia Eliam oporteat venire primũ? Qui reſpõdẽs, ait illis: Elias cũ venerit primò reſtituet omnia: & quomodo ſcriptũ eſt in filium hominis, vt multa patiatur, & contẽnatur. Sed dico vobis, quia Elias venit, & fecerũt illi quæcunq; voluerunt, ſicut ſcriptũ eſt de eo.

Ne forte diſcipuli de nouæ doctrinæ prædicatione trepidarent, cùm audirẽt illas arduas ſentẽtias de ſui abnegatione, crucis propriæ baiulatione, & animæ periculo, ſi illam in hoc ſeculo velint ſaluã facere, ſi verò perdiderint ſaluare, dominus illis ſuauia nũc & proſpera proponit dicens: Amen dico vobis, ſunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortẽ, donec videãt regnum Dei. Aderat

turba

turba, aderant & diſcipuli, cum dominus de illa ardua doctrina diſſeruit, prout ſupra dixit Euãgeliſta praecedenti cap. de omnibus illis: aliqui. i. diſcipuli non mortui ſunt, niſi prius viſo Dei regno in reſurrectione domini, quem per dies quadraginta poſt eius glorioſiſſimam reſurrectionem cõuerſati ſunt. In virtute tunc venit regnum Dei, hoc eſt in illa forma qua omnes beati reſurgent: vel in virtute. i. in potentia, ſiue in breui compẽdio eorum, qui cum domino ſurrexerunt, licet non in omni extenſione, prout in fine ſeculi veniet, cum omnes beati reſurgent ad regnandum etiam corpore cum Chriſto, qui vſque tunc anima regnant: Vel fortè id dixit de illis tribus, Petro ſcilicet, Iacobo & Ioãne, qui viderunt domini transfigurationem, quae continuò ſequitur. Caeterum quando hoc dixit dominus, turba aderat vnà cum diſcipulis: prima videtur rationabilior interpretatio. Poſt dies autem ſex, dominus voluit in ſe ipſo oſtendere gloriae ſplendorem, vt ſcirent diſcipuli, non eſſe arduum quidquid praecipit lex euangelica
Rom. 8. *tantae magnitudinis gloriae ſatisfactione: non enim ſunt condi-*
2. Cor. 4. *gnae paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis: Leue enim & momẽtaneum tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non cõtemplantibus nobis quae videntur, ſed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia ſunt: quae autem non videntur, aeterna ſunt. Aſſumpſit igitur tres praenominatos apoſtolos, reliquos verò dimiſit, & aſcendit in montem excelſum, vt illis celſitudinem gloriae ſuae accidentalis oſtenderet: tantũmodo gloriam corporis illi viderunt, ne dubitarent eum reſurrecturum, ne uè trepidarent pro illo pati ſpe tanti ſplendoris erecti. Corporis ſplendorẽ & faciei, donotat in eo Euãgeliſta quod ait: trãſfiguratus eſt ante eos, hoc eſt, alia viſa eſt facies eius: etiam veſtimenta ex corporis ſplendore, facta ſunt ſplendentia & alba, qualia non poteſt facere fullo, quoniam certè ab alio artifice, qui fecit caelum & terram haec albedo illuſtratur. Venerunt inſuper*

Moy-

Moyſes & Elias, vt illũ dominũ vitæ & mortis oſtenderent: Moyſes ex mortuis, Elias adhuc viuẽs acceſsit: inſuper vt illũ verũ Meſsiã, ex lege Moyſes, & prophetis Elias oſtenderẽt. Pater etiam cœleſtis teſtimonium perhibet illum eſſe ſibi conſubſtãtialem, vnicum filium, legis & prophetarum dominum, cui aſſenſum deberent præbere omnes gentes: Audite, inquit cœleſtis pater, illum: neminem cum vox finitur vident, niſi ſolum Ieſum, vt cognoſcant vocem, non Eliæ aut Moyſi, ſed Chriſto domino redditam fuiſſe. Præcepit eis nemini dicere viſionẽ vſq; poſt ſuã reſurrectionem, quia tunc verè confirmaretur, quam tunc oſtenderat corporis gloriam, poſſe ſemper ſi vellet oſtendere, ſed diſpenſatoriè non ea vſum fuiſſe, vt impaſsibili natura morte ſua, mortẽ noſtram dilueret. Mirati ſunt verbũ quod dixerat, niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexerit. quoniam verò audierant à legis peritis Eliam venturũ quem abire conſpexerant, quærunt igitur: quid ergo dicũt ſcribæ & phariſæi, quia Eliam oportet venire primùm? Hoc legimus Malachiæ. 4. Dominus autem reſpondit: Elias cũ venerit primò reſtituet omnia: hoc eſt, tunc conuertentur Iudæi in finẽ mundi, quando Elias venerit iterũ prædicare & pati ab ante Chriſto: vos autem qui hæc ex legis peritis adducitis de Elia, quomodo non etiam ab illis adducitis id quod ſcriptum eſt à tot ſeculis, de reprobatione & paſsione Meſſiæ? Elias dico vobis venit, in ſpiritu videlicet, ſicut Zachariæ de filio ſuo Ioanne Baptiſta ab angelo prædictum eſt, ipſe præibit ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, parare domino plebem perfectam: & fecerunt in illo quæcunque voluerunt: hoc eſt phariſæi & ſacerdotes & ſcribæ illi non crediderunt, verùm etiam dicebant, dæmonium habet: & Herodes dedit caput eius in diſco ſaltatrici nefandæ puellæ, ſicut ſcriptum eſt de eo: hoc referendum eſt ad aduentum Ioannis in ſpiritu & virtute Eliæ, Ecce ego mitto angelum meũ, qui præibit ante faciem meam Malach. 3. Non igitur cũ tãta gloria nobis oſtẽditur, timeamus

abne

abnegationem noſtram peragere, crucem tollere, patiēter tolerare opprobria, mortem etiam ipſam ſi opus fuerit, ſcientes nos non tantum verbo à domino edoceri, verum etiam exemplo: Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.

TRACTATVS. II.
In cap. IX. beati Marci.

ET veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & ſcribas conquirentes cū illis. Et confeſtim omnis populus vidēs Ieſum, ſtupefactus eſt, & expauerunt, & accurrentes ſalutabant eum. Et interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis? & reſpondens vnus de turba, dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicunque eum apprehendit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt. Qui reſpondens eis dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumās. Et interrogauit patrēm eius: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait: ab infantia, & frequēter eum in ignem, & in aquā miſit, vt eum perderet: ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi: ſi potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatē meam. Et cum vidiſſet Ieſus concurrentē turbā, cōminatus eſt ſpiritui īmundo, dicēs illi: Surde & mute ſpiri-

ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus eſt. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. Et cum introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere eum? & dixit illis: hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio. *Cum dominus ſolis tribus apoſtolis voluit ſuæ transfigurationis oſtendere claritatē, reliquos nouem dimiſit: factum eſt domino abſente, pater huius, de quo loquitur Euāgeliſta, dæmoniaci, venit quærēs Ieſum: propterea dixit, attuli ad te: quē cum non inueniſſet rogauit diſcipulos domini, vt eijcerent dæmonem à filio ſuo, qui cum non potuiſſent, quāuis illum pellere tentauerunt, magna ſcribarum facta eſt conquiſitio de hoc cum diſcipulis domini. Vide quātam diſſentionem operatur abſentia Ieſu: Orandum eſt ne recedat à nobis, nec per horam: diſcipuli impotentes reddūtur, turba dubitat, pater incredulus redditur, Scribæ conquirunt & aſpernātur: adueniente profectò Ieſu, omnia pacata redduntur. Non licet prælatis multum abeſſe à grege, vide diſcipulorum, abſente domino, fidem tepidam, nempe increduli fuerunt, ſecundùm Matth. nec ieiunio & orationi vacarunt abſente domino, quemadmodum eo præſente faciebant. Hæc enimuerò adſcribitur ratio quare eijcere non potuerunt, quia hoc genus non eijcitur, niſi in oratione & ieiunio. Vir ſanctus erat Aaron quem cōmiſſarium reliquit Moyſes, dū aſcenderet ad dominum in montē, nihilominus tamen Moyſe abſente, ſurrexit populus manducare & bibere, & fecerunt conflatilem vitulum, quem adorauerunt, dicentes: hi ſunt dij tui Iſraël: nefanda progenies. Cum autem dominus veniſſet, omnis populus miratus eſt, nō enim tā citò expectabant eū venturū, vel fortè cū vidērēt nouē diſcipulos ſolos, & illū cū tribus abijſſe, prout vulgò eſt conſuetū, aliquā ſiniſtrā opinionē cōceperāt de eius abſceſſu, fortè*

Matth. 17.

Exo. 32.

quo-

quoniam propter metum ſacerdotum & phariſæorum & ſcribarum receſſerat, vel in aliam iam prouintiam migrauerat: ſdubitabant nihilominus eũ, quoniã aliqua populus deuotione erga illũ erat affectus, videntes tot ſigna quæ faciebat. Dominus verò qui omnia nouerat, mederi volens fidei diſcipulorum, & miſeri huius dæmoniaci, patrem, de conquiſitione ſcribarum cum diſcipulis interrogat: tunc pater, cuius cor filij malũ angebat, narrauit rei ordinem: dominus verò primò incredulitatẽ eorum increpat, dicẽs. O generatio incredula, quouſq; apud vos ero? quouſq́ patiar vos? Proculdubio non poſſumus non faſtidire cordium duritiam, & malorum perpetuam pertinatiam, qui nullo verbo mouẽtur, nulla perſuaſione vincuntur, nulla ratione flectuntur: ſi igitur nos homines abhorremus hos, non dubiũ quin dominus faſtidiat incredulitatem eorum, qui omni die, omni hora mirabilia cernebãt, & minimè credebant. Quòd autem pater dicit, ſi potes, adiuua nos: manifeſtat incredulitatem ſuam. Bonum eſt peccanti, non excuſare, nec celare peccatum: etſi iſte non tanquam pœnitẽs fatetur incredulitatem ſuam, prorſus tamen palàm facit, non integram habere, fidem ſed dubiam, dicẽs: ſi potes adiuua nos: viderat diſcipulos nouem non poſſe, dubitat an poſſit magiſter. Pius dominus & miſericors, non ad verba dubia attendit dolentis patris, ſed miſeriam patientis filij, & vtriq́ mederi volẽs, manſuetiſſimè reſpondit, excitãs eum ad credendũ: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti: *Ille namq́ dixerat,* ſed ſi quid potes adiuua nos, *miſertus noſtri dominus, verbũ potes in caput eius retundit, vt ſe noſcat non habuiſſe fidem, & diſcipulorũ fuiſſe conſortem, & ob fidei inopiam ex parte ſua & diſcipulorũ eueniſſe, energumenum minimè poſſe ſanari: ille verò audiẽs, ſine fide nõ poſſe ſanari filiũ, clamabat: Credo dñe, adiuua incredulitatem meã: vtile verbum credit, & poſtulat ſibi augeri fidẽ. credentes ſemper poſtulemus, da nobis domine fidei augmentũ, & bene operantes bonorum etiam operum perſeuerantiã à domino poſtulemus, dolẽtes*

etiã

etiam de peccatis dicamus, doleo dn̄e, pœnitet me, ô Deus bone ad-iuua contritionem meam. Ad vocis exaltationem hominus concur-rit turba, ne autem tumultus fieret, dum omnes vellent videre quemadmodum dominus pellebat hunc atrociſsimum dæmonem, & ſe inuicem comprimerent, præcepit tanquā Deus, tanquam po teſtatem habens, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne in-troeas in eū. *Dæmon verò multū diſcerpens eum, & allidens in terram exijt: quo pulſo factus eſt homo veluti mortuus, ita vt mul-ti quibus non erat ſanus fortè affectus, vel qui non habebant luci-dam intelligētiam dicebant:* Quia mortuus eſt. *Dominus verò manu illum apprehendens, leuauit eum. Diſcipulis deinde quærē-tibus domi, quare nos illū non potuimus eijcere? reſpōdit dominus: hoc genus nō eijcitur niſi oratione & ieiunio: Quo fit manifeſtum diſcipulos, nō prius præmiſſa oratione præcepiſſe dæmoni exitum, quod ſolius Dei eſt dicere, ego præcipio tibi prout dixit dominus, etiam vt purior redderetur oratio, ieiunium erat præmittendum prout conſueuit eccleſia facere, cum velit puriores reddere oratio-nes noſtras, in præcipuorum ſanctorum vigilijs, & in quadrage-ſima, & alijs opportunus temporibus. Colligendum etiam eſt, inter dæmones aliquos qui ab altiori hierarchia ceciderūt, alijs eſſe for-tiores, nec pelluntur eadem facilitate, qua inferiores. Sunt etiam quædam vitia, prout illa quæ ab infantia cum homine creſcunt, difficilis curationis, velut iſte ſpumat incōtinens, ſtridet in eos qui illum corrigere volunt, & areſcit mēte, vt nullo imbre verbi Dei molleſcat: aliquando etiam corpore exhauſto perit, ſæpe illum dæ-mon procurat ſuffocare in aqua, vel igne perire: oratione tamen & ieiunio ſanari poteſt. Chriſto verè nihil eſt difficile, cui omnia parent, cum ſit ſplendor patris, & figura ſubſtantiæ eius, cum quo & ſpiritu Sancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

illi de præeminentia loquuntur: domeſticũ habet in corde ambi- tio periculum: cum enimuerò initium peccati primorum paren- tum ab elatione proceßit, nobis quidam igniculus ſurſum ferendi intus in corde ſemper ſcintillat, & niſi humilitate, exemploque Chriſti extinguatur, flammas ſuperbæ elationis accendit. Vigilã dum eſt certè illi, & à Chriſti exemplo nũquam recedendum, qui vult domino placere, & animã ſuam tuto in loco collocare: ſub- tus terram qui abſconditur non læditur à ſuperiore tempeſtate: qui etiam ſe humiliat intus abſconditus, ſecurus à vi ventorum ſeculi quieſcit: Altus eſt Deus, & humilia reſpicit in cœlo & in terra, alta verò à longe cognoſcit. Si nunc ea quæ hoc in loco ſcribit beatus Matth. memorari volumus, dicendum eſt, illos primò acceßiſſe ad Ieſum, & interrogaſſe: Quiſputas maior eſt in regno cœlorũ? Et dominus reſpondit, Quid in uia tractabatis? *ſecũdum Mar.* At illi tacebant. *Talis eſt humana conditio. cum malè agit, aut ſe excuſat, aut tacet, dominus ſanè eorum fragilitati me- deri, & illis nobisquè viuendi; ſecundum euangelium exemplum & doctrinam præbere volens, ſciens cogitationes eorum & ver- ba, quibus contenderant de primatu, dixit illis:* Si quis vult pri- mus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter: *hoc eſt officium primorum in eccleſia, ſe omniũ nouißimos reputare, & omnium eſſe miniſtros: hæc eſt hæreditas, hæc ſubſtantia re- ctè volentium in eccleſia præeſſe, & eorum qui ſecundum euan- gelium vitam formare deſiderant, quod ideo dominus apoſtolis annunciat, ne fortè exiſtimarent, more ſecularium poteſtatum ſuam eſſe eccleſiam gubernandam: ſed omni cum humilitate & abiectione, omni cura, charitate & patientia: Tunc accepit domi- nus paruulum qui fortè aderat; & in medio eorum collocauit, quem amplexus, illis exemplũ ſimplicitatis & humilitatis pro- poſuit, dicens:* Quiſquis vnum de huiuſmodi pueris receperit, me recipit, *ac ſi diceret, tales volo vos eſſe humilitate, ſicut infans iſte qui neſcit ex tolli, nec primã cathedrã quærere: ſi enim porrò*

tales fueritis, quiſquis vos receperit me recipit, agnũ ſcilicet ino- ſcentem, & qui me ſuſceperit, ſuſcipit eũ qui miſit me: Itaq; qui vos ſuſceperit, Deum in vobis ſuſcipit. Videte igitur quanta pu- ritate, & quàm alienos oportet vos eſſe ab omni dominatu, & elata ambitione? Si enim nõ loco veſtro, ſed loco Dei ſuperiores ſtatis, nihil vobis præſumendum eſt, neque quærendum de ſupe- riore poteſtate, quoniam non vos in vobis, ſed Deus in vobis re- cipitur. Nihil apoſtoli domino reſponderunt: non enim qui ar- guitur à ſuperiore, verbis contendere licet, aliàs nihil vnquam boni faciet, nec ab imperfectione recedet: nam quemadmodum puer in ſchola, vel qui aliquam artem ediſcit tacet, & patienter audit magiſtrum, totumq; ponit ſtudium in charactere vel aliquid aliud iuxta magiſtri præceptum depingendo: ſic qui moribus vult proficere, non debet ille magiſtro obſiſtere, ſed humiliter docen- tis iuſſis parere. Boni diſcipuli Chriſti, audita doctrina domini ta- cent, & inter ſe continent verbum, pueríque exemplum coram oculis appoſiti. Sopita itaque eſt ambitio, ſed non prorſus dempta: non enim deſinit flammam excitare, iſte igniculus, niſi ſpiritus ſancti imbre veniente extinguatur, iterum namque ſuæ elationis flammas in cordibus apoſtolorũ excitauit. Domino iam paßioni proximo, ſecundum Luc. cap. 22. dicitur: Facta eſt autem & con- tentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior: poſt aduentum autem ſpiritus ſancti, nullam prorſus legimus de primatu inter eos fuiſſe excitatam controuerſiam. Si vellent homines omnium rerum attendere finem, quemadmodum principia tantũmodo con- ſiderant, non ſic hoc igniculo ambitionis adurerentur: per caudam præceptum eſt Moyſi ſerpentem tollere, vt in virgæ propriam naturam cõuertatur, non per medium nec per caput: tunc appre- henſa cauda ſerpentis verſa eſt in virgam. Si enim ſeculi pom- pam capite vel medio teneas, videbitur tibi magnum quid regem eſſe, prælatum fieri, in Repub. officiũ gerere: apprehende caudam, vltimum videlicet eorum, omnes videbis in virgam, hoc eſt in pul-

uerem

uerem, cuius ſunt naturæ conuerſos: ſolus ille habet permanentes honores, Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, gloria & imperium in æternum, Ieſus Chriſtus dominus noſter. Amen.

TRACTATVS QVARTVS.

In cap. IX. beati Marci.

RESpondit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me: qui enim nō eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Et quiſquis ſcandalizauerit vnū ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis, ſi circundaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi, debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitā æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quòd ſi oculus tuus ſcādalizat te, eijce eum: bonū eſt tibi luſcum introire in regnum Dei: quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur: & ignis nō extinguitur. Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. Bonū eſt ſal, quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud cōdietis? Habete in vobis ſal, & pacē habete īter vos.

Zelus diſcipulorum adhuc carnalis erat, quemadmodum diſcipulorum Ioannis ieiunantiũ, qui cum phariſæis quærunt: Quare diſcipuli Ioannis & phariſæorum ieiunant frequenter, tui autẽ diſcipuli non ieiunant: ſupra cap.2. Similiter Ioannis diſcipuli ad eum venerunt, dicentes: Ioan.3. Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Hoc igitur zelo Ioan. dicit: vidimus quemdam eijcientẽ in nomine tuo dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. *Non enim decet chriſtianum hominem, quempiam à bono opere prohibere, neq; illi detrahere, eo quòd non ſit eiuſdem familiæ conſors, ſufficit in nomine Chriſti illum eſſe cõgregatum: non decet clericis religioſis viris eſſe infeſtos, eo quòd iſti albis induantur deſuper veſtibus, illi verò nigris ſiue alterius cuiuſuis coloris. Turpe eſt etiam religioſis viris, alterius familiæ viris religioſis non adhærere, & ſe inuicẽ charitate proſequi, eo quòd iſte vnius nominatur inſtituti, alter verò alterius: & vnus albis, alius nigris ſeu alterius coloris tegitur indumentis: ſufficit omnes eſſe chriſtianos, ſufficit omnes Chriſto ſuo modo inſeruire: propterea dominus prohibentes diſcipulos illum, qui in eius nomine dæmonia eijciebat reprehendit, dicens:* Nolite prohibere eũ: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſsit citó male loqui de me. Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. *Non aduerſatur huic ſententiæ illa, quã dominus alibi dixit: Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum diſpergit: illa enim de diabolo pronunciata eſt, cuius opera erant diſsimilia Chriſto, & in nullo illum iuuabat. Iſte qui dæmonia pellebat in eius nomine, in hoc doctrinam Chriſti iuuabat, & nomen eius magnificabat, iſte colligebat cum Chriſto, dæmon qui non colligit cum Chriſto diſpergit: ideo addit:* Quiſquis enim potum calicem aquæ frigidæ dederit vobis in nomine meo, quia Chriſti eſtis, non perdet mercedem ſuam: *proinde eſt ac ſi diceret, quiſquis in nomine meo rem minimam, calicẽ ſcilicet aquæ*

frigidæ

frigidæ dederit, nõ perdet mercedẽ ſuã. Minimè etiã perdit, qui in nomine meo pellit dæmonia, qui cum hoc facit in nomine meo pro vobis eſt, iuuat ille vos, iuuat intẽtionẽ vẽſtrã, iuuat inſtitutũ veſtrũ: & tanto pro vobis magis eſt, quãto plus præſtat eijcere dæmonia, quàm calicẽ aquæ frigidæ vobis dare: & queẽadmodũ ille non perdet mercedẽ ſuã, qui rem minimã vobis, eo quòd mei eſtis diſcipuli donauerit, ſic qui ſcandalizauerit vnũ de hu puſillis, qui in me credũt, melius illi erat mola àſinaria collo ſuſpẽſa, proijci in mare. Hoc dictũ videtur in illius fauorẽ, qui dæmonia eijciebat in nomine Chriſti, quẽ eius fidelẽ eſſe arbitramur: Nec enimuerò oẽs *qui tũc in Chriſto credebãt ſequebãtur dominũ, multi enim erãt occulti propter metũ Iudæorum, prout ex ſacro euangelio cõſtat de Nicodæmo, Ioſeph ab Arimathia, & alijs nõ paucis: Profectò fides neceſſaria erat ad miracula faciẽda, propterea nõ ab re videtur ad Ioannẽ & alios, qui prohibuerũt illũ qui dæmonia in Chriſti nomine eijciebat, hãc à domino ſententiam dirigi, ne vnquam aliquem puſillum ex his, qui in Chriſtum credebant ſcandalizarent: Vel fortè hoc ad ipſos diſcipulos credẽtes referẽdum eſt, quo audito ipſi neminẽ ſcandalizarẽt, ſciẽtes quãto ſupplicio habendi ſunt digni, qui ipſos diſcipulos ſcãdalizauerint. In tantũ debemus prorſus ſcãdala vitare, vt etiã in nobis ipſis, ſi ab aliquo mẽbro anima patiatur ſcandalũ, hoc eſt ruinæ occaſionẽ, à nobis pellendũ ſit nõ corporali abciſiõe, ſed ſcãdali remotiõe: hoc eſt quòd dicitur de oculo, pede, & manu, ſiquidẽ remouẽda eſt omnis accaſio vidẽdi, ſi viſio impellit ad malũ, operandi, ſi pes vel manus incitat ad peccandum: melius enimuerò eſt minus lucrãdo manibus, vel minus honoris adipiſciẽdo oculis nõ peccare, quã peccãdo diuitẽ fieri, vel ad magnã in præſenti ſeculo dignitatẽ peruenire. His autem qui peccauerũt, pœnam aſcribit gehẽnæ, vbi vermis, remorſus ſcilicet conſciẽtiæ nõ moritur, & ignis eorũ nõ extinguitur: quod verbum ter repetit dominus propter eos, qui gehẽnæ ſuppliciũ non credunt eſſe perpetuũ, ideo ait, vermis ibi eorũ nõ moritur, perpetuò igitur*

corrodentur & cruciabuntur quicunque illuc peruenerint: & ignis eorum non extinguitur, igitur perpetuò adurentur. Quòd autem addit continuò verbum, dicens: Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur: *referendum eſt ad eos, qui ne ſcandalum patiantur, oculos, manus, pedes à ſe remouent, hoc eſt occaſionem omnem peccãdi tollunt: igne enim tali ſaliuntur, hoc eſt condiuntur ſapiẽtia, vt magis velint tribulationẽ pati, & in hoc ſeculo penuriam, quàm ad illum peruenire ignem qui non extinguitur. Et omnis victima ſale ſalietur, perinde exiſtimo dictum ac ſi diceret: ideo præcipit Deus omnem victimã ſale perfundi, non quòd Deus inde ſaporem hauriat, ſed quòd homines offerentes Deo, ſapientes ſint ad bene offerendum: Sic enim legimus Leui. 2. In omni oblatione offeres ſal. Bonum, perſequitur dominus, eſt ſal: hoc eſt bona eſt diſcretio, qua quis nouit à ſe manum, oculum, pedem ſi opus eſt, procul pellere: hoc eſt occaſionem peccatorum fugere, ne veniat in gehennam, vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur:* Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? *Eſt quædã humana diſcretio qua homines reputantur ſapientes, de qua ſcriptum eſt: Sapientia huius mundi, ſtultitia eſt apud Deum. & iſti quandoq; , imò ſæpè reputantur in conſpectu huius ſeculi ſapientiſſimi, quia nouerunt diuites fieri, ad magnas dignitates aſcendere: ſed hoc ſal inſulſum eſt, quandoquidem hæc diſcretio, hæc ſapiẽtia non liberat, quinimò deducit in gehennam, vbi vermis eorum nõ moritur, & ignis non extinguitur: Propterea ſequitur,* habete in vobis ſal, *hoc eſt veram ſapientiam & veram diſcretionem.* & pacem habete inter vos, *hoc dixit, quoniam in via diſputauerant quis eorum eſſet maior. Diſcretionem, ſapientiam & pacem in hac doctrina dominus diſcipulis ſuis commendauit: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor & gloria in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS PRIMVS.

In cap.X.beati Marci.

ET inde exurgẽs,venit in fines Iudææ vltra Iordanem, & conuenerunt iterum turbæ ad eum:& ſicut conſueuerat,iterum docebat illos. Et accedentes phariſæi, interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere?tentantes eum. At ille reſpondens,dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes? Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere,& dimittere. Quibus reſpondens Ieſus,ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum illud: ab initio autem creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum,& matrem,& adhærebit ad vxorem ſuam,& erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit,homo non ſeparet. Et in domo iterum diſcipuli eius de eodẽ interrogauerunt eum. Et ait illis: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuũ, & alij nupſerit, mœchatur. *Quocunque venit Chriſtus turbæ ſequuntur,quocunq; tu noueris eſſe Chriſtum (qui dixit: Quodcunque vni ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis) veni, feſtina, ſiue in carcerem, ſiue in xenodochium, ſiue in inopiam, vel tribulatorum conſolationem: nullam debet chriſtianus præterire occaſionem: quòd ſi doctrina indigent populi, curre prædica ibi verbum, quia dominus ſicut conſueuerat, iterum docet illos, non ceſſabat, quoties ſe offerebat occaſio, dominus docere populum, nec ceſſabant inimici omnis iuſtitiæ phariſæi, laqueos*

iniqui-

iniquitatis & malitiæ ante illum tendere: atqui ſi fruſtra iacitur rete ante oculos pēnatorum, prout inquit ſapiens, magis fruſtra iacitur malitia ante oculos Chriſti omnia videntis. Quæſtionem igitur proponunt perdifficilē, tentātes eum. Non exprimit euangeliſta huius tentationis genus, exiſtimo autem illos ſic cogitaſſe: ſi dixerit vxorem non dimittendam, commouebimus homines contra illum, ſi verò dixerit dimittendam quacunque ex cauſa, aduerſabitur illi fœminarum turba (non enim eſt ira ſuper iram mulieris) & ſic eum populo faciemus exoſum. At dominus legem interpellat, vt retundat in illos periculum: quin etiam bonus dominus vt doceat quid in hac re viro bono ſit faciēdum, ait: Quid vobis præcepit Moyſes? *reſponderūt,* Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere. *Ne occiderēt vxores Iudæi paſſim, Deut.* 24. *Moyſes permiſit libellum repudij dari, propter aliquam fœditatem in ipſa muliere repertam, & ſic dimiſſa poterat alteri viro nubere, ne prout diximus, crudeles Iudæi interficerent eas, vel nocte ſuffocādo, vel venenum porrigendo. Audita lege, dominus eius verum intellectum præſtat, dicens:* Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum illud: ab initio autem creaturæ maſculū & fœminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad vxorem ſuam, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. *In his verbis Dominus, matrimonium ſacramentum nouæ legis inter cætera ſacramenta repoſuit, cum ait: propter hoc: non enim dixit propter hanc mulierem, ſed propter hoc, myſterium ſcilicet, prout expoſuit beatus Apoſtolus Paulus, repetens eadem verba domini ad Epheſeos.* 5. *Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: magnum accipe ſignificatione, nempe cōtinuò addidit*

apo-

apoſtolus: Ego autẽ dico in Chriſto, & in eccleſia. Quando igitur matrimonium in officium à Deo datum eſt in paradiſo terreſtri, dixit Adam formata muliere: Quamobrem dimittet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: nunc autem non propter illam, quia de latere hominis fuit formata, ſed propter hoc myſterium Chriſti, qui ſibi deſponſauit eccleſiam (qui enim habet ſponſam ſponſus eſt) ſacramentum hoc magnum eſt ſignificatione. Mirati ſunt diſcipuli audientes, non eſſe in lege euangelica dandum libellum repudij, ita vt poſſet vir alteram mulierẽ, & illa alium ducere virum: ideo iterum de hoc dominum interrogauerunt. Non te pudeat, cum non capis ſcripturam, iterum quærere, & iterum interrogare: Et ait illis: quicunq; dimiſerit vxorem ſuam *(oportet hic addere quod Matth. dicit: excepta fornicationis cauſa, in hoc verò infidelitatis peccato, dimittere poteſt vir vxorem) nunc ſequitur:* & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuũ, & alij nupſerit, mæchatur. *Vide ergo quomodo dominus manifeſtiſsimis exponit verbis, etiam dimiſſam ob adulteriũ manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & virum aliam ducere non poſſe dimiſſa viuente: Quod igitur beatus Matth. cap. 19. inter mediam domini ſententiam poſuit, niſi ob fornicationem, referendum eſt ad dimiſsionem, non autem ad alteram ducendam vxorem: vide beati Matth. verba, & ea quæ hic ponuntur à Marco, & facilè verum Chriſti ſenſum habebis. Inquit beatus Matth. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. Et qui dimiſſam duxerit, mæchatur. Marcus verò: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam: hic adde: niſi ob fornicationem, ſecundum Matth. Itaq; caſus fornicationis quoad dimiſsionẽ tantum à dño excipitur, vt ſcilicet poſsit dimittere, non autem vt aliã illa viuente poſsit ducere: ideo addit: & aliã duxerit, adulteriũ cõmittit ſuper eã. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuũ & alij nupſerit, mæchatur. Quòd*

autem

autem conſueuit eccleſia, ob mortis metum ſeparare vxorem à viro, vel è contrario, quo ad cohabitationem tantum, ne contingat homicidium, non repugnat ſententia domini, niſi ob fornicationem, quoniam hoc propria autoritate, viro in hoc tantummodo caſu conceditur ob fornicationem. Illud autem fit per eccleſiam autoritate Dei, qui præcepit, non occides: cum autem timetur vera & plena probatione homicidium, eccleſia ad obſeruantiam præceptorum Dei, ſeparat virum ab vxore quoad cohabitationē, & vxorem à viro, quod etiam fit autoritate domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui eſt verus Deus præcipiens non occidere, viuens & regnans cum patre, & Spiritu ſancto, in ſecula ſeculorū. Amen.

TRACTATVS. II.
In cap. X. beati Marci.

ET offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus: Quos cū videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim regnū Dei: Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei, velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. *De paruulis nūc nobis differendū eſt, qui tantopere hodie commendātur à domino: diſcipuli grauati tāta multitudine populi, inſuper addita paruulorum nūc turma vt tangerētur à domino, quibus, diuina benedictione ſuſcepta, bene eſſet, prohibebant illos. Vtinam parentes qui illos offerebant, profectum ſpiritualem, & non temporalem ſalutem tantūmodo ab hac benedictione domini reportaturos exiſtimarent: cæterum importunè ægrèque hos ferentes diſcipuli, prohibebant illos, quandoquidem huius tactus myſterium non percipiebant. Iam procul dubio dominus hic, eccleſiæ ſuæ confirmationis ſacramentum,*

quo

quo paruuli per epiſcopos in fróte ſacro chriſmate tanguntur, cre-dētes verò per impoſitiones manuū apoſtolorum ſpiritū ſanctum eſſe accepturos ſignabat: nec deſunt qui dicant, inſtituebat, quod nos non abnuimus, non enim dominus indignè tuliſſet hanc diſci-pulorum prohibitionem, niſi ibi aliquod magnum lateret ſacra-mentū, quod poſtea nouit eccleſia, ſpiritu ſancto de cœlo ſuper diſ-cipulos in die Pentecoſtes miſſo, imò non tantum indignè tulit, verum etiam obiurgauit illos, eo quòd paruulos moleſtè ferebant, dicens: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim regnum Dei: *quid ni? virginum eſt amator Deus, humilium eſt amator Deus, ſimplices corde diligit & amplexatur Deus: omnia hæc reperiuntur in paruulis, corde car-neque puri ſunt, humiles namq; & ſimplices ſunt ſicut columbæ, natura paruulorum amabilis eſt. Hac iam ſententia, paruulos qui velint proprius accedere ad Chriſtum ſeculo renunciantes, vt approbatam ſanctæ alicuius religionis vitam agant prohibentes, dignos eſſe obiurgatione oſtendit manifeſtè dñs, cum diſcipulos reprehendit & indignè fert, paruulos qui ſibi offerebantur pro-hiberi. Dominus verò ſuæ ſententiæ rationem affert, dicens: ideo digni eſtis obiurgatione paruulos prohibētes, quoniam quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Non parum nos terret hæc ſententia, proinde enim certè eſt, ac ſi dicat dominus, quiſquis non purè, nō humiliter, non ſimpliciter conuerſatus fuerit in eccleſia militante, non intrabit in regnum gloriæ triūphantis: proh dolor, quam pauci ſunt, qui hanc paruu-lorum naturā ſectantur! quid in ſeculo cernimus hodie, niſi homi nes ſe ipſos amantes, elatos, cupidos, immundos, ſuperbos, ambi-tioſos, inobediētes, nullā prorſus puritatē, ſimplicitatē, & humi litatē præſeferētes: hæc nouerimus baſim etiā totius Chriſtianæ vitæ, videlicet, puritatē, humilitatem, ſimplicitatē: qui non recepe rint regnum Dei velut paruuli, amen inquit dominus, non in-trabunt in illud. Quid nos volumus interpretari, exponere &*

excla-

exclamare ſententiã, & hinc inde verba trahere? ſufficit, domini & Regis cælorum ſententia eſt, ipſe qui Rex eſt, ipſe quippe nouit qui ſunt Regno cælorum apti, ipſe nouit quibus ad illud peruenitur gradibus, ipſe clamat, ipſe diſcipulos arguit, dicens: Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, nõ intrabit in illud, *Hos amplexatur dominus, his manus imponit, his bñdicit, dicente euangeliſta:* Et cõplexãs eos, et imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. *Dominus fons pietatis, clementiæ & humilitatis, animas ad ſe accedentium, ſi id ſimplici faciant corde amplexatur, manus imponit, & benedicit. Amplexus enim amoris, pacis & gaudij ſignum eſt: manus impoſitio ſalutis, benedictio bonorum eſt copioſa largitio: dextera eius amplexabitur me. Gen. etiam 33. legimus, cum ſibi mutuò obuiã veniſſent Iacob & Eſau, currit Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum ſtringẽſque collũ eius, & oſculans fleuit. Amplexus itaque amoris, pacis, & gaudij eſt ſignũ: Et quis ſic diligit nos quemadmodum Chriſtus dominus, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, manus impoſitio ſalutẽ ſignificat: ſic dominus infirmis quos ſanaſſe legimus manus impoſuit: Iairus etiam Archiſynagogus dicebat, cum illi eſſet renunciata mors filiæ: Sed veni & impone manum tuam ſuper illam, & viuet. Benedictionem autẽ bonorum copioſam largitionẽ eſſe Dauid teſtis eſt, dicẽs: Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Hæc ſunt dona Chriſti quæ largitur, ad illum ſi velut paruulus quiſquis acceſſerit, conſequetur nempe amorem, pacem, & gaudium. Sic apoſtolus dicit: Regnum Dei nõ eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto: nunquam enim perfectam poterimus pacẽ habere nobiſcum, nec lætitiam, niſi ad Chriſtum dominum noſtrum accedamus, tunc fiet pax in virtute eius, & abundantia in turribus eius: tunc lætabimur, quemadmodum dicit ſponſa, Canticorum .1. Exultabimus & lætabimur in te,*

memo-

memores vberum tuorum ſuper vinum.quod Eſa.cap.9.de acceſſuris ad dominum prædixit, dicens: Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe;ſicut exultant victores capta præda quando diuidunt ſpolia.Omnes igitur curramus ad pedes Chriſti,non dimittamus eum donec benedixerit nobis,quemadmodum iſtis paruulis benedixit: accedamus itaque puri ad virginem virginis filium: accedamus humiles ad humilem,& humilis ancillæ filium: accedamus ſimplici corde ad agnum immaculatum, qui peccatum non fecit,nec dolus inuentus eſt in ore eius,quatenus ab illo amplexemur,tangamur,& benedicamur.Cui cum Patre, & Spiritu ſancto eſt honor,gloria,& imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS TERTIVS.
In X. caput beati Marci.

ET cum egreſſus eſſet in via,procurrens quidam genuflexo ante eum,rogabat eum,dicens: Magiſter bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam? Ieſus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi vnus Deus: Præcepta noſti: Ne adulteres: Ne occidas: Ne fureris: Ne falſum teſtimonium dixeris: Ne fraudem feceris: Honora patrem tuum,& matrem. At ille reſpondens,ait illi: Magiſter,hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea. Ieſus autem intuitus eum,dilexit eum,& dixit ei: Vnum tibi deeſt: Vade,quæcunque habes vende,& da pauperibus:& habebis theſaurũ in cœlo,& veni ſequere me. Qui cõtriſtatus in verbo,abijt mœrẽs: erat enim habẽs multas poſſeſſiones. Et circunſpiciens Ieſus,ait diſcipulis ſuis: Quã difficilè qui pecunias habent in regnũ Dei introibunt? Diſcipuli aũt ſtupebãt in verbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens,ait illis: Filioli, quàm difficilè eſt cõfidẽtes in pecunijs in regnũ Dei introire!

Fa-

Facilius eſt camelum per foramen acus trãſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur dicẽtes ad ſe metipſos: Et quis poteſt ſaluus fieri? Et intuẽs illos Ieſus, ait: Apud homines impoſsibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſsibilia ſunt apud Deum. *Iuuenis iſte deuotus cum diuitijs & delitijs ſuis volẽs introire in regnum cœleſte, quemadmodũ hodie faciunt multi, obſeruator nihilominus mandatorum Dei, non adulterans, non rapiens, non occidens, non detrahens proximo, quæ propria ſunt iuuentutis vitia, cum dominus de domo vbi paruulis manus impoſuerat receſsiſſet, in via illum magiſtrum bonum appellans, interrogat de ſalute ſua. Quoniam verò ille diuinitatem Ieſu nõ credebat, dominus voluit illum & diſcipulos docere velut increpans, Quid me dicis bonũ, quẽ non credis Deum?* nemo bonus niſi vnus Deus. *Qui enim habet à ſe bonitatem, & illam omnibus ſuis communicat creaturis, ille ſimpliciter dicitur bonus, cætera verò participatiuè, & ſic legimus in creatione orbis: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Fortè iſte, aliqua ſemiadulatione dixit:* Magiſter bone, *dominus qui corda omnium nouerat, reſpuit verbũ dicens:* Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi vnus Deus. Præcepta noſti: Ne adulteres: Ne occidas: Ne fureris: Ne falſum teſtimonium dixeris: Ne fraudem feceris: Honora patrem tuũ, & matrem. *Mirum eſt quare dominus ex negatiuis præceptis iſta quinque tantùm elegerit, & de affirmatiuis vnũ, nihil hic de dilectione Dei & proximi, quemadmodum alibi quærenti de mãdato magno, dixit. Exiſtimo equidem, de negatiuis hæc retuliſſe, eo quòd iuuenes ad laſciuiam & homicidia, bulliente ſanguine, & ad garriendũ procliuiores ſunt: de affirmatiuis, illud de honore parẽtum tantum dixiſſe, eo quòd filij iuuenes, parentibus ſenibus ſæpe indignantur, nec ſub eorum obedientia, vt par eſt, retinẽtur. Hæc ſecundum iuuenis diſpoſitionem, domino neceſſaria videbãtur, qui inſpector eſt cordium: ideo hæc tantummodo illi propoſuit: & qui hæc dixit, cætera etiam voluit*

luit ſubintelligi: In eodem enimuerò catalogo omnia ſimul continentur. Vel dominus illi tantummodo præcepta illa propoſuit, quæ nouerat illum adimpleſſe, vt exinde occaſionem prædicandi illi perfectionem euangelij ſumeret, fortè iuuenis non erat ita amore diuino feruens, vel proximorum neceſſitatibus ſubueniẽs, ideo cætera præcepta ſiluit. Iuuenis verò hæc omnia, magiſter inquit, obſeruaui à iuuentute mea: in hoc verbo videtur iſte iam maioris eſſe ætatis. Adoleſcentẽ illum dicit beatus Matth. cap. 19. & reſpondiſſe, hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea: exiſtimo hic iuuentutem pro infantia ſumendam eſſe, cum ipſe eſſet adoleſcẽs: hoc cum audiſſet dominus, inquit euãgeliſta, intuitus eum, dilexit eum. *Humanitatis hic aſſumptæ officiũ dominus peregit, cum illum quem ſecundum quòd Deus erat, & ſecundum quòd beatus erat optimè nouerat, ſecundum inferiorẽ portionem dilexit adoleſcentem: vel fortè, accipienda eſt iſta dilectio pro oſtenſione dilectionis, qua oculis & vultu intuimur eos quos diligimus, oculus ſcilicet mitiſſimis, & vultu placido. Cæterum cum euangeliſta ait,* dilexit eum, *vtrumque dicamus, quòd corde dilexit, & vultu exterius dilectionẽ oſtẽdit, cuius periculo cum dominus vellet occurrere ait:* Vnum tibi deeſt: Vade, quæcunq; habes vende. *Ne verò timeret poſſeſſiones relinquere, addidit,* & habebis theſaurum in cœlo, *Non mihi dico dones ſubſtantiã tuã ſed tibi, dummodo illam in loco tuto recondas, tibi manebit theſaurus tuus in cœlo reconditus, ibi poſſidebis illum,* & veni ſequere me: *O miſera cõditio noſtra, ſi illi diceret Chriſtus ſequere me, adhæreret fortè illi, dũmodo ſuam poſſideret ſubſtantiam: cæterum cum ait: vende quæcunque habes, retroceſſit, & abijt mærens: erat enim multas habens poſſeſſiones. Hi ſunt de quibus dominus dixit, non fructum ferre verbum quod audiunt, eo quòd cecidit inter ſpinas, diuitias ſeculi ſpinas dicens. Dominus diuitum periculum conſiderans, intuitus diſcipulos ait:* Quam diffi cilè qui pecunias habent in regnum Dei introibũt! *Fortibus*

ſunt irretiti funiculis diuites, laqueos diuitiarum paucis datum eſt rumpere: diſcipuli obſtupebant in verbis eius, audientes diuites excludi à regno Dei: quibus dominus diuitum duplicem diſtinxit naturam, ne videlicet ſic obſtupeſcerent, dicens: Filioli, quã difficile eſt confidẽtes in pecunijs, in regnũ Dei introire? *Iam ergo perſpicuum eſt, quibus diuitibus dominus aditum cœlorum difficilem dicat, ijs ſcilicet auaris, qui totam ſuam ſpem in diuitijs collocauerũt. Propterea videtur, & ex litera conſtat, hunc adoleſcentem nimium erga terrenam ſubſtantiam amorem habuiſſe, quoniam abijt mœrens poſtquam audiuit:* quæcũq; habes vende. *Propterea apoſtolus Paulus Thimoteum monebat, diuitibus huius ſeculi præcipere, non confidere in pecunijs: Diuitibus huius ſæculi, inquit, præcipe, non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Facilius eſt camelum. i. *funem groſſiſſimum, quo nauium anchoræ mari cõmittuntur,* per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei: *iam dominus diuitem expoſuerat, ideſt confidentem in diuitijs, non in Deo. Diſcipuli verò magis admirabãtur, & ad inuicem dicebant:* & quis poteſt ſaluus fieri? *dominus verò reſpiciẽs illos, ait:* Apud homines impoſsibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſsibilia ſunt apud Deum. *Homines confidentes in diuitijs auaros, quod eſt ſecundum apoſtolum Paulum idolorum ſeruitus, perſpicuum eſt, non poſſe quandiu auari ſunt ſaluari. Cæterum apud Deum poßibile eſt, cum ſiquidem (quemadmodum apoſtolus Thimo. dixit: præcipe diuitibus non ſperare in diuitijs, ſed in Deo) poteſt dominus corda eorum immutare, vt confidant in Deo, facilè tribuant, communicent quod habent pauperibus, vt apprehendant veram vitam: ſimile eſt, quod legitur Luc. 11. poſtquam dominus auaros phariſæos increpaſſet*

1. Thi. 6.

incre-

increpauit, addidit: Veruntamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Si diuitijs denique quis bene vtatur, eleemoſynas faciat, communicet, theſaurum in cœlo recondet, in regnum Dei introibit: ſi tamen iuſtè acquiſitæ fuerint. Et hoc eſt quod dominus ait, apud Deum, qui poteſt corda diuitum immutare, quēadmodum immutatum eſt cor Zachæi, qui domino hoſpitio ſuſcepto, ait: Ecce domine, dimidium bono- Luc.19.
rum meorum do pauperibus, & ſi quem fraudaui reddo quadruplum: Vide quid ſequitur, ait dominus, hodie domui huic ſalus facta eſt, cum apud Deum, ſcilicet, omnia poſſibilia ſint: Cui patri, cum filio domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS. IIII.
In cap. X. beati Marci.

ET poſt hæc cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te. Reſpondēs Ieſus, ait: Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrē, aut filios, aut agros, propter me, & propter euangelium, qui non accipiet centies tantū nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cū perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternā. Multi autē erunt primi nouiſsimi: & nouiſsimi primi. *Reſponſum quod dominus dedit adoleſcenti, occaſionem præſtitit beato Petro, quærendi, quid futurum eſſet apoſtolis, quandoquidem dominus dixit: Vade, quæcunque habes vende, & veni, ſequere me. Ipſi beati apoſtoli omnia reliquerant, dominum ſequebantur, quid ergo erit nobis quærunt? dominus verò non tantum illis, ſed etiā omnibus, qui illum erant ſequuturi in futurum fide & charitate, & omnia pro eius amore relicturi, quid illis dandum ſit annun-*

ciat, dicens: Centies accipiet, qui propter me, & propter Euangelium, reliquerit domum, fratres, ſorores, patrem, aut matrem, aut agros: domos pro vna domo, fratres, ſorores, pro vno fratre, vel ſorore, matres, filios & agros cum perſequutionibus. Hoc ſic factum eſt, & omni die contingit illis, qui pro Chriſto omnia deſeruerunt: quocunque illos declinare euenerit à fidelibus ſuſcipiuntur, neceſſaria illis miniſtrantur, & loco fratrum & parentum, illis ſuccedit plebs fidelis. Teſtes ſunt vſque nunc omnes religioſi viri, qui non habēt proprium in cōmuni, quibus nihil deeſt, & vniuerſus chriſtianus populus illis omnia miniſtrat, ac ſi proprijs parentibus & fratribus miniſtrarent. Quòd autem ait: cum perſecutionibus, ipſis apoſtolis perſecutiones futuras prædicat, quæ etiam viris ſpiritualibus non deſunt, iniqui enim ſemper detrahunt bonis, & aliquando etiam ſi locus detur perſequuntur, quemadmodum fecere hæretici noſtri tēporis, multos perſequentes, de vrbibus & monaſterijs ſuis expellentes, aliquos etiam occidentes. Nihil itaque deeſt domino ſeruientibus, nec etiam illis perſecutiones deſunt. Quòd autem dominus addit. Multi autem erunt primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi. ad eandem referendum eſt ſententiam: multi videlicet ex primis, quibus annunciata eſt hæc euangelica perfectio, erunt nouiſsimi. Fuerunt Iudæi nouiſsimi, qui in audiendo fuerunt primi: Ad veſperam conuertentur, & cum plenitudo gentium intrauerit, tunc Iſraël ſaluus erit: fuerunt gentium populi nouiſsimi in audiendo, & de primis in credendo. Sæpe etiam cōtingit aliquos inter nos, qui primò in pueritia vocantur, à virtutis tramite cum adoleſcunt retrocedere: quoſdam etiam qui in peccatis nutriti ſunt, conuerti ad Dominum, quemadmodum ipſe dixit phariſæis: Multi pec-
1. Corin. 10. catores præcedent vos in regno Dei. Vigilandum itaque ſemper
2. Corin. 4. eſt, quin etiam & timendum: Qui enim ſtat, inquit Apoſtolus,
Galat. 4. videat ne cadat. In fragili natura conſtituti ſumus, domos luteas habitamus, theſaurum animarum noſtrarum habemus in vaſculis

cor-

poris fictilibus, & caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, ſpiritus autẽ aduerſus carnem: hæc duo ſibi inuicem aduerſantur. Orandum igitur ſemper eſt, nec de nobis quicquam fidendum, ſed fragilitatem noſtram fortiſſimæ petræ applicare neceſſarium eſt (petra autem erat Chriſtus) ne à tot mundi ventis ventilati rapiamur: ob quam rem dominus perſecutionibus ſuos amicos conteri ſinit, vt quanto amplius ictibus inimicorum tunduntur, tanto magis in illo firmẽtur. Sicut enim quãto plus quis clauum iteratis ictibus figit, illum ſtabiliorẽ reddit: ſic quãto plus ſeruus Dei plurimis figitur perſecutionibus, fortius et firmius adhæret Chriſto: hoc eſt quod apoſtolo Paulo reſponſum eſt, cum ter rogaret dominum ne tentaretur à Sathana: ſufficit tibi Paule gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: ille verò ad noſtram doctrinam hoc ſcribens, addidit: libẽter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Itaq; plura quàm habemus, ſi terrena relinquamus & Chriſtum ſectemur, recipiemus in hoc ſeculo, & in futuro vitam æternã. In omnibus quæ dominus loquutus eſt & operatus, pauca ſunt quæ eius diuinitatem non oſtendant: omnia opera eius præſeferebant diuinitatẽ: qui enim tantum poteſt, qui tot multiplicat domos & amicos, pluſquam homo eſt: & qui ſuis prædicit, prius quàm fiãt, perſecutiones futuras, Deus eſt: qui autem promittit vitam æternã, illam à ſe habet propriam, quod ſolius Dei eſt: & cum vita æterna ſit Deum perpetuò videre, illoque frui, & in vno ſolo Deo omnia bona poſſidere, nemo hæc præſtare poteſt niſi ille, cuius hæc bonorũ aggregatio eſt propria, quod etiã ſoli Deo datũ eſt: nemo enim dat quod nõ habet, & qui aliquid dat, certum eſt illud quod donat habere. Verè nemo alius merito ſequendus eſt, niſi ille qui talia ſuis familiaribus præſtare poteſt: mundus non dat ſed accommodat: Deus quod dat verè donat, niſi nos illud noſtra culpa amittamus: dedit tibi mundus ſummam aliquam dignitatem, non illi credas, multos enim ſimiliter decepit. Attende quot habuerunt quod tibi datum eſt, & illis nõ 2. Corin. 12.

multo poſt tempore ablatum, & tunc verè cognoſces non datum tibi ſed accommodatum fuiſſe: quod tibi mundus donauit, morte appropinquante ipſe tibi dicit, redde quod accõmodaui tibi: Chriſtus verò quod præſtat, ſi tu ſponte non amittis, non repetit. Iterum, inquit diſcipulis, videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.

TRACTATVS QVINTVS.
In cap. X. beati Marci.

ERant autem in via aſcendentes Hieroſolymam, & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei ventura: Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die reſurget. Et accedunt ad eum Iacobus & Ioãnes, filij Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus vt quodcunque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis vt faciam vobis? & dixerunt: Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua. Ieſus autẽ, ait eis: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? at illi dixerunt ei: poſſumus. Ieſus autem ait eis: Calicem quidem quem ego bibo, bibetis: & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini: Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt. Et audientes decẽ: indignati ſunt de Iacobo & Ioanne. Ieſus autem vocãs eos, ait illis:

Scitis

Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum, poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt autem in vobis: ſed quicũque voluerit fieri maior, erit veſter miniſter: & quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſeruus: Nam & filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam in redemptionem pro multis. *Iam iam ſua imminente paßione, dominus Hieroſolymam aſcendit, tantoque feruore gradiebatur, vt diſcipulos omnes præcederet. Vim amoris, & patris obedientiam, in hoc ſuo progreſſu oſtendebat: tanto enim deſiderio rediméndi nos accendebatur, tantoque feruore à tyrannide diaboli mundum eripiẽdi æſtuabat, vt omnes diſcipulos ambulando præcederet: Voca nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari, prædixerat de illo Eſa. Et Dauid: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Quãto feruore currendum nobis eſt, ad perferendas paßiones pro Chriſto docemur, quantamque ſolicitudinem in iuuandis fratribus adhibere debemus erudimur. In ſui aduentus primordio, cum adhuc ſub tentorio maternorum viſcerum incluſus dominus eſſet, legimus cum feſtinatione matrem virginem, in montana abijſſe, ad Ioannem ſanctificandum: non dubitandum eſt, quin ille tunc faceret matrem ad vnum ſanctificandum feſtinare, qui nunc pro omnibus paſſurus, diſcipulos ambulando præcedebat: Quòd autem hæc præcedentia inſolita fuerit, oſtendit Euangeliſta, in eo quod dicit:* & ſtupebant, & ſequentes timebant. *non enim obſtupeſcerent, & ſequentes trepidarent diſcipuli, niſi inſolitum cernerent in Ieſu ambulando feruorem, ſi quidem magna cum feſtinatione progrediebatur. Tunc dominus, aſſumens iterum duodecim, cœpit illis futuram ſuam annuntiare paßionem, dicens:* Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus & illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interfi-

cient eum, et tertia die reſurget. *Ter legimus dominum ſecundum Marcum, diſcipulis ſuam prædixiſſe paſsionē, videlicet ſupra cap. 8. & 9. & in præſenti decimo cap. neceſſariū erat diſcipulis prædicaturis redemptionē, per Chriſtū dominū generis humani celebratam, voluntariā fuiſſe: non coactam ſed ſpontaneā, nō vi Iudæorum, ſed permiſsione diuinorum ſecretorū, intelligere: Ideo totiens repetit illis futuram paſsionē, vt ſciant oblatū fuiſſe, ſecundum Eſa. vaticiniū: Quia ipſe voluit, prout ipſe dixit Ioā. 10. Propterea me diligit pater, quia ego pono animā meam, & iterū ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Ideo etiam dominus totiēs de ſua paſsione diſcipulis loquebatur, quoniam illam ſemper præ oculis habebat. Quis autē eſt homo, qui ſi pro certo haberet in aliquo loco ſe eſſe paſſurū, cum amicis confabulando non ſæpe de hoc tractaret ſupplicio? ſic dominus humanitati indulgens, cū ſe, ſemper cerneret in diuinitatis verbo, quo ſua erat humana natura vnita paſſurū, ſæpe cum diſcipulis de ea paſſione loquebatur. Hoc audientes Iacobus & Ioānes, & iam illū proximum paſsioni attendentes, vnà cum matre, ſecundū Matth. quam ſubornarant, acceſſerunt ad Ieſum, & illa propoſuit ſecundum Matth. & illi poſt illam, ſecundum Marcū, poſtulata repetierunt, vel vnà cum matre dixerunt:* volumus, vt quodcunque petierimus, facias nobis. Quid vultis vt faciā vobis? & dixerunt: Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtrā tuam, ſedeamus in gloria tua. *Caue quicunq; es tu vir, quantūcunq; ſpiritualis, omni die celebrās, Chriſtū ſemper ſequēs, ab ambitionis, & tēporalis dominij cupiditate, vide viros iſtos apoſtolicos, eccleſiæ luminaria, ſemper Chriſti lateri adhærentes: & ecce cum illū moriturū & reſurrecturū audiunt, oēs vires exercēt, vt prima loca in eius regno obtineant. Hæc eſt ruina omnium ſpiritualium hominū, hic vermis corrodens interius probos viros, hæc ambitio omnē euertit pacem, rumpit charitatis vincula, dum ſibi arroganter cupit quod neſcit an expediat: Si hāc à ciuitatibus pellas,*

Eſa. 53. Matth. 20.

las, à regnis exulare iubeas, à te fortiter reijcias, omnia pacata erunt, omnia tibi proſperè ſuccedēt. Erant iſti beatiſſimi duo apoſtoli, ſecundū carnē dño coniuncti, filij Mariæ Salome, Deiparæ Mariæ ſemper virginis ſororis: carne igitur & ſanguine, cæteris exiſtimabant ſe apoſtolis iure antecellere. Vide eccleſiæ præſidētium periculū, omniumq́ in ſeculo poteſtatē exercentiū: Filij matris meæ pugnauerunt, inquit ſponſa in canticis, contra me: omnia ſibi iure deberi arbitrantur, opportunè, importunè poſtulāt, quod ſi non facias, ſanguinē & amicitiā negant. Vide igitur quid magiſter veritatis, quid dominus nobis agendū cum iſtis doceat: Neſcitis quid petatis: *hoc reſpōdendū eſt, chriſtiana charitate importunis cognatis & amicis cū iniuſta poſtulāt, neſcitis, inquā, quid petatis. Cæterū charitas quæ omnia ſuffert docet nos, ſi aliquando contingat, principibus quempiā errata poſtulare, illis negatis neminem à ſe quoad fieri poſſit vacuum remittere. Ille qui dicit, neſcitis quid petatis, aliud offert magnum donum, dicens: poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? paſſionis ſcilicet, & baptiſmo, quo ego baptizor, ſanguinis ſpargendi ſcilicet, baptizaris: dicunt ei poſſumus: hoc dominus illis conceſſit, dicēs:* Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: & baptiſmo, quo ego baptizor baptizabimini: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt: *Sic factum eſt, beatus Iacobus primus ex apoſtolis, pro Chriſto ſanguinem fudit, beatus Ioannes in paſſione domini lateri crucis adhærens, in corde maximum pertulit dolorem, & ſanguine Chriſti aſperſus fuit: Quin etiam in animi præparatione, ſe obtulit ad bibendam mortem, dum à Domitiano Romæ in olei feruentis dolium miſſus eſt. Nec prætereundum ſilentio eſt, quanta cum patientia, & iſti beatiſſimi apoſtoli & eorum mater repulſam à Chriſto pertulerunt, nihil prorſus amplius loquuti ſunt, nec importunitate dominum iterum interpellarunt, ſed quieti redacti, cum dixiſſet neſcitis quid petatis, obmutuerunt:*

tantū-

tantummodo vnum dixiſſe verbum legimus, oblata illis paſsione pro dextera & ſiniſtra quam petebant, poſſumus. In hoc docentur qui iniuſta poſtulant, dum eorum repellitur poſtulatio, non iterũ multiplicare verba, & importunitate velle aſſequi quod iuſtitia negat concedi. Adeſt nunc poſt ambitionẽ duorum fratrum, decem aliorũ apoſtolorũ indignatio: Natura eſt hominũ cum vident in eadem domo, ſiue regia, ſiue eccleſiaſtica, aliquẽ velle cæteris antecellere, illi inuidere & indignari, & audientes decem indignati ſunt de Iacobo & Ioanne. *Labor eſt non modicus dominis, ſi rectam volunt ſeruare iuſtitiã & æquam diſtributionis tenere lancem, pacientiam præſtare iniuſta poſtulantibus & indignãtibus, & docere prudenter vtroſq́: vnde ſequitur,* Ieſus autẽ vocãs *eos, decem ſcilicet, qui ægrè tulerunt petitionẽ Iacobi & Ioãnis,* ait illis: Scitis quia hi qui videtur principari gẽtibus, dominãtur eis: & principes eorũ poteſtatẽ habent ipſorũ. Non ita eſt autẽ in vobis: *hoc eſt, nõ eſt iſta apoſtolica cõditio, nec hoc veſtræ vocationis eſt munus. Nõ enim eccleſiaſtica Reſpublica eadẽ eſt cum ſeculari, nec ſequitur eius iura: alia nẽpe prorſus eſt longè ab illa diſtans, quantũ cœlũ ipſum à terra: Inter gentes principes dominantur, inter vos qui voluerit eſſe maior, erit veſter miniſter: & qui voluerit primus eſſe, erit omniũ ſeruus. Hæc eſt lex prælatorum, profectui animarum inſeruire, omnes neruos pro ſalute animarum intendere, omnem ſuam ſubſtantiam, ſi opus fuerit, indigentibus erogare, humiles eſſe, modeſtos, quietos, manſuetos, hoſpitales: cum omni pacientia corripiẽtes eos, qui reſiſtunt veritati, & oẽs actiones ſuas, etiam ipſos carceres in ſalutẽ & profectum animarũ dirigere. Non enim baculo percutit paſtor ouem vt occidat, ſed vt reuocet: neq; enim ſceptra tenentur in eccleſia ad ſuperbiã, ſed ad luporũ arcendã rabiẽ. Non ſicut dominantes in cleris, inquit beatus Petrus, ſed forma facti gregis ex aĩo: Quod vt noueritis, inquit Chriſtus dominus, ſic à vobis eſſe peragendũ: Ego qui dominus ſum cœli & terræ, non veni miniſtrari, prout*

vos

vos ipſi teſtes eſtis, ſed miniſtrare: nam, *inquit,* & filius hominis non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam in redemptionem pro multis. *Si igitur Dei filius in mundum veniens, voluit in humilitate conuerſari, nos quibus eius vita inſtructio eſt, non debemus in Dei eccleſia velle dominari, ſed ſeruire, & omnibus vndequaq; proficere, & dare ſubſtantiam noſtram in alimentum multis pauperibus, quando pro illis vitam non damus, quam etiam ſi oportuerit præſtare, paratam debemus ſemper habere: hoc eſt prælatorum officiũ, hoc diſcipulorum Chriſti mandatum, hæc lex noſtra, iſta ſunt noſtrarum dignitatum iura, quæ ſi obſeruauerimus beati erimus, ſi verò non obſeruauerimus, agnum humilem habemus iudicem, qui hæc omnia à nobis ſecundum ſuum ſacroſanctum Euangelium, reddenda curabit. Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, in æternum. Amen.*

TRACTATVS. VI.
In cap. X. beati Marci.

ET veniunt Hierico: & proficiſcente eo de Hierico, & diſcipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, ſedebat iuxta viã mendicans. Qui cum audiſſet, quia Ieſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et comminabantur ei multi vt taceret, at ille multò magis clamabat: fili Dauid, miſerere mei. Et ſtans Ieſus, præcepit illum vocari: Et vocant cæcũ, dicẽtes ei. Animæquior eſto, ſurge, vocat te. Qui proiecto veſtimẽto ſuo, exiliẽs, venit ad eũ. Et reſpondẽs Ieſus, dixit illi: Quid tibi vis faciam? cæcus autem dixit ei: Rabboni vt videam. Ieſus autẽ, ait illi: Vade, fides tua te ſaluũ fecit. Et cõfeſtim vidit, & ſequebatur eũ in via. *Quòd autẽ beatus Matth. in receſſu à Hierico narrat,* Matth. 20.

duos

duos fuiſſe cæcos illuminatos, Marcus verò hũc Bartimæum tantum nominat, ſic accipiendum eſt, quemadmodum cætera quæ beati Euangeliſtæ narrant diuerſa, nunquam tamen contraria. Hic Bartimæus ideo nominatur à Marco, quoniam aliquãdo ipſum, vel patrẽ eius, cuius etiã nomen exprimitur, diuites fuiſſe exiſtimandum arbitror, & in præſentem, quam patiebatur miſeriam deueniſſe Bartimæum, vt neceſſitate compulſus ad mendicandum conſediſſet: Vel fortè quia alicuius artis pater artifex fuerat induſtrioſus, ſolent enim in ciuitatibus nomen habere, quicunq; in ſua arte rari artifices reperiuntur, hunc tantummodo ponit Mar. tacet proinde alterum, eo quòd obſcurus erat: vel fortè à beato Petro, cuius diſcipulus fuit beatus Marcus, hunc tantũ in receſſu à Hierico audiuit narrante, propter nominis in Hierico huius Bartimæi vulgatam notitiam. Cæpit igitur, cum reſciuiſſet dominum inde præterire, clamare: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. *Omnes ab iſto cæco illuminamur, quando per ipſa verba ſaluatorem, quod ſolius Dei eſt, & ſecundum humanitatem filium Dauid appellat. Docemur etiam eius exemplo dominũ interpellare, non ſemel, nec tacita tantũ oratione, ſed clamoroſa, ſi opus eſt voce. Turba verò ſuo fungitur officio, quod eſt comprimere neceſſitate laborãtes, et retrahere ab oratione ſtudioſas animas: non enimuero, inquit, pauci, ſed multi de turba comminabantur illi vt taceret, ipſe verò intus illuminatus, quo lumine illum comminantes fortè carebant, quo magis comminabantur, eo amplius clamabat, Fili Dauid miſerere mei. Quo magis nos ab oratione retrahere turba conatur, eo magis clamare debemus ad dominum: quo nos magis hæreticorum populi à laude diuina ceſſare nituntur, nos è contrario cum Bartimæo vocem debemus ad Chriſtum leuare, & pſallere nomini eius altiſsimo: miſericordiæ fons nõ aſpernatur pauperum preces, verum etiam ſubſiſtit in via, & præcepit illum ad ſe adduci: non defuerunt qui illum animæquiorem redderent, & vocarent, non deſunt vnquam, ſi volumus,*

aliqui

aliqui viri probi & deuoti, qui perſtrepente turba nos adducant ad Ieſum: Dominus verò interrogat, quid ab ipſo excelſis clamoribus expoſtulet? ſciebat enim dominus quid illi opus erat, veruntamen vt nos doceret, etiamſi nouerit quid nobis opus eſt, neceſſarium eſſe ea quæ nobis vtilia ſunt ab ipſo oratione etiam vocali, & clamoroſa poſtulare: quemadmodum benè à ſuo ſponſo edocta ſacroſancta facit mater eccleſia, dum populum præcipit conuenire, & clerum, omnesque procedentes à domino neceſſariam poſtulant ſibi concedi pacem, ſalutem vel quid huiuſmodi: cui etiam pro accepto munere eodem modo referunt gratias. Cæcus Bartimæus, egeſtatu oblitus ſolam optabat ſalutem, domine vt videam: *hoc ſemper à nobis petendum eſt, domine vt videam: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Simile etiam eſt illud: doce me facere volũtatem tuam, quia Deus meus es tu: Dominus autem ait illi:* fides tua te ſaluum fecit. *hæc domino dicente, confeſtim uidit, & ſequebatur eum in via: cum enim à domino poſtulata recipimus, oportet in via, dũ ſcilicet viuimus, quia viatores ſumus, domino adhærere, & illum deinceps non dimittere, neque beneficij accepti eſſe immemores, ſed ſemper eius perficere voluntatem, & obſeruare præcepta, donec perueniamus ad vitam, in qua ipſe cum patre & ſpiritu ſancto, viuit & regnat, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Tra-

In cap. X I. beati Marci.

ET cum appropinquarẽt Hieroſolymæ & Bethaniæ ad montem oliuarum, mittit duos ex diſcipulis ſuis, & ait illis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim introëuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominũ ſedit: ſoluite illum, & adducite. Et ſi quis vobis dixerit, Quid facitis? dicite, quia domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc. Et abeuntes, inuenerunt pullum ligatum ante ianuã foris in biuio: & ſoluunt eum. Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis, ſoluentes pullum? Qui dixerunt eis, ſicut præceperat illis Ieſus: & dimiſerunt eis. Et duxerunt pullum ad Ieſum, & imponunt illi veſtimẽta ſua, & ſedit ſuper eũ. Multi autem veſtimenta ſua ſtrauerunt in via: alij autem frondes cædebãt de arboribus, & ſternebant in via. Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabãt dicentes: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine domini: benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, Hoſanna in excelſis. *Diſtat à Hieroſolyma Bethania per milliaria tria, prout Deo reddantur gratiæ ingentes, proprijs oculis proſpeximus, & pedibus calcauimus, dum ad adoranda illa ſacra loca, in quibus dominus noſtram dignatus eſt operari ſalutem, finito Concilio Tridentino, cui adfuimus, cum licentia ſanctiſsimi domini noſtri Pij iiij. illuc peruenimus. Mons oliuarum diſtat per milliare à Hieroſolymis. Bethphage, quæ quondam fuit ſacerdotum pagus, vbi aliqua pecora paſcebãtur pro ſacrificijs iugibus, eſt fermè in medio itineris inter Hieroſolymam & Bethaniam, & eſt in vltima parte montis Olineti verſus Bethaniam, quam dominus pertranſiuit veniens à Hierico. Itaque domino exiſtente in illa parte montis Oli-*

Oliuarum, quæ erat prima venientibus Hierico, appropinquabat Hieroſolymæ, et Bethaniæ, tantum fermè diſtabat à Hieruſalem quantum à Bethania: ex illo loco vbi ſacerdotes pagum illum pro pecoribus iugibus ſacrificijs paſcẽdis elegerãt, mittit duos ex diſcipulis ſuis: ſocietas bona, ſe inuicem iuuat, & melius eſt cum probo ſocio pergere, quàm ſolus perigrinari: morem futurum religioſorum ſanctorum dominus approbat, tum etiam quando miſit ſeptuaginta duos binos, ſecundum Luc. in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus. Chriſtus dominus omnia quæ futura erant tanquam Deus præuidens, & ſecundum ſuperiorem animæ portionem, qua beatus erat, omnia etiam quæ ſunt in potentia creaturæ noſcens, duos mittit ad hoc myſterium celebrandum diſcipulos: Etiam ad vltimũ paſcha parandum duos mittit, Petrum ſcilicet & Ioannẽ, in caſtellũ quod contra vos eſt, *ait: quoniam à bethphage illo tempore ſummitas Hieroſolymitanæ arcus cernebatur, hodie verò nihil inde cernitur, quouſquè perueniatur per latus montis Oliueti, quæ eſt via per quam dominus in iſta die inceſſit, è regione ſupercilij ipſius Olueti montis à quo dominus aſcendit in cœlum,* & ſtatim introeũtes illuc inuenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: ſoluite illum, & adducite. *Meminerimus beatum Marcum Romæ ſcripſiſſe euangelium: tacet aſinam, ſolam mentionem pulli faciens,* ſuper quẽ nemo hominum ſedit: *populum gẽtium ſignificans, qui nullum hominem ſuper ſe adhuc cognouerat, ſolum diabolum principem nouerat, hic ſuper illũ ſedebat, huic Roma & Italia ſubiecta erat. Iſte populus neceſſarius erat dño, quãdo in propria venit, & ſui eum non receperũt: hic adducẽdus erat per manus apoſtolorũ, quorum prædicatione conuerſus eſt. Poſtula à me dixit Spiritus ſanctus per os Dauid Meſſiæ, Chriſto ſcilicet domino, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuã terminos terræ. Et alibi: eripies me de contradictionibus populi, Iudæorum ſcilicet, conſtitues me in caput gentiũ. & Eſa. Dedi*

Luc. 10. Pſal. 2. Pſal. 17. Eſa. 49.

Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Abeuntes igitur diſcipuli inuenerũt ligatum pullum: nota quòd pullus ligatus erat: & nemo hominũ ſuper illum ſederat: ligatus erat populus gentium funibus idolorum quibus inſeruiebat, & nullus homo, hoc eſt nulla ratiõe regebatur, ideo nullus homo ſuper illũ adhuc ſederat, cum ſoluerent pullũ quibus danda erat poteſtas ligandi & ſoluendi, qui aderant dixerunt illis: Quid facitis ſoluentes pullum? *contradicuntur apoſtoli dum prædicant, nihilominus conuertitur populus gentium: diſcipuli verba domini retulerunt, dicẽtes:* Quia domino neceſſarius eſt. *Verè neceſſarius erat domino populus gentium, ad congregandam eccleſiam ſuam, etiam ſi Deus nullius eget: Quando autem dignatus eſt ſua ſola gratia & miſericordia venire ad nos, domino neceſſarius fuit pullus, vt multi ex eis ſaluarentur: Adducto pullo poſuere deſuper veſtimenta ſua apoſtoli, qui corpora ſua cruciatibus expoſituri erant & morti, vt dominus aſcenderet ſuper hunc noſtrum gẽtium populum. Multi Iudæorum ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, quoniã multi etiã ex ipſis erant credituri, multi & corpora ſupplitijs expoſituri, ſicut beat. Stephanus primus martyr, et alij quã plurimi illius Iudaici populi ſancti. Alij ramos de arboribus cædebãt, quandoquidem conuerſi Iudæorum Hieroſolymis primi fuere, qui omnem vendentes ſubſtantiam, & pretium ad pedes apoſtolorum proijcientes, in communi vixerunt,* qui præibant, & qui ſequebantur, *diuino afflati ſpiritu,* clamabant dicentes: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine domini, benedictũ quod venit regnũ patris noſtri Dauid, Hoſanna in excelſis. *Non tantum à turba ſequẽte dominum apoſtolorũ, martyrum & aliorum credentium, diuinitas Ieſu annuntiatur & acclamatur, ſed etiam à ſanctis patriarchis & prophetis, qui eius ſacratiſſimum aduentum præuenerunt: quidam ênigmatibus ab Adam vſque ad Moyſen: Ille dum ſoporatur è coſta eius educitur Eua, à Chriſto domino in cruce defuncto, ex eius latere fabricatur eccle*

eccleſia. Ille ſub ligni vitæ arbore abſconditur, dum audit Deum in paradiſo ambulantem, nos in crucis arbore vitam inuenimus: Occiditur iuſtus Abel ab iniquo fratre Cain: traditur Chriſtus dominus à fratre, populo videlicet Iudæorum, gentibus occidendus. Noë in arca omne ſaluat ſemen, quæ ex latere deorſum feneſtram habet: ex latere Chriſti ſacramenta fluunt eccleſiæ: in arca tantum qui ingrediuntur ſaluantur: in eccleſia tantummodo eſt ſalus, qui ſunt extra, omnes pereunt. Abraham offert filium in holocauſtum, immolatur aries, viuit Iſaac: ſacrificatur Chriſtus filius Dei, diuinitas verò eius ſemper viuit, nec ſeparatur à patre, humanitas patitur & reſurgit. Moyſes omnia in virga operatur, & coram Pharaone & in deſerto: cruce noſtra ſalus eſt peracta. Agnum immolat Moyſes, cuius ſanguine tingitur ianuæ ſuperliminare & poſtis vterque: Chriſtum immolant Iudæi, cuius ſanguine fidelium animæ conſecrantur. poſtquam autem populus ingreſſus promiſsionis terram immolare incepit, & oïa penè, prout beatus apoſtolus Paulus dicit, in lege ſanguine mundātur, & ſine ſanguinis effuſione nō fit remiſsio: omnia nempe Chriſti ſanguine mundata ſunt, vt poſsimus ad cœleſtem patriā peruenire. Deficeret me tempus, ſi omnia quæ ſcripta ſunt de Chriſto domino in prophetis & pſalmis enarrare vellē: ſufficit illa quam adducit beatus Matth. ex Zacharia prophetia, hunc ingreſſum in Hieruſalem Meſsiæ expectati prædicens: Exulta ſatu filia Syon, iubila filia Hieruſalem, ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Turba igitur quæ præcedebat dominum, illum regem & ſaluatorem in excelſis clamabat, quæ autem ſequebatur, nos ſcilicet etiam clamamus, Hoſanna in excelſis, ideſt, ſalua obſecro rex æterne, ſalua nos in excelſis, vbi cum patre & ſpiritu ſancto, viuis & regnas, in ſeculorum ſecula. Amen. Zach. 9.

N Tra-

TRACTATVS. II.

In cap. XI. beati Marci.

ET introiuit Hieroſolymam in templum, & circunſpectis omnibus cum iam veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cum duodecim. Et alia die cum exirent à Bethania, eſurijt. Cúmque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit, ſi quid fortè inueniret in ea. Et cum veniſſet ad eã, nihil inuenit, præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et reſpondẽs, dixit ei: iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebãt diſcipuli eius. Et veniunt iterum Hieroſolymam: & cum introiſſet in templum, cœpit eijcere vendentes, & ementes in templo, & menſas nũmulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & non ſinebat vt quiſquam transferret vas per templum, & docebat, dicẽs eis: Non ne ſcriptũ eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum: Quo audito principes ſacerdotũ, & ſcribæ quærebant, quomodo eum perderent: timebant enim eum, quia vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius. *Cum illa pompa & populo acclamante dominus Hieroſolymam ingreſſus, aſcendit in templum, præfigurans quanto cum triumpho ingreſſurus eſſet in cœlũ deuicta morte, proſtratoq́ dæmone, & mundo calcato, quanta etiam cum alacritate eius aduentum eccleſia gentium ſuſceptura erat: omnibusq́ circunſpectis, ac ſi eis vale diceret, cum eſſet veſpera exijt in Bethaniam cum duodecim, circũſpexit templi altare, ſancta ſanctorum, ſtructuram lapidum & omnia vaſa templi, quæ omnia figura erant ſui ſanctiſſimi aduẽtus, & ſuæ ſanctæ paſſionis, noſtræq́; redemptionis: videbat ſe in figura immolari in altari, conſiderabat ſe mori, & ſanguinem ſuum effuſurum in morte agnorum qui*

ſacri-

ſacrificandi erant, cognoſcebat ſe ingreſſurum ſemel in ſancta, æterna redemptione inuēta. Et cum iam pauci ſupereſſent dies, quibus ſe oblaturus erat, omnia oculis corporis attentè circunſpiciebat: In hoc nobis cōmendatur templa frequentare, & omnia quæ ibi pro noſtra ſalute peraguntur attentè animaduertere, & cum circunſpectione proſpicere, & conſpecta corde tractare. Non deſunt qui corpore templum ingrediuntur, corde verò manent in foro: qui templum ingreditur, in templum totū oportet introire, quemadmodū & corpore, ita & animo & corde. Qui enim aulā ingreditur regis, vbi ipſe rex ſedet, totus adeſt, omnia conſiderat, & cum omni circunſpectione compoſitus loquitur, aſtat, mouetur, poſtulat: ſic reuera multo magis compoſitus, modeſtus & circunſpectus in eccleſia omnis debet adeſſe catholicus. Et cum iam veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cū duodecim. *Non enim properanter debemus conſedere in eccleſia, ſed expectandum eſt quouſq; res diuina peragatur, & ſacrificium altiſsimū corporis & ſanguinis domini, ſolemniter pro omnibus perficiatur, tunc hora competenti recedendum eſt, cum omni populo Dei. In Bethania dominus apud beatam hoſpitabatur Martam, virginem puram, ſororem Lazari et Mariæ Magdalenæ: Extant adhuc veteris hoſpitij fundamenta. Oppidum Bethania fuit non minimum, mille, prout oſtendunt eius ruinæ, poterat domos continere, erat non longè à Hieruſalem, vt ſuperiori retulimus tractatu: viri illius loci pacifici: domina loci Marta piiſſima virgo, ibi dominus paululum quieſcebat ſequeſtratus ab illo tumultu principum ſacerdotum, phariſæorum, ſcribarum & ſeniorum Hieruſalem. Alia verò die, hæc eſt feria. 2. poſt dominicam palmarum, iterum dominus eſt reuerſus in Hieruſalem manè, & quæſiuit fructum in ficulnea eſuriens, quem non inueniens fico maledixit: Notum erat domino ficum non poſſe habere fructum, in menſis Martij vigeſimo die, nihilominus voluit exemplū apoſtolis dare principum ſacerdotum, ſcribarum & phariſæorum & ſeniorum*

Hieruſalem,qui ſine fructu bonorum operum viuentes,quem dominus ſæpè requiſierat, maledicto proximi erant,ex quibus in ſempiternum fructus non naſcerentur. Aruit continuò ficulnea, maledicente domino:quomodo enim non areſcet qui maledicitur à creatore? diſcipuli verò rem cōſiderabant,nunquam enim Dei opera ſine conſideratione à nobis conſpicienda ſunt. Ingreſſus verò templum,cœpit eijcere vendentes & ementes,& cathedras vendentium columbas euertit,nec vas permittebat per templum duci,& dicebat illud Eſa.56. Domus mea domus orationis vocabitur,cunctis populis. illud quod ſequitur:vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum,legitur Hier.7. Nunquid ergo, inquit ſpelunca latronum facta eſt domus iſta,in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Re vera magnum fuit peccatum principū ſacerdotum, ſcribarum & phariſæorum,quando dominus in figura illorum fico non habenti fructum maledixit,quæ radicitus aruit: inſuper, omnibus è templo eiectis,qui vendebant & emebant ea,quæ ſacrificijs illius temporis erant opportuna,domum orationis eſſe dicit redactam in latronum ſpeluncam. Timeant noſtri temporis ſacerdotū principes, circunſpectè negotia templi Dei peragant,ne fortè dicatur nobis,negotijs ad terram deiectis: Domus mea,domus orationis vocabitur omnibus gētibus, vos autē feciſtis eam ſpeluncam latronū. *Attendamus igitur omnes,nulla licere negotia peragi in templo, niſi ea ad quæ cōſtitutum eſt,quando dominus nec vas ſinebat transferri à porta in portam per templum: non deniq; fabulationes,contractus & cætera huiuſmodi in templo ſunt facienda,orationis locus eſt,ſacrificijs offerendis dicatus,& diuinis officijs perficiendis conſecratus: Magna locus ſacris reuerentia ab omnibus eſt exhibenda, cum dominus quidquid negotij reperit in templo eiecit & ſubuertit. Admiratur turba ſuper doctrina eius,& quærunt principes ſacerdotum & ſcribæ, quomodo eum perdant: non poterant ſuſtinere à ſua nequitia argui, viſum eſt illis iam ſecurim poſitā*

eſſe

eſſe ad radicem ſuæ cupiditatis, cum viderent dominum templum ingreſſum eijcere, & euertere quæ ipſi in templo agenda cenſebant. Cumque illos ex prophetis confunderet, dicēs: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum: timuerāt ne fortè ipſe vellet templum reformare, ſeq; eijciendos eſſe, & alios ſuo loco ſufficiendos: Dixerunt impij, apud ſe non rectè cogitantes, venite circūueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & cōtrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Miſeri qui noluerunt domini conſilium capere, & eius doctrinam attendere, omnes vſque hodie, & vſque in finem ſeculi diſperſi, facti ſunt opprobrium omnibus nationibus. Nos igitur præceptis domini parentes, nihil in templo faciamus quod eius oculis diſpliceat, ne omnibus eiectis negotijs, alios ſeruos meliores nobis, dominus loco noſtro in ſuo ſancto templo conſtituat. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen. Sapiēt. 2.

TRACTATVS. III.

In cap. XI. beati Marci.

ET cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate. Et cùm manè tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. Et reſpondens Ieſus, ait illis: Habete fidem Dei: Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare: & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid

habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra: Quòd ſi vos nõ dimiſeritis, nec pater veſter, qui in cœlis eſt dimittet vobis peccata veſtra. *Non habet hoſpitium dominus in Hieruſalem, propter peccata ſacerdotum eius & principum eius*. Cum veſpera facta eſſet egrediebatur de ciuitate, *in Bethaniã ſcilicet, vbi hoſpitabatur apud puram virginem Martam:* & cum manè tranſirent: *venientes, intelligendum eſt, de Bethania in Hieruſalem, prout dicitur inferius, & veniunt rurſus Hieruſalem: ibi vidimus locum vbi aruit ficulnea, extant aliæ ficulneæ ibi: apta eſt terra ad ficulneas producendas. Cum igitur manè tranſirent, hoc eſt, reuerterentur Hieroſolymam, feria. 3. poſt dominicam palmarum, viderunt ficulneam aridam à radicibus, cui maledixit dominus,* & recordatus Petrus, *maledictionis ſcilicet diei præteritæ, dixit ei:* Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit: *Miratus eſt Petrus (quoniam dominus dixerat: iam nõ amplius in æternum ex te quiſquã fructum manducet) quia ficulnea aruit: poterat enim infructuoſa manere, abſque eo quòd marceſceret, ideo Petrus retulit domino, quia fortè oculis corporis non in illam partem proſpexerat cũ per viam tranſiret: Erat enim ficulnea non longè à Bethfage, ad ſiniſtram partem venientibus à Bethania in Hieruſalem: eſt etiã maceries inter viam & locum vbi erat ficulnea, & nũc ſunt aliæ ficulneæ ibi: quomodo poterit ſtare locus cui maledixerit dominus? qui reſpondens, ait:* Habete fidem Dei: amen dico vobis quia quicunque dixerit huic monti, *eſt enim ibi mons paruulus à tergo montis oliueti, & quædam planicies parua, quæ etiam in modum vallis deſcendit, per poſteriorem partem montis Oliueti, de illo igitur monte iuxta quem erat ficulnea, videtur dominus dicere:* huic monti, tollere, & mittere in mare, *quod diſtat ab illo loco milliaribus quadraginta duobus:* & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat: fiet ei. *Hîc* 1. Corin. 14. *accipienda eſt fides, gratia gratis data, de qua apoſtolus dixit: alia*

fides

ſides in eodem ſpiritu, alia eſt fides virtus theologica, qua credimus in Deum, hæc autem fides eſt quæ operatur miracula, quæ aliquando cum gratia comitatur hominem, aliquando verò poſſunt abſque gratia miracula fieri, ex dono Dei & ipſius operantis confidentia: de hac dixit dominus Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die, domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: diſcedite à me oẽs qui operamini iniquitatẽ. Hæc autem fides gratia gratis data, vel alia fides virtus (de qua apoſtolus ait: nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas: quam alibi definiuit eſſe ſperandarum rerum ſubſtantiam, argumentum non apparentium) ſine operibus non ſaluat hominem: propterea dominus addit, narratis miraculis ab illis perpatratis, non noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Configuntur hoc verbo hæretici, qui ſibi de folijs verborum viridantium gloriantur, volentes fidem mortuam ſine animæ gratia, ſine facti operatione, poſſe ſufficere ad ſalutem. audiant dominum ficulneæ folijs abundanti, quia fructu carebat maledicentem: audiẽt & illum malo ſuo dicentem, cum illis extrema moriendi venerit dies, non noui vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Fides igitur hæc, qua miracula perpatrantur eſt, in Deo confidentia videlicet ſpecialis, qua quis non hæſitat, neceſſitate imminente: nam aliàs eſſet irridere ſeipſum inuocantem, quia Deus non irridetur. Quòd autem neceſſitate imminente, de trãſferendo monte dominus dicit, apoſtolus Paulus exponit fieri poſſe à non habente charitatẽ, ſed facienti non proficere: Et ſi habuero, inquit, omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum. Cogita quomodo dicit omnem fidem, videlicet & illam qua credimus Deum, & iſtam confidentem fidem gratiam gratis datam, qua etiam à malis fidelibus miracula fiunt aliquando, 1. Corin. 13.

do, prout adductum eſt ex Matth. cap. 7. propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis: *Qui dicit orantem, præmittere intendit orationem, quæ vt pura ſit multa exigit, ex quibus eſt confidentia impetrandi, de hac prophetauit Dauid: Benedictus Deus qui nō amouit orationem meam & miſericordiam ſuam à me. Cùm oratio cōtinuatur miſericordia impetratur, & beatus Iacobus apoſtolus*
Cap. 1. *cap. 1. inquit: Si quis autē veſtrū indiget ſapiētia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei, poſtulet autem in fide, nihil hæſitans: qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur. Omnis igitur iuſta poſtulatio fidem exigit, qua per miſericordiā Dei confidat, quod poſtulat impetraturum: ſunt multa quæ non impetrantur, eo quod non ſunt nobis commoda: quomodo dabit pater filio petenti panem lapidem? petenti ouum porriget ſcorpionē? Sic ſæpe accidit nociuum nobis futurū quod petimus, & ideo nō impetramus. Qui vult votum ſuum non eſſe irritum, nec vacuam poſtulationem, poſtulet in fide non hæſitans: Cæternum addat, ſi Deo placitum fuerit, quoniam mundam dominus vult orationem. Sequitur:* Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquē vt pater veſter, qui in cœlis eſt dimittat vobis peccata veſtra. *In his autē verbis oſtendit dominus præcipuam noſtram orationem, ad veniam peccatorum impetrandam dirigi debere: qui enim vult dimitti ſibi à Deo, dimittat & ipſe ſibi illatā iniuriam: nempe qua fronte quis, ad regem offenſum veniam impetraturus accedit, qui noluit parere Regi imperanti, dimittere conſorti? Ea igitur de cauſa dominus tantopere nobis remiſſionem illatæ iniuriæ commendat, vt poſſimus & nos à Deo noſtrorum impetrare veniam dilictorum.* Quod ſi non demiſeritis, nec pater veſter qui in cœlis eſt dimittet vobis peccata veſtra. *Si parum videtur, cum ſtamus ad orandum dimittere vt impetre-*

petremus, non parum videatur quod ſequitur: Si non dimiſeritis nec pater veſter dimittet vobis: eadem menſura remetietur nobis in qua menſi fuerimus. Magna igitur ex parte, in poteſtate noſtra eſt noſtrorum remiſſio delictorum, cùm ſi dimiſerimus, dimittentur nobis peccata noſtra à patre, & filio & ſpiritu ſancto, tribus honor vnus, & gloria vna. Amen.

TRACTATVS IIII.

In cap. XI. beati Marci.

ET veniunt rurſus Hieroſolymam. Et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores, & dicũt ei: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, vt iſta facias? Ieſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo ego vos vnum verbum, & reſpondete mihi, & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam. Baptiſmus Ioãnis de cœlo erat, an ex hominibus. Reſpondete mihi. At illi cogitabãt ſecum, dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidiſtis ei? Si dixerimus ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioannem, quia verè propheta eſſet. Et reſpondentes, dicunt Ieſu: Neſcimus. Et reſpondens Ieſus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam. *Rurſus, eadem ſcilicet die feria. 3. poſt dominicã palmarum, quando Petrus dixit: Rabbi, ficulnea cui maledixiſti, radicitus aruit, tunc enim dominus à Bethania veniebat in Hieruſalem, & in via dixit illi Petrus de ficulnea: iſta eſt dies qua rurſus aſcendit dominus templum. Quiſquis quæris Ieſum, in templo illum reperies: recordare quod cùm annum ageret*

duo-

duodecimum, mater eius illum aliò reperire non potuit, poſt triduum inuenit eum in templo in medio doctorum, audientem & interrogantem illos, cui cum diceret: fili quid feciſti nobis ſic, dolentes quærebamus te? reſpondit: Et quid eſt quòd me quærebatis, neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? In templo igitur futurum erat, vt dominus ſemper in altaris ſacramento adeſſet, ideo in templo ſemper inuenitur, domus eius eſt, aula Dei eſt, in qua eius corpus ſanctiſſimum in conſecrata hoſtia continetur & obſeruatur: In templo enimuerò videtur habere aliquam ſpecialem oratio efficaciã impetrãdi, in templo omnis qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulſanti aperitur: & eam ob rẽ magnis neceſſitatibus populo oppreſſo, omnes ad eccleſias dño dicatas confugimus, ibi preces, ſupplicationesque fundimus. Et cum ambularet in templo, *erat in porticu Salomonis deambulatorium ante templum, quemadmodum & in ingreſſu noſtrarum eccleſiarum fermè eſt deambulatorium aliquod,* accedunt ad eũ ſummi ſacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores, *non vt credant, ſed vt cum indignatione interrogent,* & dicunt ei: in qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, *ac ſi dicerent: dic nobis an à te ipſo hanc ſumpſeris poteſtatem, an aliquis alius tibi illam conceſſerit? miſeri: Poteſtas eius, poteſtas æterna, dixit Daniel, & regnum eius non corrumpetur, ſiquidem terrenũ nõ eſt quod poſſit deficere. Meſsiæ quẽ expectabatis poteſtatẽ, nõne ſcriptũ eſt æternã futurã? poteſtas eius, poteſtas æterna: Quando ab Herode requiſiti fuiſtis, eius ſacratiſſimã natiuitatẽ nunciantibus vobis orientalibus regibus, nõne reſpõdiſtis ex Michæa,* Michæ. 5. *Tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dominator in Iſraël, & dies eius ab initio æternitatis: Hoc ſiquidem verbum Herodi non manifeſtaſtis, ſed dixiſtis: exiet dux qui regat populum meum Iſraël. nonne vidiſtis populum cum palmis obuiam exiiſſe illi nudius tertius?*

nõne

nõne audiſtis vocem clamantiũ, Rex Iſraël: Hoſanna in excelſis? nonne vidiſtis Lazarum nobilem virum ex veſtris Bethaniæ ſepultum, diem quartam iam in monumento habẽtem, à morte reuocatum? nonne illum cernitis ambulantem, manducantem & viuentem, & vobiſcum, quemadmodum priuſquàm moreretur, loquentem & conuerſantem? nonne iſta poteſtas, poteſtas æterna eſt? quare non cernitis, hunc veſtrum & omnium eſſe in lege promiſſum Meſsiam, Deum verum de Deo vero? nonne Nicodemus veſter illi dixit (cum nocte propter metum veſtri ad eum veniſſet) Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter, nemo poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo? Viſis tot mirabilibus, nunc nouiter quæritis, in qua poteſtate hæc facis? neque deſunt apud nos, qui & ſi non fide, hoc iniquis factis quærant: qui enim ſe profitetur chriſtianum, & id tantummodo verbis oſtendit & factis negat, nõ longè abeſt ab his malignis, qui legem non ignorantes, & opera Chriſti videntes, nunc nouiter ſe hæſitare ſimulant, quærentes: in qua poteſtate hæc facis? Sapientia patris, cui nemo obſiſtere poteſt, vnico verbo in eos iacula torſit: Interrogabo ego vos vnum verbum: reſpondete mihi, & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia contra dominum, hoc eſt, ſi mihi reſponderitis, ego dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam:* Baptiſmus, *inquit,* Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus? *id eſt, erat à Deo datus Ioanni, an fuit ab homine illa ablutio inuenta? ſi vellent veritati non obſiſtere, reſpondendum erat de cœlo, tunc dominus poterat inferre: & Ioannes me Meſsiam prædicauit, & Dei filiũ, igitur in poteſtate æterna, tanquã Deus & veſter Meſsias hæc facio. Atqui illi verſipelles malæ vulpes, lupi rapaces, Deo increduli, ſecũ voluẽtes reſponſum, dicebãt interſe cogitantes: ſi dixerimus de cœlo, arguet nos proculdubio dicẽs:* Quare ergo nõ crediſtis ei? *ecce habes ſummos ſacerdotes, ſcribas & ſeniores Iſraël, Ioanni non credidiſſe: traditi erant iã iſti, demerentibus nefandis*

ſuis

ſuis delictis, in reprobum ſenſum, & neque Ioanni crediderunt neque domino: Si dixerimus ex hominibus, populus inſurget in nos. Monſtruoſum præbent reſponſum, dicentes: Neſcimus. *O omni malitia peruerſi! quis ergo docturus eſt legẽ, ſi vos ſacerdotes ſummi & legis doctores, fatemini neſcire baptiſmus Ioannis vnde ſit? non ne apud vos lex eſt, non ne & prophetæ, non ne prophetatum eſt, præconem præuenire regem, & præcurſorem Meſsiam? quid eſt quòd impudenter reſpondiſtis, neſcimus? qui enim dicit ſe neſcire legem præcurſoris, amodo nec fatebitur ſe ſcire legem Meſsiæ redemptoris. Igitur,* neq; ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam. *Ignorans, inquit apoſtolus, ignorabitur, habenti dabitur, ei autem qui non habet, etiam quod videtur habere auferetur ab eo, dixit dominus. Sic igitur miſeri iſti in ſua, quam faſsi ſunt, ignorantia ex indurata malitia procedente, noluerunt intelligere vt bene agerent, vacui relicti ſunt, & omnes poſtremò perierunt aduenientibus Romanis, & ciuitatem eorum & regnum vaſtantibus, mercedem vtique receperunt cum his qui dixerunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus, Chriſto verè datus eſt honor & principatus, & omnes gentes ſeruient ei in æternum. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperiũ in æternum. Amen.*

1. Corin. 14.

In cap. XII. beati Marci.

ET cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinauit homo, & circundedit ſepē, & fodit lacū, & ædificauit turrim, & locauit eā agricolis: & peregrè profectus eſt. Et miſit ad agricolas in tpōre ſeruū, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui apprehenſum eum cæciderunt, & dimiſerunt vacuū. Et iterum miſit ad illos alium ſeruum, & illum in capite vulnerauerunt, & cōtumelijs affecerunt. Et rurſum aliū miſit, & illum occiderunt: & plures alios, quoſdam cædentes, alios verò occidētes. Adhuc ergo vnum habens filium chariſsimū, & illum miſit ad eos nouiſsimū, dicens: Quia reuerebuntur filium meum. Coloni autem dixerūt adinuicem: Hic eſt hæres, venite occidamus eū, & noſtra erit hæreditas. Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet & perdet colonos, & dabit vineam alijs. Nec ſcripturam hanc legiſtis? lapidem quem reprobauerunt ædificātes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognouerūt enim, quoniam ad eos parabolā hanc dixerit. Et relicto illo abierūt.

Non ſolū Eſa. vineā dn̄i ſabbaoth, domū Iſraēl eſſe cōmemorat, ſed etiā ſacer euangeliſta clariſſimis hoc verbis aſſeuerat, dicens: Cognouerunt enim quoniā ad eos parabolā hāc dixerit: *De ipſis igitur ſacerdotibus, ſcribis & ſenioribus, parabola eſt. Tres ad vineæ percipiendos fructus ſeruos miſiſſe vineæ dn̄m, dicit dn̄s: cæſum primū agricolæ vacuū dimiſerunt, hunc intelligere poſſumus hominis rationē, ratio quippe ſemper deprecatur ad optima, & quod bonū eſt oſtendit, boniſque delectatur, hanc cæciderunt & vacuā dimiſerunt Iudæi, non obtemperantes ei, ſed vacuā remittētes, dū quod iniuſtū erat et iniquū pariter fecerūt ſacerdotū*

princi-

principes, phariſæi, ſcribæ & ſeniores, qui præcipui erant Iudæorum, & qui vineæ vberiores tenebãtur domino fructus reddere, & ad eos reddendos populum cogere. Secundus ſeruus lex eſt, quam noluerunt audire, quamq; ſuis prauis moribus & exẽplis in capite vulnerauerunt, Deum non diligentes nec proximũ, quæ præcepta caput legis ſunt, iuxta illud pſal. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. contumelijs pariter legẽ affecerunt, illam omni die tranſgredientes, & contra eius ſtatuta facientes: quin etiam quod peius eſt, alias traditiones aduerſus legẽ ſtatuentes, quẽadmodum & dominus illos ſupra cap. 7. redarguit, dicens: Bene vos irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditiones veſtras. Tertium ſeruum miſit ad illos dominus, & illum occiderunt; & plures alios: iſti ſunt ſancti prophetæ domini, quos quidem, quoniam expreſſiſſimè eorum vitia redarguebant, quin etiam de aduentu Meſſiæ, tempus, vitam, doctrinam, ſigna oſtendebant, nunc illis non credentes occiderunt, bis ſcilicet, primò illorum plurimos morte afficientes, vt Eſa. & alios, de quibus dominus: Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapientes, & ex eis flagellabitis & occidetis, & crucifigetis in ſynagogis veſtris, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare: Hieruſalem Hieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt. Secundò verò occiderunt, eorum doctrinam à ſe repellentes. Itaque doctrinam occiderunt & corpora: Et nota quòd primus ſeruus tantum dicitur cæſus non occiſus, quoniam iniqui & ſi agere contra rationem poſſunt, illam tamen occidere nequeunt, ſemper enimuerò ipſa ſemel, rurſus, & ſemper redarguit iniquitatem, & iniquorum conſcientias pungit. Secundus in capite tantum vulneratus eſt non occiſus, quoniam lex & ſi lacerata per ipſos, non tamen occiſa fuit, quia

Pſal. 39.

Matth. 23.

ſen:

ſemper implere illã tenebantur, quouſq; venit dominus,& lex euangelica ſufficienter fuit promulgata. Cæterum lex decalogi ab illis non potuit occidi, quoniam à naturali lege deriuatur, quẽadmodum dixit dominus Matth. 7. Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis: hæc eſt enim lex & prophetæ: tertius verò dicitur occiſus, quoniam re vera prophetas occiderunt plurimos, & vltimo eorum prophetias in ſe ipſis occiderunt, quoniam illis de aduentu domini prophetantibus tempus, vitam, doctrinam, ſigna, omnino non crediderunt. Poſtremò verò miſſo filio chariſſimo dixerunt: Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas: *& extra vineam eiecerunt, tradentes præſidi Romanorum, qui eorum falſis accuſationibus volens annuere, eum extra ciuitatem in Caluario mõte crucifixit. An cognouerint Iudæi dominũ eſſe filium Dei, & Meſſiam, quoniam hic dicit Euangeliſta coloni dixerũt, hic eſt hæres, ſatis diſputauimus in noſtro ſupra Matth. cõmentario cap.* 21. *Nunc autẽ vnica ſententia dicimus Iudæos iſtos, videlicet principes ſacerdotum, phariſæos, ſcribas, & ſeniores in hac fuiſſe de Chriſto ſententia, videlicet, quod ſi aliquis vſq; in illam diẽ hæres ſuſpicari potuiſſet, nullũ vnquã aliũ, iſto excepto fuiſſe. Iſte (dicebant) videtur hæres, & hoc eſt quod dicit dñs, hic eſt hæres, hic nobis hæres videtur: Cæterũ occidamus eũ, & noſtra erit hæreditas: Si filius Dei eſt, dicebant dño in cruce pendenti, deſcẽdat nũc de cruce, & credimus ei: liberet eũ nũc ſi vult, dixit enim quia filius Dei ſum. Et ad Pilatum dixerunt: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Itaque non fidem habuerunt verã, quoniã obcæcauit eos malitia eorum, nolentes attendere tempus, doctrinã, vitam, & miracula à prophetis de aduentu Chriſti prophetata: habuerunt tamen quandã opinionem, qua illis videbatur hæres, quam vitijs & cupiditate & malitia, ne in fidem creſceret firmam extinguebant. propterea monebat apoſtolus Paulus ſuos Theſſalonicenſes, dicens:*

Spi-

1. Theſſ. 5. *Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere. hæc ita dicta ſunt, vt has duas conciliemus in vnum ſententias, domini videlicet in præſenti dicentis, colonos dixiſſe, hic eſt hæres, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. & beati apoſtoli Pauli veri* 1. Corin. 2. *Euangelij interpretis, ad Corinth. dicentis (cũ de ſapientia Dei loqueretur in aduẽtu Chriſti) quam nemo principum huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium in æternum. Amen.*

TRACTATVS. II.
In cap. XII. beati Marci.

R*Eſtant vltima de vinea verba domini exponenda, cum ait interrogatiuè, huic ſcribarum & ſummorũ ſacerdotum, & ſeniorum miſeræ turbæ:* Quid ergo faciet dominus vineæ? *ac ſi diceret: quid vobis videtur huiuscemodi colonis facturus vineæ dominus, vno ſeruo cæſo, altero in capite vulnerato, altero occiſo, & poſtremò chariſſimo occiſo filio?* Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam alijs. *Iuſtè vtique perditi ſunt coloni Iudæi, & vinea locata eſt gentibus: Quòd autem ipſe ſit vinea, dominus ipſe eiuſdẽ vineæ hæres, ipſe iudex iuſtus, ipſe potens Deus, impios diſpergens &* Pſal. 117. *puniens, ex pſal. petit centeſimo decimo ſeptimo, dicẽs:* Nec ſcripturam hanc legiſtis? lapidem quem reprobauerunt ædifi- Dan. 2. cantes, hic factus eſt in caput anguli. A domino factũ eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris. *Lapis iſte eſt de quo Daniel dixit, vidiſſe ſe lapidẽ de monte ſine manibus præciſum, & creſcere in montem magnum, & replere vniuerſam terram, Chriſtum dominum oſtendens à longè, de virgine naſciturum ſine virili conſortio: hic reprobatus à Iudæorum populo, factus eſt in caput anguli, vtrumque connectens in ſe parietem, & gentium populos, & qui crediderunt ex Iudæis, vt pacem daret ſecundum*

Eſa.

Eſa. vaticinium: his qui longè, & pacem his qui prope. A domino factum eſt iſtud: nec enimuerò humanæ erat potentiæ mortuos ſuſcitare: omnibus infirmitatibus ſolo tactu, aliquando ſolo verbo ſanitatem præſtare: omnia dæmonia ſolo verbo fugare: tot millia hominum quinque ſemel, ſeptem iterum panibus ſatiare: duodecim ſimplicibus hominibus, omnia regna, & iura dæmonum ſibi vendicare: hæc quidē ſolus poteſt facere Deus. Voluit igitur dominus vltimò cōcludere, hic, quem reprobàtis eſt hæres, hic eſt veſter Meſsias, hic verè filius Dei. Sūma igitur iuſtitia eſt, huiuscemodi colonos à vinea repellere, & illā alijs colonis locare. Tria hic primò à nobis veniunt conſideranda: primum eſt, quomodo nō eſt acceptator perſonarū Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi. Iudæi ab Abrahamo deſcēdentes, Iſaac & Iacob, inter quos millia fuere prophetarū & iuſtorum, cæterum quoniam fructū non dederunt, reprobi facti ſunt, & vinea locata alijs. Quis quæſo locus excuſationis relinquitur nobis, ſi non reddiderimus fructum debitum Deo? quōmodo poterimus euadere diuinam vltionem, qui ſumus ex oleaſtro, ſecundum apoſtolum Paulum, inſerti in Iudæorum oliuà, quando ipſa naturalis oliua, à qua Chriſtus dominus voluit ſecundum humanam ſumptam naturam deſcendere, confracta eſt & diſperſa? Nobis Iudæorum punitio magnum ingerere debet timorem & tremorem, ne quando cum iratus fuerit dominus pereamus à via iuſta. ideo Dauid pſal. 2. dicebat: ſeruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de via iuſta. Vnde ſupra etiam, apoſtolus gentibus dicit: Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere ſed time: ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Secundum autem quod conſiderandū venit eſt, percuſsio illa & occiſio ſeruorū,

Act. 10.

Ro. 11.

& poſtremò occiſio hæredis: in hoc autem duo ſunt attendenda, ex parte Dei nihil vnquam deeſſe nobis, eorum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutē, ſi nos ea non neglexerimus: vide enim quot ſeruos miſit, vnum, alterum & tertium, nouiſſimè autem vnicum filium: ex parte profectò colonum ſummam attende crudelitatē & perfidiam. Caueamus igitur ne nobis aliquid tale contingat, ne ſcilicet rationis lumen negligamus, ſed voluntatem noſtram non ſenſibus ſed rationi ſubdamus, tunc profectò primum ſeruum cædemus & vacuum dimittemus, & incipiet dominus vineæ nobis iraſci: legem verò decalogi obſeruare non reſpuamus: ſi enim Deū ſuper omnia, & proximum ſicut nos diligere neglexerimus, quin etiam delitijs dediti, & proprijs ſenſibus ſubditi facti, occidere, fornicari, & falſa apponere fratribus teſtimonia, rapere & cōcupiſcere cœperimus, in capite ſic vulnerato ſecundo ſeruo, iam maioris ſupplicij digni erimus. Quòd ſi moniti à ſuperioribus vitam emendare inobedientes ſimus, tertium iam ſeruum in nobis ipſis occidimus: ille proculdubio mihi mortuus eſt, cuius monita ac ſi non eſſet in mundo contemno: Quòd ſi filiū hæredem iterum
Hæb. 6. *crucifixerimus, ſecundum beati apoſtoli Pauli ſententiam: Rurſus crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes: dum à fide quis exciderit, prout faciunt hæretici, quid dicendū ſperas, niſi id quod dictum eſt: Veniet & perdet colonos dominus, & dabit vineam alijs. Cæterum cum hæc maximè ſint à nobis cōſideranda, ne his Iudæis ſimiles inuenti à vinea pellamur, tertiū non minoris indagationis eſt, eo quod illud caueamus. Tertio igitur conſideranda eſt vita horum Iudæorum, vt poßimus conijcere quæ fuerūt eorum peccata, quibus obcæcati ſunt, ne viderent lumen, Chriſtum videlicet, plus ſole, miraculis, doctrina & innocētia vitæ ſplendentem: cupiditatem horum arbitror fuiſſe vnum de obcæcantibus hanc gentem peccatricē, hanc proculdubio apo-*
1. Thi. 6. *ſtolus ait, eſſe radicem omnium malorum, quam quidam appetētes errauerunt à fide: non tantum ait apoſtolus in moribus, ſed in fide,*

& in

& inſeruerunt ſe doloribus multis: fecit illos nimia cupiditas auaros, auaritia fecit illos corde duros: hæc eſt quam dicit apoſtolus idolorum ſeruitutem. Omnem igitur hominem qui illorum commodis non erat vtilis perſequebantur, prout Sap.2. de illis in aduentu Chriſti prædictum eſt: Circumueniamus iuſtum, quoniã inutilis eſt nobis. hanc primã reddit ſapientia eorum duritiæ & cæcitatis cauſam, quoniam inutilis eſt nobis: & vltimò concludit, excæcauit illos malitia eorũ. Luc. etiam. 16. legimus domino prædicante, contra cupiditatem & auaritiam, phariſæos qui erant auari audientes, deriſiſſe illum. Sic igitur factum eſt vt ex nimia cupiditate deuenirent in auaritiam, ex auaritia in cordis duritiam, ex cordis duritia in malitiam, ex malitia in obcæcationem, ex obcæcatione in infidelitatem. Non enim illis toleranda fuit Ioannis abſtinentia & auſteritas, dicebant enim: dæmonium habet, quoniam eorũ cupiditati erat cõtrarius: De Chriſto domino dicebant: ecce homo vorax, potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, quoniam eorum cupiditati aduerſum ſentiebãt. Caueamus igitur hanc cruentam cupiditatis & auaritiæ beſtiã, ſi volumus vineam poſſidere, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui cum patre & Spiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium. Amen. Ephe. 5. Colloſ. 3.

TRACTATVS III.
In cap. XII. beati Marci.

ET mittunt ad eum quoſdam ex phariſæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo. Qui veniẽtes dicunt ei: magiſter, ſcimus quia verax es, & non curas quenquam: nec enim vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces. Licet dare tributum Cęſari, an non dabimus? Qui ſciens verſutiam illorum, ait illis: Quid me tẽtatis? afferte mihi denarium, vt videam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius eſt imago hęc & inſcriptio? dicunt ei: Cæſaris. Reſpondens autem Ieſus, dixit illis:

Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.& mirabantur ſuper eo: *Prauorum hominum conſuetudo eſt, poſtquam à veritate confunduntur obmuteſcentes diſcedere: & vtinam erubeſcerent: ſi enim ſemel rubore perfunderentur, non iterum aliam nouã molirẽtur tragædiam: Bene de illis prædixit Hieremias Trenorum cap.4. facies ſacerdotum non erubuerunt, nec ſenum miſerti ſunt. Crudeles igitur ſenes, & perfricatæ frontis ſacerdotes, in vno à domino confuſi, aliud moliuntur.*
Et mittunt ad eum quoſdam ex phariſæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo. *Volentes in verbo capere Dei ſapientiam, ipſi in ſua nequitia capti ſunt: Quẽadmodum enim piſces, cum rapere cupiunt ab hamo eſcam, capiuntur & ipſi: ſic iſti miſeri dum capere dominum in ſermone nituntur, ipſi ab eius ſapiẽ-*
Pſal.7. *tia capti ſunt: De his ſcriptũ eſt: lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quã fecit: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcẽdet. Serò peccatum malitiæ curatur, ſi enim ex vna parte obturetur, per aliam diffluit.*
Qui venientes dicunt ei: Magiſter, ſcimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominũ, ſed in veritate viam Dei doces. Licet dare tributũ Cæſari, an non dabimus? *Scorpiones vultu blandiuntur, cauda feriũt: Quatuor vtique principibus, gubernatoribus & iudicibus valdè neceſſarias virtutes primò proponunt: veritatem, libertatem, non eſſe perſonarum acceptorem, veram prædicare doctrinã, non quæſtus cauſa, non ob ſui vtilitatem, non ad oſtentationem, ſed in veritate viam Dei doces. His vultu placido propoſitis, & omni exteriori ſimplicitate, ſub ouina pelle lupum gerentes, de tributo ſoluendo Cæſari quæſtionem proponunt vnà cum herodianis, eo quòd poſſint eſſe Herodiani teſtes oculati dati reſponſi: arbitrati ſunt non poſſe dominum euitare calumniam. Si enim diceret non dandum tributum, accuſaretur ab Herodianis coram Pilato, quod & nihilominus poſtremò fecerunt, dicente Luca cap. 23. Hunc inue-*

nimus

nimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe: Si verò diceret ſoluendum, illum odioſum populo redderent, commouentes ipſum aduerſus eum, quoniã fauebat Romanis, & tributa dicebat Cæſari eſſe præſtanda. Dominus autem noſcens illorum verſutiam, ait illis: Quid me tentatis? *in hoc ſuam diuinitatem oſtendens, qui occulta cordis cognoſcens, qua intentione propoſuerint, quæſtionem illis palã facit, dicens: quid me tentatis? cognoſco quidẽ malitiam veſtram, nihil me latere poteſt, qua intentione accuſandi, & me perdendi id quæritis noui, non opus eſt tentare corda proſpicientem:* Afferte mihi denarium: *cumq; obtuliſſent, ait illis:* Cuius eſt imago hæc & inſcriptio? dicũt ei: Cæſaris. Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cęſari: & quæ ſunt Dei, Deo. *Non opus eſt ambagibus, ſi imago hæc eſt Cæſaris, reddite illi quod ſuum eſt, & Deo de quo nulla vobis eſt ratio, reddite etiã imaginem eius, quæ eſt anima vnuscuiuſq; veſtri. Reddite igitur Deo quod ſuũ eſt, Chriſto domino honorẽ, gloriã, & imperium, cognoſcentes eius diuinitatem, & ea quæ ſunt Cæſaris, reddite Cæſari. Mirati ſunt in eius reſponſo,* & mirabantur, *inquit Euãgeliſta,* ſuper eo: *ſi crederent filium Dei non mirarentur ſuper eius reſponſo, ſed mirarentur eius dignationem, quia voluit homo factus inter homines conuerſari, & tantam hominum malitiam pacienter ferre: ſed qui pati venerat, omni die à principibus ſacerdotum, phariſæis, & ſcribis, & ſenioribus, opprobria, irriſiones & tentationes patiebatur, quouſq; ad mortem peruentũ eſt. Fugiamus igitur fratrũ tentationes, nec moleſti ſimus conciuibus noſtris, ſimpliciter ambulemus & corde recto, & cum omnibus pacẽ habeamus: Quid enim aliud iſtæ quatuor generationes præcipuæ Iudæorum, quas prædiximus, collegerunt è contradictione operũ domini, niſi temporale opprobrium & diſperſionẽ, æternũ ſupplicium & confuſionẽ: Reddamus itaq; animas noſtras illi, cuius imaginem præſeferunt. Faciamus, dixit dominus, hominem*

ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:imago igitur cum ſit anima Dei,nulli alteri ſe donare poteſt,quod ſi facit,rapinam committit dans animam ſuam cuique alteri,quoniam Dei imago,& ſimilitudo eius eſt.Quæ ſunt Cæſaris,Cæſari dentur: Dominus enim dicit,& apoſtolus Paulus ait:Cui tributum tributum,cui vectigal vectigal, non ſolum propter timorem,ſed etiam propter conſcientiam.Reges enim iuſtitiam populo miniſtrant,& pacem etiam in ſuis regnis tenentur habere:duo hæc ſunt munia regum, in pace videlicet & iuſtitia populos ſuos continere,ideo tributa illis præſtant populi,ideo à domino cõmendantur,dum ait:reddite quæ ſunt Cæſaris,Cæſari.Si igitur Cæſari pro pace & iuſtitia,quã tenetur populo miniſtrare tributa præſtantur,quæ quæſo tributa tenemur reddere domino,à quo cuncta quæ habemus accepimus?quid habes quod nõ accepiſti?quòd ſi accepiſti,quid gloriaris?hoc eſt,quid extolleris tanquam non acceperis?Parum eſt quod dominus de agrorum fructibus expoſtulat decimas, de omnibus etiam ſenſibus,deberemus fructum ſemper domino reddere:de omnibus animarum noſtrarũ potentijs,ſicut dicebat Oſee: omnem aufer iniquitatem,& accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.Ecce labiorũ fructus:ſic de cæteris poſſumus dicere ſenſibus:ô vtinam in eius ſemper laude verſemur, ne quicquam aduerſum eius voluntati faciamus,tunc enimuerò verum reddimus Deo fructum,cum nihil permittimus in anima noſtra,neque in ſenſibus noſtris fieri, quod dominicis præceptis repugnet,tunc enim ipſe nobis cum inuocauerimus reſpondet:ecce adſum.Qui cum patre & ſpiritu ſancto,viuit & regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Oſee.14.

In cap. XII. beati Marci.

ET venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurrectionem non eſſe, & interrogabant eum, dicẽtes: Magiſter, Moyſes nobis ſcripſit, vt ſi cuius frater mortuus fuerit, & dimiſerit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorẽ ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus eſt, non relicto ſemine. Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt, & nec iſte reliquit ſemen. Et tertius ſimiliter. Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem, & non reliquerunt ſemen. Nouiſsima omniũ defuncta eſt & mulier. In reſurrectione ergo, cũ reſurrexerint, cuius de his erit vxor? ſeptem enim habuerunt eam vxorem. Et reſpondes Ieſus, ait illis: Non ne ideò erratis, non ſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei? Cùm enim à mortuis reſurrexerint, neque nubẽt, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlis. De mortuis autem, quòd reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum: Vos ergo multũ erratis. *Nunc ab his qui ſe profitebantur fideles, nunc verò ab hæreticis Sadducæis calumniam patitur dominus: non deſunt iniquis ſuæ iniquitatis ſocij. Iſti aduerſarij erant, nempe Sadducæi hæretici negabant animas & angelos eſſe, & per conſequens mortuorum reſurrectionem: phariſæi vtrumque fatebantur, veruntamen illis abeuntibus, ſuccedunt iſti ſemibruti homines, volentes etiam cum domino diſputare: argumentum eorum, quemadmodum & ipſi, ſatis carnale erat, & fœdum: ſic ſuam igitur ſtultitiam palàm fecerũt.* Magiſter, Moyſes nobis ſcripſit, vt ſi cuius frater mortuus fuerit, & dimiſerit vxorẽ, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. Deu. 25 *Deinde longam texuere hiſtoriã de quadã defuncta muliere, quæ accepit*

ſeptem,ſibi inuicem ſuccedentibus viris fratribus, omnes defuncti ſunt ſine liberis, quis ergo cõcludunt: perindè ac ſi dicerent, tu affirmas reſurrectionẽ futuram, animas & angelos, quis horũ ſeptẽ eam habebit in reſurrectione vxorem? dominus miſericors, volẽs illos à ſuo errore reuocare, reſpõdit: Non ne ideò erratis, *ob hoc ſcilicet, exiſtimantes in futuro ſeculo opus eſſe nubere ad liberorum procreationem: non enim ſcitis ſcripturã, nec virtutem Dei? ſuſcitati, ſicut angeli Dei in cœlo erunt. Quemadmodũ angeli nõ multiplicantur generatione cõmixta, ſed à Deo ſimul creati ſunt: Sic homines reſuſcitati, non habebunt opus matrimonio, quod inſtitutum eſt ad propagationem humani generis, quæ tũc ceſſabit, quoniam non erit opus amplioris multiplicationis, quando iam finietur ſeculum. De reſurrectione autem, cuius virtutem ignorantes negatis futuram, nunquã legiſtis, Deum, cum loquutus eſt de rubu Moyſi, dixiſſe illi:* Ego ſum Deus Abrahã, & *Deus* Iſaac, & *Deus* Iacob? *Iam à multis annorũ cẽtenarijs defuncti ſunt: ſi illi ſecundum animas, in Dei conſpectu non viuerent, quomodo Deus ſe illorũ diceret Deum? non enim eſt Deus mortuorum, hoc eſt, eorum qui omninò non ſunt, ſicut iſti Sadducæi opinabantur, animas hominum morientium in nihilum reuerti, ſimulque cum corporibus finem accipere. Deus igitur dicit, dominus non eſt Deus eius, quod omnino euaneſcit & in nihilum reuertitur. Itaque cum Deus ſe illorum ſanctorum dicat Deum, vtique viuunt coram eo non corpore, quod in terram verſum eſt, ſed anima, quæ immortalis eſt, & quæ principium habens, caret fine. V*os ergo multum erratis: *Sic confuſa receſsit Sadducæorũ hæretica turba. Illa igitur deſideranda eſt vita, in qua omnes noſtræ neceſsitates ceſſabunt, ibi ſponſalitia vacua erunt, ibi cibus & potus ocioſi, ibi nulla ars, nulla ſcientia neceſſaria, ibi nullus nobis erit cuiuſcunque neceſſarius vſus creaturæ, vnuſquiſque habebit ſui ſtatus ſacietatem, pœnarum mali, delitiarum in diuina viſione boni. Nihil à nobis reuera eſſet omittendum, quod ad*

illam

illam cœleſtem patriam poſſet adducere, quicquid ad illam adi-piſcendam eſſet vtile: proculdubio ſine vlla hæſitatione, etiam ſi mortem oporteret pati, eſſet à nobis faciẽdum. Si nũc aliquis ve-niret ad nos, annunciãs inſulam quandam latiſſimam nouiter eſſe inuentam, in qua eſſet ſalus perpetua, nullus vnquã infirmaretur, nullus vnquam moreretur, vnuſquiſque habitatorum, quod deſi-deraret continuò præ manibus haberet, ameniſſima prouincia: delectabile regnum: quis quæſo non inhiaret illuc peruenire? quis non præpararetur? & ſi oporteret omnia quæ nunc poſſidet re-linquere, id libentiſſimè faceret, quo ad illam citius poſſet perue-nire? Si igitur hominibus ex illa ad nos prouincia veniẽtibus, ta-liaque narrãtibus crederemus, & proprias relinqueremus ſedes, vt illius delectabilis regni poſſemus eſſe incolæ, quanto magis de-bemus prædicante filio Dei inhiare, concupiſcere, & omnibus vi-ribus, ſi opus eſt, relinquere omnem ſubſtantiam, & nihil diffici-le à nobis iudicantes, vt ad illam fælicitatem peruenire poſſimus; quæ multo precioſior, multo ditior, multo ſalubrior eſt illa, quã prædiximus: præcipuè autem, cum non tantum animarum deli-tiæ inenarrabiles ſint, verum etiam & corpora noſtra in reſurre-ctione ſurgent in incorruptione: & ſi ſeminetur dum moritur in corruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur 1. Corin. in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſur-15. get corpus ſpirituale. Hæc optanda patria, hæc deſideranda ciui-tas, hæc totis viribus quærenda gloria, in qua Chriſtus Ieſus do-minus noſter cum patre & ſpiritu ſancto laudatur, benedicitur & glorificatur in æternum. Amen.

TRACTATVS V.

In cap. XII. beati Marci.

ET acceſsit vnus de ſcribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quia bene illis reſponderit, interrogauit eum, quod eſſet primum omnium mandatum. Ieſus autem reſpondit ei, quia primũ omnium mãdatum eſt, audi Iſrael: dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Et diliges dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt illi: diliges proximũ tuum ſicut te ipſum: Maius horũ aliud mandatum non eſt. Et ait illi ſcriba: Bene, magiſter, in veritate dixiſti: quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum: Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximũ tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificijs. Ieſus autem videns quod ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: Nõ es longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eũ interrogare.

Quarta adeſt in templo domino tentatio: prima fuit principum ſacerdotum, ſcribarum & ſeniorum: in qua poteſtate dicentium hæc facis? ſecunda phariſæorum cum Herodianis, an licitum eſſet tributum Cæſari præſtare. tertia Sadducæorum de mortuorum reſurrectione. quarta huius ſcribæ, qui voluit etiam ipſe ſolus conquirere de magno mandato, vt experiretur, an nouerit bene dominus qui legem dedit ipſam legem. O mira Chriſti pacientia: æquo enimuerò animo omnia audiebat, ſine tumultu & ſtrepitu verborum reſponſa præſtabat, & vnico verbo omnes dubitationes diſſoluebat. Itaque nunc habemus quæſtionem de magno legis mandato, cui dominus pro rei magnitudine, ex ſcriptura ſecundum ſuum morem reſpondit: docens nos, ne è capite noſtro quærentibus reſponſa tribuamus, ſed ſi inueniri poteſt eorum deci-

deciſio in ſcriptura, ad illam recurramus. Ecce enim Sadducæis ex ſcriptura reſpondit, nunc autem ſcribæ huic etiam ex ſcriptura, quòd Deus vnus ſit in eſſentia, & diligatur ex toto corde: omnes videlicet cogitationes noſtras in ipſum dirigi oportet: tunc enim diriguntur, cùm nihil quod aduerſum eſt legi eius cogitamus: perfectius diriguntur, cùm de illo meditamur. Habemus namque latiſſimos ad meditandum campos, omnia videlicet opera eius quæ fabricatus eſt in cælo & in terra, mari & omnibus abyſſis: Rurſus habemus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, nihilque optari poteſt quod in illo non reperiatur, deitatis, dilectionis, puritatis, benignitatis, indulgentiæ, largitatis, donorum & gloriæ, ſiquidem Deus & homo eſt. Ex toto corde diligendus eſt Deus, qui nobis vnicum filium dedit redemptorē, ipſe redemptor qui nos ſuo ſacratiſſimo ſanguine redemit cum ſit Deus, etiā ſuper omnia diligendus eſt ex tota anima, hoc eſt ex tota voluntate: omnes videlicet animæ noſtræ affectiones in illum dirigantur: tunc enim ex tota anima diligimus, cum nihil diligimus, quod non vel ipſe ſit, vel propter ipſum amemus. O fælix anima, quæ tota in ſuo Deo commoratur, tota in illo verſatur: omnis eius conuerſatio cū apoſtolo Paulo in cælis eſt. Dulce vtiq; mandatum, ſuaue iugum, leuis ſarcina, honorifica conuerſatio, glorioſa aſſociatio, ſemper ſummo bono tota anima adhærere: neminem timebit iſte, nihil conturbabit iſtum quidquid acciderit ei, & ſi totus confractus labatur orbis, intrepidum reperient talem ruinæ. Ex tota tūc mente ſiue intellectu diligimus, cum omnes noſtras intentiones in illū dirigimus: finis eſt primus in intentione, & vltimus in aſſecutione. Quando igitur finē omnium noſtrarum actionum in Deum dirigimus, nolentes quicquam facere quin in illum dirigatur, tunc totus intellectus, cuius eſt intelligendo omnes actiones dirigere, in illum tendit: Tota fortitudine diligimus Deum, cum omnia quæ nobis vires præſtant in illum pariter diriguntur, Collos. 2

diui-

diuitiæ, honor, redditus, dignitates, vires corporis, ingenij acumē, & quidquid aliud quod nobis vires præſtat, in eius obſequio impēdimus. Cum aliàs dñs de iſta eſſet quæſtione percontatus à quodam, qui quid faciendo vitam æternam poſsidere poſſet quærebat: eodem ſimiliter modo reſpondit, & tam illi quam iſti, ſemper huic de dilectione Dei ſuper omnia, addidit proximorum dilectionem ſicut noſtrùm ipſorum. Præ nobis igitur & præ omnibus, & ſuper omnia Deus eſt diligendus, proximi autem ſicut nos: hoc propterea arbitramur dominum ſemper addidiſſe de ſecundo mandato præceptum, eo quòd probatio dilectionis Dei, eſt exhibitio
1. Io. 4. *dilectionis proximi. Dicit enim beatus Ioānes in ſua 1. epiſtola: qui fratrem ſuum, quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Cæterū, hoc etiam confirmatur, eo quod dominus ſemper ponit dilectionem proximi propè ſuam, & dixit: amen dico vobis, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: in die autem qua iudicabit orbem terræ, etiam de operibus bonis proximis exhibitis, vel negatis fiet diſcuſsio. Quemadmodū enim aurifices habent certum calculum, quem tactum vocant, vbi tangunt aurum ad experiendam ipſius auri virtutem: ſic nobis proximi à Deo ſunt dati, quatenus in illis probetur illa quā erga Deū optimum maximū habeamus dilectio. Scriba autem prætulit Dei & proximi dilectionem, omnibus holocauſtis & ſacrificijs, & merito: quoniam quidquid Deo offertur ſine eius amore & gratia, ad vitam æternam non prodeſt: cui dominus reſpondit, non eſſe longè a regno Dei, qui ſic bene de lege ſentiebat. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, & gloria in æternum. Amen.*

ET reſpondens Ieſus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? ipſe enim Dauid dixit in ſpiritu ſancto: Dixit dominus dño meo, ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos: ſcabellum pedum tuorum. Ipſe ergo Dauid dixit eum dominum, & vnde eſt filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit. Et dicebat eis in doctrina ſua: Cauete à ſcribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, & in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis: qui deuorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. Et ſedens Ieſus contra gazophylacium, aſpiciebat quomodò turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum veniſſet autem vidua vna pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans. Et conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper, plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt: hæc verò de penuria ſua, omnia quæ habuit miſit totum victum ſuum. *Scribæ, qui legis doctores ſe eſſe profitebantur, quibus populus in exponendis ſcripturis fidem præſtabat, maximo tenebantur piaculo non inueſtigantes tempus aduentus domini, ſigna & doctrinam, vt poſſent de re maxima in lege, hoc eſt, de Meſsia certiorē populum reddere: atqui ipſi obcæcati vnà cum principibus ſacerdotum, phariſæis & ſenioribus, clauem, prout illis improperauit dominus, ſcientiæ abſtulerunt, & nec ipſi introierunt, & volentes introire prohibuerunt: Sic enim habetur Luc. 11. Væh vobis legisperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis: propterea de illis loquitur dominus, dicēs:*

dicens: Quomodo dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? *videtur nihil aliud docuiſſe illos populum, præterquam Meßiam de domo Dauid venturum, nullum vnquam de diuinitate eius verbum habuiſſe, cùm in ſacra ſcriptura multis in locis expreſſum eſſe perſpicuum ſit, quando neque illis Deum filium habere ignotum erat: Ipſi enimuerò coram Pilato domino obiecerunt, dicentes: nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Ipſi etiam domino pendenti in cruce illudebant, dicentes: ſi filius Dei es deſcende de cruce. nuſquam enim dixerunt, Deus filium non habet, & ipſe hoc falſum teſtimonium Deo impoſuit, ideo illum reum eſſe mortis accuſamus: ſed tantummodo accuſant quòd falſo ſe dixit filium Dei eſſe. Quod & ſapientia cap. 2. prædixit futurum his verbis: Cantemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſsima illius, ſi enim eſt verus filius Dei, liberabit illum de manibus contrariorum. Cum igitur legisperiti ſcribæ, de Meßia aliud populo non annunciarent niſi tantum filium Dauid futurum, dominus volens ipſi populo manifeſtare ſuam (quoniam verus eſt Meßias) diuinitatem, inquit:* Quomodo enim dicunt ſcribæ Chriſtum filium eſſe Dauid? ipſe enim Dauid dixit in ſpiritu ſancto: *hoc eſt, cum ipſe per ſpiritum ſanctũ prophetans, de Meſsia loqueretur:* Dixit dominus dño meo, ſede à dextris meis, Donec ponã inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorũ. Ipſe ergo Dauid dixit eum dominum, & vnde eſt filius eius? *ac ſi cõcludat: aliam igitur habet deitatis naturam, qua Dauid eum dominum dicit, nempe ſi tantummodo homo eſſet non Deus, non illum dominum Dauid, in ſpiritu ſancto loquens, appellaret.* Et multa turba eum libenter audiuit, tunc in ſua dicebat doctrina: *Cauete à ſcribis, oſtendens quomodo prophetarum oracula populo celabant, & nec ipſi introierunt, & eos qui intrare volebant prohibuerunt.* Cauete à ſcribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, & in primis cathedris ſedere in ſynagogis,

&

& primos diſcubitus in cænis: qui deuorant domos viduarum ſub obtẽtu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudiciũ. *Quatuor illis opponit dominus, ambitionis & ſuperbiæ duo, cupiditatis tertium, in ſtolis ambulare quartum: quas ego non ſolum cultiores arbitror veſtes, verũ etiam religioſiores: cultus enim cultior & religioſior oſtentationi illis inſeruiebat, vt in ſe omnium oculos conuerterent: Nimis etiam curabãt ſalutari ab omnibus in foro dum in publicum prodibant, tanquam præcipui inter homines: tertiò autem dum in ſynagogam contingebat ire, primas requirebant cathedras: quartò dum inuitabantur ad cænam, primos diſcubitus occupabant: ecce eorum ambitio, arrogantia, & ſuperbia maxima. Deinde ne in his, modo ſeculari ſe habere exiſtimarentur, hypocritam adiungebant ſanctitatem, & in morte virorum prolixas orationes apud viduas mulieres fundebant, pro animabus defunctorum, neque id gratis, ſed prolixæ orationi prolixum accedebat ſtipendium, ideo ait dominus:* hi accipient prolixius iudicium, *lata ſententia ſcribarum, eo quòd ſua cupiditate & arrogantia obcæcati, dominum agnoſcere noluerunt: quin etiam & populum à vera fide in Chriſtum auerterunt.* Et ſedẽs Ieſus contra gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. *Nota quòd dominus non arguit gazophylacium, neque inutiliter dicit ibi æs eſſe iactatum, quinimo & viduam laudat, quæ omnia quæ habuit iactauit: hæreticos dominus præſcius futuros, qui omnia hæc & templorum ædificia erant demolituri, ſedens voluit aſpicere omnes iactantes in gazophylacium, acceſſit vidua pauper & miſit duo minuta, quod eſt quadrans*. Et conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: (*volens approbare cõtra hæreticos eleemoſynam templo factam, verè acceptabilem eſſe, volens etiam oſtendere quantitatem eleemoſynæ, iuxta poſſibilitatem dantis eſſe attendendam*) Amen dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium.

Omnes

Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt: hæc verò de penuria ſua, omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuū. *Itaq; deuotio huius viduæ laudatur, opus templo exhibitum probatur, & ſi quis totum victum ſuum templo obtulerit, à domino commendatur: fabricanda igitur ſunt templa, erigenda altaria, dona eccleſiæ offerenda, omnia hæc à domino in hac lectione probantur. Coercendi itaque ſunt eccleſiaſtica diſciplina oppoſitum ſentientes, docentes vel prædicantes: benedictus ſit dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſciens omnia quæ eccleſiæ ſuæ erant ſuperuentura, ſufficientiſſimè neceſſaria, verbis & exemplis docuit, vt volentes ad lucens Euangelium aſpicere, omnibus proprij arrogantis intellectus deiectis tenebris, errare non poßint, quin veritatem & lumen videant, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Qui cum patre & ſpiritu ſancto, viuit & regnat, in æternum. Amen.*

In cap.XIII.beati Marci.

ET cum egrederetur de templo,ait illi vnus ex diſcipulis ſuis:Magiſter,aſpice quales lapides,& quales ſtructuræ.Et reſpondẽs Ieſus,ait illi:Vides has oẽs magnas ædificationes?Non relinquetur lapis ſuper lapidem,qui non deſtruatur.Et cùm ſederet in monte Oliuarum contra templum,interrogabant eum ſeparatim Petrus,& Iacobus,& Ioannes,& Andræas:Dic nobis quando iſta fient?& quod ſignum erit,quando hæc omnia incipient conſummari?Et reſpondens Ieſus,cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo,dicentes,quia ego ſum:& multos ſeducent.Cùm audieritis autem bella,& opiniones bellorum,ne timueritis,oportet enim hæc fieri,ſed nondum finis.Exurget enim gens cõtra gentem,& regnum ſuper regnum,& erunt terræ motus per loca,& fames:initium dolorum hæc.Videte autem vosmetipſos.Tradent enim vos in concilijs,& in ſynagogis vapulabitis,& ante reges & præſides ſtabitis propter me,in teſtimonium illis.Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.Et cùm duxerint vos tradẽtes,nolite præcogitare in illa hora quid loquamini:non enim vos eſtis loquentes,ſed ſpiritus ſanctus.Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium;& conſurgent filij in parentes,& morte afficient eos.Et eritis odio omnibus,propter nomen meum:Qui autem ſuſtinuerit in finem,hic ſaluus erit. *Hoc 13.cap.beati Marci oportet in tres diuidi ſentẽtias,vt eius ſenſus percipi poßit,de quibus in cõmentario noſtro ſuper Matth. ſatis dictum eſt. Nihilominus tamen ne hoc cap. legentes ſententiæ confundant,illud ſic oportet diuidere.Meminiſſe oportet Matth.*

tria quæſiſſe hos domini diſcipulos, cõmemorare: Dic nobis quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſumationis ſeculi. hic Marcus tantũmodo, de templi diruptione, & ciuitatis Hieruſalem vaſtatione diſcipulos domino propoſuiſſe cõmemorat, nihilominus ad omnia tria, quæ diximus, domini reſponſa, copioſè recitat: igitur attendendũ eſt, dominũ primò de templi euerſione, & perſecutione apoſtolorum diſſerere. ſecundo autem de aduentu Antechriſti, ibi erunt enim dies illi, tribulationes tales etcæ. tertio de conſumatione ſeculi & futuro iudicio, ibi, ſed in illis diebus poſt tribulationẽ illam. Attendenda etiam ſunt verba vltima huius cap. ſcilicet: quod autẽ vobis dico omnibus dico, vigilate: perinde eſt ac ſi dñs diceret: hoc autẽ quod vobis annuncio, non tantũ vobis, quin etiã omnibus venturis poſt vos dico, eo quòd omnes vigilantes ſint: quo ſit clarius id quod diximus in tres partes eſſe diuidendum hoc cap. Primò etiam de euerſione Hieruſalem, vnà cum templo, adiunxit dominus apoſtolorum perſecutionem, ne illos impræmeditatos occuparet: praua conuerſatio ſacerdotum in templo, ruinam templo minatur: præcedentibus capitulis legimus, peccata grauiſſima principum ſacerdotum, ſcribarum, phariſæorum, ſeniorum. Quid aliud expectandum erat, quã id quod reſpondit dominus oſtendenti illi templi ſtructurã nobilem? Vides has omnes magnas ædificationes? Nõ relinquetur, *reſpondit,* lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. *Caueant igitur omnes templi habitatores & poſſeſſores: Magna fuere in Hiſpania templa, & per infideles quondam dirupta ſunt: magna fuerunt in Africa templa, & à Gothis, qui ab Hiſpania prodierunt, ſunt euerſa, quorum vſque hodie ruina permanet. Cum autem eſſet in monte Oliueti dominus, quatuor diſcipuli quæſierũt:* Dic nobis quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipiẽt conſumari? *prædixit dominus venturos pſeudo chriſtos, & multos ſeducent: Antechriſtus horum caput eſt, quẽadmodum & beatus Ioannes ait: Audiſtis quia Antechriſtus*

venit,

venit, & multi Antechriſti facti ſunt, vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt. Hoc dixit, quoniã audierat à domino hoc quod beatus Marcus dicit: Multi enim venient in nomine meo dicẽtes, quia ego ſum: *& infra ait: Exurgent pſeudoChriſti, & pſeudoprophetæ. Tunc illis annunciat dominus prælia futura, & terræ motus, & fames initia eſſe dolorum: & diſcipulorum perſecutionem ſubiunxit, eo quòd poſt apoſtolorum perſecutionem, & à tota Iudæa expulſionẽ, ſubſequuta eſt templi euerſio, & totius Hieruſalem vaſtatio, per Titum & Veſpaſianum facta. Propterea dominus templi diruptioni, apoſtolorum perſecutionem interpoſuit, & tyrannidem Iudæorum in credẽtibus, quorum filij parẽtes tradebant in mortem, & fratres fratres, & omnibus hominibus odio facti ſunt. Illud autem quod ait,* in omnes gentes primũ oportet prædicari Euangelium, *ad ſeculi conſumationem eſt referendum, nõ autem ad templi euerſionem: Sic enim ait beatus Matth. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in toto mundo, & tunc veniet conſumatio. Sequitur etiã aliud ſignũ, vaſtationis Hieruſalem & templi: cum videritis, inquit, abominationem deſolationis ſtantem vbi nõ debet, hoc eſt in templo, quæ dicta eſt à Daniele addit beatus Matth. Idolum dicũt quidam, quod fuit poſitum in templo, vel ſtatuam Adriani equeſtrem illud fuiſſe ſignum proximæ venturæ euerſionis templi & Hieruſalem. tunc qui in Iudæa ſunt fugient ad mõtes propter magnam tribulationem, quam paſſuri erant Iudæi in illa obſidione facta per Titum, ita vt ſtercora manducarent, quin etiam & propriam prolem: & nullus Iudæorum remanſit, qui vel non fame mortuus, vel gladio occiſus fuerit, vel in captiuitatẽ ductus, teſte Ioſepho de bello Iudaico. Sic diſperſa eſt omnis Iudæa per vniuerſum orbem: & ne vnquam expectent Meſſiam, niſi quando venerit dominus iudicare ſeculum per ignem, audient ſuum Danielem cum de hebdomadibus venturi Chriſti agit, dicentem: Et erit in templo abominatio deſolationis, & vſq; ad conſumationem & finem perſeue-* 1.Ioan.2.

 talit

rabit deſolatio: non profectò reædificabitur templum, quemadmodum factum eſt poſt Babylonis captiuitatem per Zorobabel, ſed quid ait audi, vſque ad conſumationem ſeculi, intellige in finem videlicet mundi perſeuerabit deſolatio. Væh autē prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, eò dicit dominus, quoniam grauatæ prolis pondere celeriter fugere non poterunt: orate verò vt hyeme non fiant, quoniam non eſt aptum tempus ad fugiendū, propter inundantes pluuias. Quo peruenerit Iudæorum proteruia videmus: quas in inferno patiuntur pœnas credimus, ſed non videmus: Videbimus ſiquidem cum dies noſtra vltima venerit. Vtinam gaudentes cum Chriſto domino videamus, & è cœlo pœnas illorum proſpiciamus: interim autem ſi qui illorum ad noſtras peruenerint manus, non ceſſemus illos monere, & ſacris ſcripturis oſtendere redemptorē: ne & qui in partibus aliquibus à chriſtianis tales viuere permittūtur, ipſi cū ſuis ſcribis, ſacerdotibus & ſenioribus & phariſæis prædictis in inferno perpetuò ſuæ perfidiæ crutiatus reddant. Chriſto autem domino cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria, imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS II.
In cap. XIII. beati Marci.

ERunt enim dies illi, tribulationes tales, quales nō fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vſque nunc, neque fient. Et niſi breuiaſſet dominus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos quos elegit, breuiabit dies. Et tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic: ne credideritis. Exurgent enim pſeudoChriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. *Hæc eſt ſecunda pars huius cap. 13. in qua dominus de ſigno aduentus ſui tractat, quam ex ipſa litera*

litera ſatis oſtenditur, non poſſe ad euerſionem templi & Hieruſalem applicari: quoniam illæ tribulationes & ſi fuere magnæ, nihilominus aliæ penè ſimiles leguntur: nempe obſidēte Rege Syriæ Samariam, tandiu obſeſſa eſt ciuitas, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. Cumque Rex Iſraël tranſiret per murum, mulier quædam exclamauit ad eum, dicens: Salua me domine mi rex. Qui ait: non: te ſaluet dominus: vnde te poſſum ſaluare? de area, vel de torculari? Dixitq; ad eā Rex: quid tibi vis? Quæ reſpondit: mulier iſta dixit mihi, da filiū tuū vt comedamus eum hodie, & filium meū comedemus cras. Coximus ergo filium meum & comedimus: dixique ei die altera, da filium tuum vt comedamus eum: quæ abſcondit filium ſuū. Arcta nimis fuit hæc obſeſsio, ſed illa Hieroſolymorum maior, quando ad euerſionem vſque peruenit. Erunt enim dies illi, tribulationes tales, quales nō fuerūt ab initio creaturæ, neq; fient. Et niſi breuiaſſet dn̄s dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos quos elegit breuiabit dies. *Hoc cum illa obſidione non quadrat, ideo illam dicimus eſſe perſecutionem, quæ ſub Antechriſto omnibus fidelibus eſt futura: exurgēt enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiā electos. Hæc ſigna & portēta apparentia erunt, ſed falſa, ſecundū beatū apoſtolum Paulū, qui Theſſalonicenſibus ſcribens, ait: Et tunc reuelabitur ille iniquus, quē dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduētus ſui eum, cuius eſt aduētus ſecundùm operationē Sathanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigijs mendacibus.* Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. *Non hunc Antechriſti aduentū apoſtoli viderunt, ſed quod dicit: Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia, ad prædicandum & ſcribendū, vt notum ſit omnibus fidelibus vēturis: Ideo in fine totius huius cap. ait Euangeliſta dominū dixiſſe, quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Vigilemus*

4 Reg. 6.

Epiſt. 2. cap. 2.

igitur omnes, quandoquidem ignoramus, an noſtris vel alijs futuris temporibus, hæc grauiſſima omnium perſecutionum, quæ factæ ſunt aduerſus eccleſiam continget, ſemper Chriſtum dominũ precantes, & dicentes: Et ne nos inducas in tentationem. Qui viuis & regnas cum Deo patre, in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſeculorum ſecula. Amen.

TRACTATVS III.

In cap. XIII. beati Marci.

SEd in illis diebus poſt tribulatiorẽ illam ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum, & ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes quæ in cœlis ſunt, mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientẽ in nubibus cũ virtute multa, & gloria. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ vſq; ad ſummũ cœli. A ficu autẽ diſcite parabolã: Cùm iã ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis, quia in proximo ſit æſtas: Sic & vos cũ videritis hæc fieri, ſcitote quòd in proximo ſit in oſtijs. Amẽ dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba autẽ mea nõ tranſibũt. De die autẽ illo vel hora, nemo ſcit, neq; angeli in cœlo, neq; filius, niſi pater. Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domũ ſuã, & dedit ſeruis ſuis poteſtatẽ cuiuſq; operis, & ianitori præcepit, vt vigilet. Vigilate ergo (neſcitis enim quando dominus domus veniat: ſerò an media nocte, an galli cantu, an manè) ne cũ venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autẽ vobis dico, omnibus dico: Vigilate. *Ecce tertium quæſitũ ſolutum, ſcilicet & quod ſignũ conſumationis ſeculi: ſolis obtenebratio, lunæ obſcuratio, ſtellæ decidentes, cometas intellige*

tellige, vel ignem in modū ſtellarum deſcendentē: nempe vna noua ſtella ad Chriſtum oſtendendū regibus, nouiter creata eſt: ad illū tanquā indicē manifeſtandum multæ decident. Et fortè iſte eſt ignis, qui ante faciē eius venturus eſt adurens terrā: de quo in pſal. Pſal. 96. *Ignis ante ipſum præcedet. Et beatus apoſtolus Petrus: Cœli autē* 2. Petri 3. *qui nunc ſunt & terra, eodē verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iuditij. Quod verò ait,* de die autē illo, vel hora nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque filius, niſi pater. *Sic accipiendū eſt: quemadmodū verè dicitur neſcire in confeſſione detecta confeſſarius, quoniā illi dicta ſunt, eo modo quòd reuelare non poteſt: Sic filius illā horā ſecundū diuinitatē vnà cum patre prænoſcēs, in humanitate aſſumpta reuelare non poteſt, quoniā illā ad nemini dicendū vnà cum patre nouit. Ita dn̄s cū de regno Iſraël quæreretur, reſpōdit: Non eſt veſtrū noſſe tempora, vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate: etiā filius & ſpiritus ſanctus, quorum vna eſt eſſentia, vna voluntas, in ſua poteſtate poſuere tempus cōuerſionis Iudæorū. Dicendo ergo, quæ pater poſuit ex ſua poteſtate, non excludit filiū & ſpiritū ſanctū: Dicēdo igitur nūc: neq; filius, idē eſt ac ſi dicat, nō poſſe reuelare per organū humanitatis aſſumptæ quod ſoli patri eſt notū, notū etiā filio & ſpiritui ſancto, ſed nō ad reuelandū niſi eo tempore, quo vna eademq; voluntas in Deo ſtatuit reuelandū. Vigilia verò nobis viuentibus ſūmopere cōmēdatur, ne nos illa dies imparatos inueniat, terq; repetitur:* Videte, vigilate, & orate: *deinde ſubiuncta ſimilitudine patris familias repetit.* Vigilate ergo (neſcitis enim quādo dn̄s domus veniat: ſerò an media nocte, an gallicantu, an mane) ne cum venerit repentè, inueniat vos dormiētes. *Iterū tertiò cōcludit:* Quod autē vobis dico, omnibus dico, Vigilate. *O bone Ieſu viuorū & mortuorū iudex, cuius verba, cœlo & terra tranſientibus, non vtiq; tranſibūt, dū viuimus precamur ſupplices, ſic tua facias gratia vigilare, ne nos dormiētes inuenias cū veneris iudicare. Cui cū patre & ſpū ſancto, eſt honor, gloria & imperiū in æternū. Amē.*

ERat autem paſcha & azyma,poſt biduum, & quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ quomodo eum dolo tenerẽt,& occiderent. Dicebant enim: Non in die feſto: ne fortè tumultus fieret in populo. Et cum eſſet Bethaniç in domo Simonis leproſi,& recumberet,venit mulier habẽs alabaſtrũ vnguẽti nardi ſpicati pretioſi,& fracto alabaſtro effudit ſuper caput eius: Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos,& dicẽtes: Vt quid perditio iſta vnguẽti facta eſt:Poterat enim unguentum iſtud venundari pluſquàm trecentis denarijs,& dari pauperibus. Et fremebant in eam. Ieſus autẽ dixit:ſinite eam, quid illi moleſti eſtis? bonũ opus operata eſt in me:ſemper enim pauperes habebitis vobiſcũ,& cum volueritis poteſtis illis benefacere, me autem nõ ſemper habebitis. Quod habuit hæc,fecit,præuenit enim vngere corpus meũ in ſepulturã. Amẽ dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mundo, & quod fecit hæc , narrabitur in memoriam eius.

Paſsionẽ dñi noſtræ redemptionis pretiũ,quadrupliciter conſiderare poſſumus:nempe quomodo per illã diuinitas dñi manifeſtatur ex ſcripturis:hoc prouidit Deus,hoc ſua ſapiẽtia ordinauit,vt in illo diuinitas Meßiæ oſtenderetur quo magis videbatur abſcõdi: & quanto inimici ſatagebant ne nomen eius amplius memoraretur,per illud amplius illuſtraretur. Mirabilis enimuerò magnitudo diuini conſilij,longè ſuperãs omnẽ humanã ſapientiã:ſic enim paßio dñi per omnes ſuos actus prophetata eſt & manifeſtata,vt nullus alius poſſet credi Meßias,niſi qui per oẽs illius paßionis actus vitã finiret. Vnde & apoſtolus Paulus Corinthijs ait: Tradidi enim vobis in primis:quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus

1.Cor.15.

tuus eſt pro peccatis noſtris ſecundũ ſcripturas, & quia ſepultus eſt. Iſto igitur primo modo poſſumus dominicã conſiderare paſſionem, & ſecundùm iſtam rationẽ de illa diximus, in noſtro ſuper Mat. cõmentario: Secũdò autẽ poſſumus illã conſiderare ſecundũ quod eſt à nobis meditanda & ſentienda, iuxta illud beati apoſtoli Pauli ad Philippenſes: Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Et iſto ſecundo modo, nunc de illa ſecundũ Marcum diſſeremus. Tertiò poteſt conſiderari ſecundũ quòd eſt moralis inſtructio noſtra. Quartò quomodo per illam Deo & eius honori eſt ſatisfactũ, & nos redempti ſumus. Quoniã igitur de modo illã ſentiendi in cordibus noſtris dicturi ſumus, primò debemus humanitati Ieſu compati, conſiderantes quomodo ille in corde ſuo dolebat de ingratitudine illius, quẽ ſibi elegerat populi: & de filiorũ Abrahæ obcæcatione & dãnatione: & de illius Iudæ diſcipuli perditione. De omnibus his longè ante ingemuit in ſpũ ſancto David, dicens: Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, Philip. 2. Pſal. 54.
ſuſtinuiſſem vtiq; Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecũ dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cũ conſenſu. Iam quidẽ appropinquabat, poſt biduũ paſcha, & quærebant ſummi ſacerdotes & ſcribæ, (*idem referunt Matth. & Luc.*) quomodo eum dolo tenerent & occiderent: *cupiebant tamen id fieri extra diem feſtum, ne fortè tumultũ in populo excitarent: Non timebant occiderẽ, ſed timebant populi tumultum, neſcientes non poſſe agnum immaculatum à tot ſeculis in agniculis paſchalibus præfiguratum immolari, niſi in die feſto. Nam propter hunc diem feſtum, illud paſchale Iudæi à tot ante ſeculis ſolenne celebrabant feſtum: non abſque ratione exiſtimare poſſumus, dominum hunc diem feſtum magna cum animi anxietate, ſecundùm humanam naturam expectaſſe. Qui enim iam proximus paſſioni cœpit pauere & tædere, non dubium eſt quin afficeretur triſtitia, conſiderans quæ*

paſſu-

paſſurus erat, cui omnia præ oculis manifeſta erant: nouerat enim concilium principum, ſacerdotum, ſcribarum & ſeniorum: nouerat Iudæ proditoris diabolicam traditionem, & omnia ſimul ſciebat, quæ ventura erant ſuper eum, de quibus ſatis contriſtabatur: nihilominus tamen libentiſſimè propter Dei honorem, & patris obedientiã, noſtramq; ſalutẽ, ſeipſum morti offerebat. Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, quẽ à lepra ſanauerat: hoc intelligendũ eſt, ſex diebus ante feſtum paſchæ, ſecundum Ioannẽ cap. 12. cõtigiſſe: dicit enim: ante ſex dies paſchæ. Sed Marcus & Matth. narrant conſilium vltimum de morte domini, per ſcribas & ſacerdotum principes in domo Caiphæ habitum: deinde reuertuntur ad effuſionẽ vnguẽti, in illa cœna in domo Simonis leproſi facta, quo rectius poſſint Iudæ traditionẽ, & dominicæ paſſionis exordium ſcribere: Quẽadmodum Matth. dum genealogiã velit ſaluatoris texere, primò dixit, filij Dauid, deinde Abrahã, cum multis prius cẽtenis annis Abrahã fuerit quàm Dauid. Tumultus porrò populi quẽ timebãt huc peruenit, vt omniũ beneficiorũ acceptorũ ingrati, nõ ſolũ ſe ad impediendã dñi paſſionẽ opponerẽt, verum etiã, quia mutabiliſſimi ſunt, crucifixionẽ dñi, & Barrabæ abſolutionẽ excelſis clamoribus poſtularẽt: populis nõ eſt fidendũ. Et cũ eſſet Bethaniæ, hoc inferiore loco poſuit Euãgeliſta, cum primò factũ fuiſſet conciliũ principum ſacerdotũ & ſcribarum, fuit ſiquidẽ biduo ante paſcha, videlicet feria tertia poſt dominicã palmarũ, quo poſſint (prout diximus) Iudæ traditionis, & dominicæ paſſionis exordium & ordinẽ, rectius & ſine interuallo narrare. Cũ *igitur* eſſet *Ieſus* Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recũberet, venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati precioſi, & fracto alabaſtro effundit ſuper caput eius. *Hanc Mariam Magdalenam fuiſſe, teſtatur beatus*
Ioan. 12. *Ioannes. In Bethania vidimus domum Martæ, & domũ Simonis leproſi, qui videlicet fuerat leproſus: Marta dominabatur Bethaniæ: in iſto oppido adhuc ſuperſunt veſtigia domus eius: domus*

verò

verò Simonis huius qui fuerat leproſus & à domino ſanatus, adhuc extat reædificata: Hic Simon vel erat conſanguineus Martæ vel amicus, nempè dum ille cœnam Chriſto facit, Marta domum Simonis ingreſſa miniſtrabat, & Maria hoc, de quo loquitur Euangeliſta, Chriſto domino vnguenti obſequium impendit. Vnguentum erat de ſpicis nardi compoſitum, quæ maiorem præſtant odorem quàm ipſa nardi folia: hoc dicit Ioannes piſticum, hoc eſt fidele, pretioſius quàm cætera ex folijs nardi compoſita vnguenta, quoniam erat ſecundùm Marcum ſpicatum. Nardus herba eſt humilis, fortè illa eſt quæ apud Cyprum habetur in pretio, odorifera ſatis, quam vidimus & manibus attrectauimus: Quòd autẽ dicit quoſdam indignè ferentes, apoſtoli fuere: primus Iudas ſecundùm Ioannem, deinde omnes diſcipuli ſecundũ Matth. & hic Marcum. Iniquus vnus, prouocat aliquando etiam bonos: quod apoſtolus Paulus dicebat Corinthijs: Modicum fermentum totã maſſam corrumpit. Et fremebant in eam, *Quã excuſauit dominus: Quin etiam dixit, hoc factũ ſemper tanquam bonum & piũ, memorabile permanere in laudẽ huius mulieris. Quod ſupra dixi cap. xij. de vidua mittente in gazophylaciũ duo minuta, quæ à domino laudatur, confirmatur iterum nũc à domino: Hoc eſt ea quæ in templis, altaribus, & vaſis quibus dominica tractantur myſteria expenduntur, Deo eſſe accepta.* Poterat *dixit Iudas, dixerunt & diſcipuli,* hoc vnguentũ venundari pluſquã trecẽtis denarijs, & dari pauperibus. *dñs autẽ dicit,* bonũ opus operata eſt in me, *pauperibus ſemper poteſtis ſubuenire, me autẽ nõ ſemper habebitis: hæc ex deuotionis feruore hoc obtulit, & laudabiliter fecit:* præuenit enim vngere corpus meũ in ſepulturã. *vnde & dñs laudat, quæ in obſequiũ ſepulturæ ſuæ erãt expẽdenda, vnguẽti per Nicodæmũ, mirrhæ & aloes quaſi libras centũ. Conſidera & corde rumina, quanta cũ triſtitia dñs hanc vnctionẽ defendit, memor mortis & ſepulturæ ſuæ, quæ iã appropinquabant. Cui cũ patre & ſpũ ſctõ, eſt honor, gloria, & imperiũ in æternũ. Amen.*

Tra-

TRACTATVS. II.

In cap. XIIII. beati Marci.

ET Iudas ſchariotes, vnus de duodecim, abijt ad ſũmos ſacerdotes, vt proderet eũ illis. Qui audiẽtes gauiſi ſunt: & promiſerũt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat, quomodo eum opportunè traderet. Et primo die azimorũ, quãdo paſcha immolabant, dicũt ei diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi comedere paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dixit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenã aquæ baiulãs, ſequimini eum, & quocunq; introierit, dicite domino domus, quia magiſter dicit: Vbi eſt refectio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem: Et ipſe vobis demonſtrabit cænaculum grande ſtratũ, & illic parate nobis. Et abierũt diſcipuli eius: & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt ſicut dixerat illis, & parauerunt paſcha. *Pauca hic annotanda ſunt, cum ſiquidẽ hæc litera tres tantummodo breues contineat ſententias: Iudæ ſcilicet proditionem: Domini de paranda paſcha iuſsionem: & diſcipulorum obedientiam. Nullis poteſt verbis explicari hæc Iudæ traditio, quandoquidem nihil minus illi dominus contulit ac cæteris apoſtolis: miſſus eſt cum illis ad prædicandum in nomine Ieſu, cũ cæteris miracula eſt operatus, audiuit dominum prædicantem, vidit tot mirabilia operantem, cum illo toto tempore prædicationis ſuæ conuerſatus eſt: illi etiam commiſit pecuniarum vſum in ſuis & apoſtolorum neceſsitatibus expendendarum: nihil mali legimus illi illatum, nullam à domino eſt iniuriam paſſus: non illum aliquando legimus grauiter increpaſſe. Vnde ergo illi cõgeſta eſt tãta malitia? vnde tãta fraus in cor eius immiſſa? per quã portã, per quã feneſtrã, per quã rimolã Satanas introiuit in cor eius, vt traderet magiſtrũ ſuũ, dñm ſuum, agnũ manſuetiſsimũ, puriſsimũ hominẽ, Deum verum? obſtupeſcit natura, areſcit cor, hebetãtur ſenſus,*

deficit

deficit cogitatio. inueſtigare, vnde huic Judæ proditori tanta ſit oborta nequitia? Beatus Ioannes illum dicit furem fuiſſe, quando mulieri vnguentum fundenti ſuper caput domini indignatus eſt, dicens: Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas ſchariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecentis Io.12. *denarijs, & datum eſt egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Et ſequenti cap. cùm accepta de manu do-* Io.ca.13. *mini buccella panis exijſſet, dicente domino: quod facis fac citius. Quidam enim, inquit Ioa. putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtũ: aut egenis vt aliquid daret. Non inuenimus aliam cauſam tanti ſceleris perpatrandi, niſi hanc ſolam, indignatum ſcilicet fuiſſe, quia pecunia illa poterat, ſi venderetur vnguentũ, in manus eius peruenire. multæ aliæ fortè cauſæ præceſſerant, quia fur erat, & cor eius non erat rectum cum domino, ſed temporalia lucra quærebat. Vide cupiditatis periculum: quantũcunq; approximes Chriſto & in eius ſocietate viuas, & cum illo & ſanctis apoſtolis conuerſeris. Hinc etiam aduertendum eſt, quemadmodum dominus habuit proprium in communi: Iudas pecuniam quæ domino mittebatur in loculis portabat, & de illa quæ neceſſaria erant emebantur, & eleemoſynæ elargiebantur. Hinc etiam peruenit illa beata apoſtolorum conſuetudo, qui pretia ſubſtantiæ, eorum qui fidem ſuſcipiebant Hieroſolymis in communi reponentes, vnicuique diſtribuebant, quemadmodum cuique opus erat. Obſtructum igitur eſt os loquentiũ aduerſus noſtri temporis religioſos viros, qui cũ poſſeſſiones habeant in cõmuni, diſtribuuntur à præpoſito illorũ, prout vnicuiq; opus eſt.* Et primo die azimorum, quãdo paſcha immolabant, dicũt ei diſcipuli: quo vis eamus & paremus tibi comedere paſcha? *Idẽ beatus Mat.* Mat.26. *ait: Prima autẽ die azimorũ, acceſſerũt diſcipuli ad Ieſum, dicẽtes: & Luc. Venit autẽ dies azimorum, in qua neceſſe erat occidi*

paſ-

paſcha, & miſit Petrum & Ioannem. Hæc idcirco coniunxi ex omnibus Euangeliſtis, vt græcorum error innoteſcat, dicentium, dominum præueniſſe paſchæ celebrationem, eo quòd beatus Ioannes ait de Iudæis: Ipſi nō introierunt in prætorium vt non contaminarentur, ſed manducarent paſcha: obliti in hoc legis, quæ ſeptem diebus præcipiebat manducari azima, & omnes dicebantur feſtiui & paſchales: & ſi die prima agnus occidebatur & mãducabatur vnà cũ azimis & alijs ceremonijs, quæ in lege præſcribuntur: Ecce igitur quomodo tres Euangeliſtæ apertiſſimè oſtendunt, dñm prima die azimorũ, quãdo agnus immolabatur, cũ diſcipulis celebraſſe paſcha, quemadmodum ſacroſancta tenet Romana mater eccleſia. & mittit duos ex diſcipulis ſuis, *hi ſecundum Lucam fuere beatus Petrus & Ioannes, dato ſigno hominis baiulantis lagenam aquæ, qui accepto ſigno progredientes, hominem inuenerunt lagenam aquæ baiulantem, quem ſequuti introierunt in ampliſſimã domum, quæ vſque hodie permanet in monte Syon, in quo præcipua pars Hieruſalem tunc continebatur: hunc hoſpitem vel Ioſephum ab Arimathia, vel Nicodæmum ſuſpicantur nonnulli, quoniam diſcipuli domini occulti erant. Signa Chriſti ſigna vera ſunt: cœlũ & terra tranſire poterunt, verbum autem domini verum permanet in æternum. Non dubium eſt, Petrum & Ioannem conſideraſſe ſigni inuentionem, & animum patrisfamilias, qui gaudio magno obtulit domum & omnia ad celebrationem paſchæ neceſſaria. Non legimus vnquam dominum elegiſſe ad paſchæ celebrationem palatium ampliſſimum, & domum ſtratam niſi nunc, eo quòd alind maius erat ibi celebrandum ſacrificium, corporis ſcilicet & ſanguinis eius, quod tandiu præfigurauerat agnus ille paſchalis, tot ceremonijs celebratus. Fœlix hoſpes, fœlix domus, in qua dominus diuiniſſimũ ſui corporis & ſanguinis ſacrificiũ primò celebrauit & inſtituit: ibi ordinati ſunt apoſtoli ſacerdotes ad hæc diuina myſteria peragenda, ibi in illis, omnibus ſacerdotibus dictũ eſt: hoc facite in*

meam

meam commemorationem. Memoriale enim eſt paßionis domini, & omnium eius actionum, & totius vitæ rememoratiuum ſingulare: ideo arbitror præcipuos apoſtolos, ad paſcha parandū deſtinatos à domino fuiſſe, Petrum ſcilicet & Ioannem, quoniā agno materiali finis erat imponendus, & quod per tot centenos annos præfigurauerat immolandum incruentè in cœna, cruenter verò ſequenti die in cruce immolatum eſt. Beati diſcipuli Petrus & Ioannes parauerūt paſcha, nihil hæſitantes de ſigno, nec aliud quicquam à domino requirentes: Hæc eſt obedientiæ fides, vera enim obedientia neſcit dicere quare, ſed velut manſuetiſsimum animal dorſum oneri muta ſupponit: hoc eſt quod dicebat David: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. In Pſal.72. *Dei igitur obedientia ſemper viuamus, maioribus noſtris fideliter ſubdamur: vbi enim vera obedientia eſt, ſecuritas eſt: nō enim qui fideliter obedit errat, iubens errare poteſt. ecce dominus factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium in æternum. Amen.*

TRACTATVS. III.
In cap. XIIII. beati Marci.

VEſpere autē facto, venit cum duodecim. Et diſcūbentibus eis & manducātibus, ait Ieſus: Amēdico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui māducat mecū. At illi cœperūt cōtriſtari, & dicere ei ſingillatim: Nūquid ego? Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecū manū in catino: & filius quidē hominis vadit, ſicut ſcriptū eſt de eo: Væh autē homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicēs fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum.

Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur: Amen dico vobis, quòd iam non bibā de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. *Ingreſſus eſt dominus domum à Bethania veniens, illam vtique fælicem domum, quam tanto myſterio celebrando dominus elegerat, recubuit, edere cœpit vnà cum diſcipulis paſchalem agnū: Quanta affectus fuerit dominus triſtitia videns ſe in catino figuraliter die craſtina immolari, ſequētia verba demonſtrant. Cum igitur cœnaret ait diſcipulis ſuis triſtiſsimi verbum:* Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. *Audierant ſancti diſcipuli dominum de ſua morte ſæpe loquutum, vltimò autem paucis poſt diebus idem repetentem, quando Iacobus & Ioannes dexteram & ſiniſtram in regno eius petierunt, nunquam tamen hoc verbum illis palàm dñs eſt loquutus, videlicet, vnus veſtrum me traditurus eſt. Turbati vehementer ſunt, & non quēadmodum quando Petrus pro omnibus reſpondit, quærenti domino: Quem me dicunt homines eſſe filium hominis? ſed ſigillatim vnuſquiſque eorum quæſiuit, nunquid ego? triſte nuncium in tanto paſchali gaudio, nō dubito quin aliqui eorum ſecretò ſingultus & lachrymas funderent, alij ſtupefacti non poſſent repetere cibum, præcipuè cùm dominus, quærentibus illis, nunquid ego? non aliud reſpondit, quàm eorundem verborum confirmationem repetens: vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, quo arbitror eos maiori affecto fuiſſe triſtitia. Nos igitur cum domino & ſanctis apoſtolis triſtemur, & in penetralibus cordis noſtri reponamus illam, quam dominus triſtitiam habuit hæc dicens, & qua ſunt affecti apoſtoli hæc audientes. Aderat Iudas traditor, qui vnus erat ex diſcumbentibus, cuius faciem non dicit Euangeliſta fuiſſe rubore ſuffuſam, neq; illum confuſum, ſed perfricata fronte, corde maligno cū cæteris edebat. Ne autem miſericors dominus deeſſet ſolito ſuæ*

pieta-

malignum Iudam reuocaret ab incepta traditione,pœnam quam habiturus erat eius traditor adiungit,dicens:& filius quidem hominis vadit,ſicut ſcriptum eſt de eo.Væh autem homini illi per quem filius hominis tradetur:bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. *Nihil amplius dici potuit ad reuocandũ proditoris animum:appoſitæ ſunt illi ſcripturæ,filius hominis ſecundum quod diffinitũ eſt vadit:quo audito attenderet eum,qui moriebatur ſecundum ſcripturas,illum Meſſiam & Dei eſſe filiũ: attenderet quòd & ſi dominus voluntariè pati volebat,non defuturum alium proditorem ex Iudæis,ne vellet ipſe qui diſcipulus eius erat tanto maculari ſcelere,& ſuũ,qui ad ſalutẽ à domino vocatus & electus fuerat,in ſuam damnationem apoſtolatum commutare:illumq; reddebat certiorem, vtilius illi futurum de matris ventre non in lucem prodijſſe,quàm inceptam traditionem conſumare,quoniam præſciebat dominus illum ſe ſuſpenſurum laqueo,& perpetuò horribiles in inferno cruciatus paſſurũ.Infœliciſſimus homo,nullis blanditijs,nullis terroribus à concepta malitia reuocatur:dominus autem quoniã iam tempus aderat illi agno,quem ederat finem imponendi,accepit panem:& quoniam illa nocte & ſequentibus ſeptem diebus,azimũ & non fermentatum ſecundum legem,tenebantur Iudæi edere panẽ,panis iſte à domino conſecratus azimus panis erat:hoc notatũ ſit contra græcorum fatuitatem,qui in azimo conficiunt,tenentes erratam ſententiam circa domini cœnam,quam iam ſuper illud verbum, & primo die azimorũ quando paſcha immolabant,diluimus.* Accepit *igitur* panem *dominus*,& benedicens fregit,& dedit eis, & ait:Sumite hoc eſt corpus meũ.Et accepto calice gratias agẽs dedit eis:& biberũt ex illo oẽs.Et ait illis:hic eſt ſanguis meus Gen.1. noui teſtamenti,qui pro multis effundetur. *Data eſt homini in paradiſo eſca cũ cæteris animantibus terræ,dicente domino Deo: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis*

ſui,vt ſint vobis in eſcam,& cunctis animantibus terræ. Poſt diluuium verò conceſſit dominus Noë piſcium & carnis eſum: Gen. 9. Omnes,inquit,piſces maris manui veſtræ traditi ſunt,& omne quod mouetur & viuit,erit vobis in cibum: Nunc autem dãtur nobis in hac ſacra cœna,non arborum poma,non piſcium & animalium carnes,ſed ipſa vera Chriſti caro,& verus eius ſanguis. Neque enim eſt lingua nec calamus,qui poſſit huic tanto myſterio,prout decet, deſeruire:deficiũt verba, obmuteſcit lingua, tremit corpus,obſtupeſcit cor,dum audit homo Chriſtum dominũ dicentem:hoc eſt corpus meũ:hic eſt ſanguis meus:& quod æquæ miſerationis & inæſtimabilis doni eſt verbum,ſummite:& cũ dicit,hic eſt ſanguis meus,biberunt ex illo omnes. O inæſtimabilis dilectio charitatis,paſtor æternus ſuo proprio corpore & ſanguine paſcit oues. Si adorandum inſtitueret ſacratiſſimi corporis & ſanguinis ſui ſacramentum, vt nobiſcum maneret in noſtram adorationem & ſalutẽ, opus inæſtimabile eſſet: Verum enimuerò non hoc eius dilectioni ſatisfecit,cùm non tantum adorandũ(hic enim etiã ab angelis honor tanto ſacramento debetur) ſed ſumẽdum traditur corpus & ſanguis,qui pro nobis ſuſceptus, paſſus & effuſus eſt. Nunquã à mentibus fideliũ hæc tria verba amonenda ſunt,pro nobis Dei filius corpus ſuſcepit,tradidit & ſanguinem fudit: ô inenarrabilis ſententia: ô adorandum & tremẽdum ſacramentum: ô omni gratiarũ actione,& vitæ inculpabilis inſtitutione reddenda dilectio? De hæreticis autẽ nihil prorſus in hac parte loquendum,cùm vſq; hodie nec natus fuerit nec naſcetur,qui poſſit his verbis veritatis reſpondere, hoc eſt corpus meũ: hic eſt ſanguis meus. Dent nobis alia verba,quibus Chriſtus dominus verus Deus,poterat explicare expreſſius, ſeipſum in hoc diuiniſſimo ſacramẽto contineri,garriant, fugiant, ſubterfugiũt, vt licentiam accipiant peccandi,negantes ſacramentum hoc ſanctiſſimum: ego credo illi qui dixit, hoc eſt corpus meũ: hic eſt ſanguis meus: ſine hæſitatione adhæreo veritati verbi diuini, dicẽtis:

hoc

*hoc eſt corpus meum:& hoc facite in mei memoriam:præcipit facere,& dicit:hoc eſt corpus meũ:hic eſt ſanguis meus. Quid igitur alia eſt interpretatio audienda? cum ipſe vulgaribus verbis dixerit:hoc eſt corpus meũ:hic eſt ſanguis meus.*iam, *inquit,* non bibam de hoc geniminevitis, vſque in diem illum, *videlicet in die reſurrectionis,*cum illud bibam nouum in regnó Dei.*Reſurrectionem ſuam & gloriam,dicit regnum Dei:Vbi cum patre & ſpiritu ſancto, viuit & regnat in æternum. Amen.*

TRACTATVS IIII.
In cap. XIIII. beati Marci.

ET hymno dicto,exierunt in mõtẽ Oliuarũ. Et ait eis Ieſus:omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta,quia ſcriptũ eſt:Percutiam paſtorẽ,& diſpergentur oues.Sed poſtquã reſurrexero,præcedam vos in Galilæam.Petrus autẽ ait illi:& ſi omnes ſcandalizati fuerint,ſed nõ ego.Et ait illi Ieſus: Amẽ dico tibi,quia tu hodie in nocte hac,priuſquã bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.At ille amplius loquebatur:Et ſi oportuerit me ſimul cõmori tibi,non te negabo. Similiter autẽ & omnes dicebant.Et veniunt in prædiũ,cui nomen Gethſemani: Et ait diſcipulis ſuis:Sedete hic,donec orem.Et aſſumpſit Petrum,& Iacobum,& Ioannẽ ſecum,& cœpit pauere,& tædere. Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem:ſuſtinete hic,& vigilate.Et cũm proceſsiſſet pauſulum,procidit ſuper terram,& orabat vt ſi fieri poſſet,tranſiret ab eo hora,& dixit:Abba pater,omnia tibi poſsibilia ſunt,transfer calicem hunc à me:ſed non quod ego volo,ſed quod tu. Et venit,& inuenit eos dormientes.Et ait Petro:Simon dormis?non potuiſti vna hora vigilare? Vigilate, & orate,vt non intretis in

tentationem: ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Et iterum abiens orauit, eundem ſermonē dicens. Et reuerſus, denuò inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorū grauati) & ignorabant quid reſponderent ei. Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam, & requieſcite. Sufficit: venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorū. Surgite eamus Ecce qui me tradet, propè eſt. *Gratias egit dominus poſt cœnam illam ſolēnem, in qua ſui corporis ſanctiſſimi, & ſanguinis precioſiſſimi ſacramentū inſtituit. Nos igitur ſemper in gratiarum actione maneamus. Sunt qui dicāt in cantu redditas fuiſſe has gratias Deo, & hoc aiunt ſignificare hymnum: Scriptū quippe eſt: In die mandauit dominus miſericordiam ſuam, & nocte*
Pſal. 41. *canticum eius. Et in eodem pſalmo: Tranſibo in locū tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei: in voce exultationis & confeſsionis, ſonus epulantis. Hæc omnia ſignant in cantu, ſolemniter, celebraturos ſacerdotes, myſteria corporis & ſanguinis domini.* Exierunt in montem Oliuarum, *hoc eſt ad radicem ipſius montis (prout vidimus vltra torrentem Cedron)* & ait eis Ieſus: Omnes vos ſcandalizabimini in me in nocte iſta, quia ſcri-
Zacha. 13. ptum eſt: percutiam paſtorem, & diſpergētur oues. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. *Galilæa, mōs eſt monti Oliuarum vicinus, ſed non ita altus: ibi Galilæi, venientes Hieroſolymas ad ſua peragenda negotia, ne perturbarentur in ciuitate (parui enim pendebantur Galilæi à Iudæis: ſcrutare ſcripturas, quia à Galilæa propheta non ſurgit, dixerunt Nicodemo principes & phariſæi, Ioan. 7.) fabricauerunt ad manendum domum, ibique vſque hodie reædificata cernitur, vnde dictus eſt mons Galilææ: Illa igitur eſt Galilæa, de qua dominus dixit, præcedam vos in Galilæam. Petrus feruido amore, quo ſemper Chriſtum eſt proſequutus, non potuit ſuſtinere verbum, quo dicebatur ſcandalum omnes paſſuros in illa nocte, & reſpondit: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego. Verbum autem domini*

manet in æternum. Priuſquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. *Sic euenit queadmodum dicit dominus, & non quemadmodum dixit Petrus.* At ille amplius loquebatur, & ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. *Tunc alij diſcipuli idem dixerunt. Quãta anguſtia dominus tenebatur, ſequentia oſtendunt.* Veniunt *enim* in prædium cui nomẽ Gethſemani, *quod eſt ad radicem montis Olineti, vltra torrentem Cedron, & dominus dimiſit ibi octo diſcipulos, dicens:* Sedete hic, donec orem. Et aſſumpſit Petrum & Iacobum, & Ioannẽ ſecum: *qui viderant eum ſuſcitaſſe archiſynagogi filiam, viderant & illum in transfiguratione gloria circundatum, vt nunc etiam illum videant anguſtia occupatum:* Cœpit *igitur* pauere & tædere: *ſecundùm inferiorẽ portionem quantum ipſe permiſit fieri, accerſitis pauore & tædio: non enim præoccupabatur dominus, quemadmodum aliquando nos metus, aliquando triſtitia abſorbit, & nolentibus nobis præoccupant nos: dominus autẽ ſuas has anguſtias præueniebat, & ſinebat ſuam facere operationẽ, ſecundùm ipſius patientis voluntatem. Indulſit dominus portioni inferiori, ſecundùm quam patiebatur pauere & tædere: tunc quaſi qui amicis communicans ſuos dolores mitigat, ait illis:* Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ, *martyrum triſtitias ſua triſtitia abſtulit, qui gaudentes patiebantur: noſtræ etiam mortis abſorbuit in ſe triſtitiam, vt ſacramẽtis ſuffulti læti, qui diligunt Chriſtum, ab hoc ſeculo migrent. Optimè faceret ille, qui quotieſcunq; hanc domini triſtitiam in memoriam reuocaret, cum illo triſtaretur, gratias illi agens pro hac triſtitia, pauore & tædio pro nobis ſumptis.* Suſtinete hic, & vigilate: *non longè à prædio Gethſemani, vbi reliqui octo apoſtoli manſerunt, dominus his tribus præcepit ſuſtinere, vigilare & orare. Eſt ibi in eo loco ſaxum magnum, habens tres in ſuperficie concauitates longas, ſed non profundas: in vnaquaque ſedit vnus ex tribus apoſtolis, & ibi recubuerunt, & in ſummitate ſaxi capita reclinarunt: dominus*

verò proceſſit paululum, Luc. dicit hoc paululum quantum iactus eſt lapidis, & ſic vſque hodie cernitur. Ibi ingreſſus eſt dominus antrum ſubtus terram, in viuo lapide exciſum, vbi trinam fecit patri orationem: In hoc antrum cum ingrederemur, omnes tremore quodam & horrore, lachrymis meritò perfuſi ſumus, ibiq; ſuper terram procubuimus, & condolentes dolori domini, miſericordiam pro peccatis noſtris poſtulauimus. Eramus, ni fallor, duo deuiginti animæ. Venit dominus anguſtia circundatus, oratione breui, ſed efficaciſſima patri fuſa, corpore in terrã prouolutus, ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes: & Simoni qui præ cæteris fidem cum illo moriendi præſtiterat, ait: Simon dormis? nõ potuiſti vna hora vigilare? *perinde ac ſi diceret, qui vna hora vigilare non potuiſti, quomodo vſque ad mortem immobilis permanebis?* Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. *At qui indulgendum eſt fragilitati veſtræ, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma: Hoc ad diſcipulos totum eſt referendum: nempe domini caro non erat infirma ad patiendũ, ſed omni cum fiducia & fortitudine, pro patris honore, & noſtra redẽptione pati paratus erat, ideo ſemper in oratione hac trina in fine dicebat: ſed non mea voluntas ſed tua fiat. Voluntas domini quatenus naturalis erat, compatiebatur ſibi ipſi, quatenus verò rationi erat coniuncta, pati non recuſabat: cum autem ſecũdò oraſſet, reuerſus ad diſcipulos, iterum inuenit eos dormientes. Tertiò autem veniens, ait illis:* Dormite iam, & requieſcite. Sufficit: venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. *S*urgite eamus: Ecce qui me tradet, propè eſt. *Poteſtis vtique ſuper me iam requieſcere, ego vobis fortitudinem & charitatem merebor, quibus ſuffulti, etiam vos mortẽ non formidetis: Traditor eſt propè, ego meam diuinæ ſuppono ſemper voluntatem, voluntariè etiam, vt ſitis teſtes quoniam patior: ſurgite eamus in occurſum traditoris, in occurſum cohortis Romanorum, miniſtrorum Iudæorum. Surgamus ergo omnes nos, & corda leuemus à terrenis: hæc verò*

medi-

meditemur, & comitemur Chriſtum dominum in hac ſua pro nobis anguſtia ſuſcepta, vt per compaſsionẽ eius habitam paſsioni, cum illo regnare mereamur, vbi cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, per omnia ſeculorum ſecula. Amen.

TRACTATVS. V.

In cap. XIIII. beati Marci.

ET adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcharioth vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & lignis, miſsi à ſummis ſacerdotibus, & ſcribis & ſenioribus. Dederat autem traditor eius ſignũ eis, dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum, & ducite cautè. Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi: & oſculatus eſt eum. At illi manus iniecerũt in Ieſum, & tenuerunt eum. Vnus autem quidam de circunſtantibus educẽs gladium, percuſsit ſeruũ ſummi ſacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et reſpondens Ieſus, ait illis: Tanquam ad latronem exiſtis cũ gladijs & lignis, comprehendere me? Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis: Sed vt impleantur ſcripturæ. Tunc diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt: Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerũt eum. At ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis. *Præſcius dominus omnium, quæ ventura erant ſuper eum, dum diceret: ſurgite, eamus: ecce qui me tradet propè eſt,* adhuc eo loquente, venit Iudas, *mercator peſſimus,* vnus de duodecim, *cum vnum de duodecim audis: Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini, inquit beatus apoſtolus Paulus: quis non metuat, quis non totus* Philip. 2. *tremore cõcutiatur, audiẽs hæc verba vnus de duodecim? Non ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt, dixit aliàs dominus. Vnus de duodecim fit proditor, quis non contremiſcat?* Ioan. 6. *vnus de duodecim diabolus eſt, quis non vereatur? quis non cum*

metu & tremore ſuam operetur ſalutem? ipſe dux huius factus eſt exercitus, vt comprehenderent dominum. Dolorem etiam paſſioni eius addidit diſcipuli huius traditio: non dubium eſt dolorem naturaliter augeri, cum quis patitur à cognatis vel à neceſſarijs, amicis, quàm quando patitur ab extraneis. quod &
Pſal. 40. *pſalm. 40. Spiritus ſanctus per os David loquutus eſt, dicēs: Et enim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit*
Pſal. 54. *ſuper me ſupplantationem. Et pſalm. 54. Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtique: & ſi is qui oderat me ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimus, dux meus & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Voluit Dominus ex omni parte, acerbiſſimum in ſua ſacratiſſima paſſione habere dolorem, cui nos compati etiam ex omni parte debemus, cùm pro noſtra omnium patiatur ſalute. Turba igitur multa miſſa fuit à ſummis ſacerdotibus, & ſcribis & ſenioribus: Ecce ipſi legis obſeruatores, templi poſſeſſores, primarij Iudæorum, nullum de Chriſto Domino in lege promiſſo: viſis tot miraculis, & tempore impleto, quo in lege præſcriptus erat aduentus Meſſiæ, à multitudine pulueris peccatorum: denſiſſima nebula cupiditatis ipſorum nec ſolem, nec diem cernentes: atqui vndiquaque obcæcati, turbam cum duce vno de duodecim mittunt comprehendere omnium peccatorum abſolutorem. Plange peccator, dole qui hæc legis, in te ipſum Chriſti Domini dolorem transfer, & recordare quòd ex delicatiſſima corporis complexione & ingenij ſupremi acumine nullus vnquam hominum potuit ſic percipere dolores & anxietates, quemadmodum benedictiſſimus Dominus Ieſus. Traditor autem vt ſuæ iniquitatis culmen manifeſtaret, dedit eis ſignum, dicens:* Quemcunque oſculatus fuero ipſe eſt: tenete eum, & ducite cautè. *Ne fortè aliquem ex diſcipulis comprehenderent, maximè (prout quidam dicunt) Iacobum Alphæi, qui aliquan-*

quantulum in facie Domino aſsimilabatur: hoc illis præſtitit ſignum: qui quidem non reueritus eſt ſignum quod promiſerat adimplere, & nullo aliorum diſcipulorum, quorum comes fuerat pudore affectus, nullo domini rubore ſuffuſus, nullo timore Dei animo concuſsus, accedens ad dominum oſculatus eſt eum, dicens: Aue Rabbi: *gens incredula, Domino ſic diſponente,* manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum: *Ut nos à peccatorum nexibus liberaret ſe permittit ligari Ieſus, ſpiritus oris noſtri Chriſtus dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus, planxit olim Hieremias.* Hier. 4. Vnus autem quidam de circunſtantibus educens gladium, percuſsit ſeruum ſummi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam. *hic beatus Petrus fuit ſecundum Joannem: beatus Marcus Petri diſcipulus, perſonam percutientis ſiluit: tunc dominus, voluntariam volens palam fieri ſuam benedictiſsimam paſsionem, ait:* Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs & lignis, comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis? *Perinde eſt ac ſi diceret, propinquius vobis eram omni die in templo, vbi aderant ſacerdotum principes, ſcribæ, phariſæi & ſeniores, & non me tenuiſtis: hoc videlicet, quia nolebam adhuc teneri, nolebam adhuc pati, nolebam adhuc mori: non opus erat gladijs nec lignis: quem enim non potuiſtis comprehendere, cum apud vos eſſet nolentem, neque nunc poteritis, me non permittente: ſed vt impleantur ſcripturæ, quæ in lege Moyſi & prophetis & pſalmis, ſcripta erant de paſsione Meſsiæ. Non igitur manibus veſtris & fortitudini aſcribatis, quòd me nunc tenetis & pro voluntate ligatis, ego ſum qui vobis hanc permitto facultatem, quoniam tempus eſt quo redemptio electorum perficiatur, & ſcripturæ compleātur. Hoc audito, diſcipuli eius omnes, eo relicto fugerunt: nullus eorū permanſit, vt verbū domini ex Zacha. tanto antè tempore prophetatum*

adimpleretur, dicens: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. Itaque omnes diſcipuli, in principio comprehenſionis domini fugerunt, poſtea factum eſt quod Ioānes accederet, & Petrus à longè ſequeretur. Extant adhuc ſubtus terram, ſuccifis lapidibus, ſpeluncæ, quæ dicuntur latibula apoſtolorū, in deſcenſu vallis Ioſaphat, vbi erat hortus ad radicē montis Oliueti, vbi Ioſaphat vallis ſita eſt: ibi beati apoſtoli abſconditi ſunt, Iacobo minore excepto, qui latuit in ſpelunca altera, quæ eſt inter ſepulchrum regis Ioſaphat, à quo vallis nomen accepit, & ſepulchrum Zachariæ filij Barachiæ, quem occiderunt Iudæi, inter templum & altare. In his prædictis locis latuerunt beati apoſtoli, nouem: nempe Ioannes reuerſus, ſemper ſequutus eſt dominum vſque in ſepulturam: beatus Petrus in alia fouea latuit poſt negationem, quæ eſt in deſcenſu domus Caiphæ, dum itur in Ioſaphat vallem. Ab omnibus igitur diſcipulis & amicis, relinquitur dominus in captione ſua, qui ſolus poterat nos redimere, ſolus pro peccatis noſtris captus eſt. Adoleſcens autem iſte, quem commemorat Euangeliſta ſecutum dominum fuiſſe ſindone ſuper nudo amictum, vel erat hortulanus, qui crediderat, & dolore tactus vidēs dominum captum, amore ſequebatur, maximè cum dominus frequentaret hortum illum: vel alius ex aliquo horto alio, qui audito tumultu, ſurgēs ſequebatur dominum, vt videret quid nam hoc eſſet. Militibus verò exiſtimantibus illum eſſe domini diſcipulum, volentibus eum apprehēdere, ille relicta ſindone nudus profugit ab eis: Nobis nō obſcurum exemplum relinquēs, quatenus dominum ſimplici amictu ſequamur, quem etiam ſi opus fuerit, in oculos & faciē mundo reijciamus, quo ſecurius poſſimus euadere ipſius mundi captionem. Sic ductus eſt dominus, cum nō paruo ſtrepitu, qui nunc magno cum cætu angelorum ſedet ad dexteram patris, cum eodem & ſpiritu ſancto viuens, & regnans in æternum. Amen.

ET adduxerunt Ieſum ad ſummũ ſacerdotem, & conuenerunt omnes ſacerdotes & ſcribæ & ſeniores. Petrus autẽ à longè ſequutus eſt eum vſq; intrò in atrium ſummi ſacerdotis,& ſedebat cum miniſtris ad ignẽ,& calefaciebat ſe. Summi verò ſacerdotes, & omne concilium quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, vt eum morti traderent,nec inueniebant. Multi autẽ falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum,& conueniẽtia teſtimonia non erant. Et quidam ſurgentes,falſum teſtimonium ferebant aduerſus eũ,dicentes: Quoniã nos audiuimus eum dicentẽ: Ego diſſoluam templũ hoc manu factum,& poſt triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conueniens teſtimonium illorum. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium,interrogauit Ieſum,dicẽs: Non reſpõdes quicquã ad ea,quæ tibi obijciũtur ab his? Ille autẽ tacebat,& nihil reſpondit. Rurſum ſũmus ſacerdos interrogabat eũ,& dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Ieſus autẽ dixit illi: Ego ſum: Et videbitis filiũ hominis ſedentẽ à dextris virtutis Dei, & venientẽ cũ nubibus cœli. Summus autẽ ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua,ait: Quid adhuc deſideramus teſtes,audiſtis blaſphemiã,quid vobis videtur? Qui oẽs condẽnauerunt eum eſſe reũ mortis. Et cœperũt quidã cõſpuere eũ,& velare faciẽ eius,& colaphis eũ cædere,& dicere ei: Prophetiza. & miniſtri alapis eũ cædebant. *In domũ inimicorũ ducitur dñs iudicandus, qui cũ adhuc inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo,per mortem eius: quale inde iudiciũ prodeat,ſequentia indicãt. Cũ omni ſolicitudine teſtimonium quæritur aduerſus dñm, nec inuenitur: propterea lacerata eſt lex,et nõ peruenit vſq; in finẽ iudiciũ,quia impius præualet aduerſus iuſtũ,propterea egreditur iudiciũ peruerſum.* Abach.1.
Et conueniẽtia teſtimonia non erant: *nõ enim quicquã ſiniſtrũ*

repe-

reperiri potuit aduerſus innocentem: quidam autem ut complacerent principibus ſacerdotum, falſum teſtimonium dicebāt aduerſus dominum. Nota quantum nocet, principes reuelare voluntatem ſuam in malum, & aduerſus aliquē odium mente conceptum manifeſtare: non defuerunt duo falſi teſtes, qui vt complacerent principibus ſacerdotum, ferrent aduerſus dominum teſtimonium falſum, dicētes: Quoniā nos audiuimus eum dicentē: Ego diſſoluā templū hoc manu factum, & poſt triduū aliud non manu factū reædificabo. *Fatuum erat teſtimonium, & longè à veritate aberat: in initio prædicationis ſuæ, cum dominus templum ingreſſus flagello de funiculis facto, emētes & vendētes inde eijceret, Iudæi dixerunt: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?*
Ioan, 2. *reſpondit dominus: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Signum illis ſuæ reſurrectionis promittebat, & quomodo eſſet occidendus ab eis pronunciabat: ipſi enim templum eius corporis ſoluerunt, & ipſe in tribus diebus excitauit illud, à mor-*
Mat. 12. *tuis reſurgēs. Quod & aliàs dixit: Et ſignum nō dabitur eis, niſi ſignum Ionæ prophetæ: Sicut enim fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hæc igitur verba, falſè nūc interpretantes, dominum affirmant dixiſſe, ego diſſoluam templum hoc manu factū, & aliud non manu factū poſt triduū reædificabo.* Et non erat conueniēs teſtimoniū illorū. *Videns autē ſacerdotū princeps, non poſſe reperiri teſtimoniū aduerſus dn̄m, voluit ipſe auctoritate ſua, illum interrogare, & quærere ab eo, id quod præcipuè ipſi ſacerdotes, ſcribæ & ſeniores ſuſpicabantur, ſcilicet an eſſet Meſsias in lege promiſſus, quē expectabant fore filiū Dei: hoc autē voluit facere ſtās, & ſe in medio omniū collocās.* Et exurgēs ſūmus ſacerdos in mediū, interrogauit Ieſum, dicēs: Nō reſpōdes quicquā ad ea, quæ tibi obijciūtur ab his? Ille autē tacebat & nihil reſpondit. *Quia teſtimonia conuenientia non erant, & ipſi iudices hoc manifeſtè cernebāt, nō erat opus reſpōſo:*

tunc

tunc ſummus Sacerdos interrogauit eum: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Ecce quomodo quem Meſsiam expectabant futurum eſſe filium Dei, ex ſcripturis nouerant, aliàs non diceret filiũ Dei benedicti. Dominus autem reſpondit: ego ſum:*ne vnquam poſſent excuſationẽ habere à peccato ſuo Iudæi: Quin etiã dominus veritatem aliam voluit illis manifeſtare, ne vnquam poſſent dicere, ipſe nobis hoc nunquã loquutus eſt. Dixerat hoc illis aliàs dominus, cum illum lapidare vellet, eo quòd dixiſſet: ego & pater vnum ſumus, nunc etiam manifeſtè loquitur, ego ſum: Quod cum audiſſet ſummus ſacerdos, ſcidit veſtimẽta ſua, quaſi horrens verbum, & loquutus eſt omnibus aſtantibus: Quid adhuc deſideramus teſtes? notam in hoc fecit ſuam & omnium malitiam, teſtes nempe deſiderabant aduerſus dominũ: odio igitur illum perſequebantur, & ſine culpa innocentẽ capi fecerunt: & vt morti traderent, teſtes quos non habebant omni diligentia inquirebãt. Non igitur fuit pura interrogatio vt crederent, ſed omni malitia plena: ſciebant enim dominum ſecundum ea, quæ prædicauerat, reſponſum daturum. Clamat igitur:* audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. *Hoc eſt quod inquirebãt, hoc quod ſummopere ſemper optauerũt, ideo nihil amplius quærunt ab eo, ſententiam pronunciauerunt, dicentes: reum mortis eſſe. Dominus autem quãdo dixit, ego ſum, duos quos adhuc non audierant articulos fidei, pronunciauit: namque de futuro iudicio, & ſeſsione ad dexteram patris. Dixerat enim cum de ſacramento ſui corporis & ſanguinis ageret: hoc vos ſcandalizat: Si ergo videritis filium hominis aſcẽdentem, vbi erat prius? Dixerat etiam diſcipulis ſuis, de aduentu ad iudicium, ſuprà precedenti cap. voluit nunc omnibus ſacerdotibus, & ſcribis & ſenioribus, nota hæc facere, ne vnquam poſsent de ignorantia ſe excuſare: Habent igitur Iudæi Chriſtum dominum ſe filium Dei viui confitentem, iudicẽ venturũ, & ad dexterã patris ſedẽtem: Hoc totũ dixit iniquus iudex Caiphas eſſe blaſphemiã: omnes ſacer*

Ioan. 10.

Ioan. 6.

ſacerdotes,ſeniores,& ſcribæ,eum damnarunt ad mortem.Tunc de ſimul ſtantibus cœperunt conſpuere eum,& alij velauerũt faciẽ eius, & percutiebant,dicentes:prophetiza:Hæc illuſio maxima fuit inter omnes,quæ huius generis fieri poſſunt,nempe conſputio, percuſſio in facie & in collo,& velata facie dicere, prophetiza.Maxima peccata,maxima noſtra inobedientia,maximã requirebant ſatisfactionem: maximam etiam requirunt à nobis compaſſionem,cogitantes quomodo facies illa innocentiſſimi hominis,& ſummi Dei,pro nobis conſpuitur & fœdatur, colaphis percutitur,& palmis vituperatur.Nullus vnquam quantũcunq́ facinoroſus homo, dum capitur à iuſtitiæ miniſtris conſpuitur; palmis facies eius cæditur:ſolus dominus talia in ſe permittit fieri,vt nos à diaboli poteſtate, qua capti tenebamur liberaremur. Cum igitur omne illud vituperiũ pro nobis patiatur,nos in corde debemus ſummã de hoc delubrio habere compaſſionem,ſummũq́ dolorem,& noſtra pro quibus dominus talia ſuſtinet peccata non repetere: Quòd ſi contingat aliquando à fratribus cædi,patienter tolerare & indulgere: recolentes quemadmodum facies Dei & hominis Chriſti Ieſu domini conſpuitur, cæditur,& blaſphematur.Sic & dñs aliàs dixit:ſi quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & alteram: hoc eſt,eſto paratus ſi opus fuerit aliã ſuſtinere. Sic & beatus apoſtolus Paulus Corinthijs dicit:Suſtinetis enim ſi quis in faciem vos cædit.Verũ enimuerò, non multum rependimus Deo noſtro,pro eius amore parcere percutientibus, cum ipſe prior pro nobis in facie cædi paſſus ſit.Qui cũ Deo patre & ſpiritu ſancto glorioſus, viuit & regnat,& imperat in æternum.Amen.

Matth.5. Luc.6. 2.Corin. 11.

ET cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis ſummi ſacerdotis:& cum vidiſſet Petrum caleſacientem ſe,aſpiciens illum,ait:& tu cum Ieſu Nazaræno eras.At ille negauit,dicens: Neque ſcio,neq; noui quid dicas.Et exijt foras ante atriũ,& gallus cantauit.Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla,cœpit dicere circunſtantibus:Quia hic ex illis eſt. At ille iterũ negauit.Et poſt puſillum,rurſus qui aſtabant,dicebant Petro: Verè ex illis es:nam & Galilæus es.Ille autem cępit anathematizare,& iurare.Quia neſcio hominẽ iſtum,quem dicitis. Et ſtatim gallus iterum cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi,quod dixerat ei Ieſus,prius quàm gallus cantet bis,ter me negabis.Et cępit flere. *De hac trina Petri negatione,multa dicunt ſcriptores:cæterũ vt omnibus poſſimus reſponſum dare, ſecundũ ea,quæ in Mat.de hac negatione dictauimus,meminiſſe oportet nullã de hac re eſſe inter expoſitores controuerſiã, niſi tãtũmodo ex eo quòd beatus Ioã.ſcribit,cũ ipſe Petrũ introduceret in domũ Annæ,ancillã quandã oſtiariã dixiſſe Petro:nũquid & tu ex diſcipulis eius es? At ille negauit,dicens: non ſum:cũ cæteri Euangeliſtæ omnes tres Petri negationes ſcribãt in domo Caiphæ fuiſſe factas.Quibus dicendũ eſt, quòd ſanctis Euangeliſtis cura fuit,in hac re oſtendere verbũ dñi adimpletũ eſſe,quod Petro dixit:antequã gallus cãtet bis,ter me negabis:Quoniã Petrus firmiter proteſtatus eſt:& ſi oẽs ſcãdalizati fuerint in te,ſed nõ ego: etiã ſi oportuerit me mori tecũ,nõ te negabo.Cũ igitur oẽs has tres negatiões,à dño prædictas ſancti Euãgeliſtæ ſcribãt,et duas præcipuas Petrus,cũ iuramẽto & anathemate in domo Caiphæ fecerit ibi,primã quæ facta eſt in domo Annæ coniunxerũt,cũ nullã ipſi de adductione dñi in domũ Annæ mentionẽ fecerint,eo quòd dominus in domo Annæ paruam moram fecerit:tum etiam quoniã*

Annas

Annas non erat pontifex ſummus illo anno, ſed Caiphas gener eius, vbi omnes ſacerdotes, & ſcribæ & ſeniores conuenerãt: & domus Annæ & Caiphæ pro vna reputãtur domo, cum eſſent ſocer & gener Annas & Caiphas, qui tanquã pater & filius reputantur: & ſic accipiendo, quæ à beatis Euangeliſtis ſcribuntur, omnis ambiguitas tollitur. Vide etiam perſecutionem eccleſiæ in beato Petro ſignatam: perſequuti ſunt illum, primò ancilla vna, & altera: caro & ſanguis: Caro ipſa fœditate ſua, ſanguis ſanguine coniunctis, his duobus modis à carne ſuſtinet eccleſia perſequutionem non minimam: Tertia perſecutio fit ab his viris qui aſſabant, & hi coëgerunt Petrũ cum iuramento & anathemate negare. Hi ſunt homines qui omnibus modis eccleſiam perturbant, quidam hæreſes excitantes, alij ſua cupiditate res eccleſiæ inuadentes, alij ſua tyrannide multa mala faciẽtes, & ſic confuſus orbis, totus in contradictione verſatur, dum ſeculares conqueruntur de eccleſiaſticorum defectibus: eccleſiaſtici de laicorum cupiditate & luxuria. & ſic cum vnus de altero conqueritur, omnes videntes feſtucam in oculo fratrum ſuorum, non curant auferendã trabem ab oculis proprijs. Eccleſia verò patitur, hos filios in vtero cõtinens velut Rebecca ſuos filios collidentes, & dum paruuli ad-
Gen. 25. *inuicem pugnant, viſcera matris concutiuntur. Cum igitur beatus Petrus audiſſet gallum ſecundò cantantem,* recordatus eſt verbi, quod dixerat ei Ieſus. Et cœpit flere. *Commota ſunt viſcera eius recolens beneficia, quæ acceperat à domino, cui nimis ſemper fuit coniunctus, cui dominus nomen Petrus impoſuerat, cui promiſerat ſe daturum claues regni cælorum, quem ad ſe venire ſuper aquas permiſerat, cuius promiſit fidem nõ defecturam: cui primò in proxima cæna pedes lauerat: quo cum recenter vnà cum Iacobo & Ioanne in horto ſeceſſerat, & de futura paſſione tractauerat: quem ſuæ voluit transfigurationi eſſe præſentem: & ſuſcitationi filiæ archiſynagogi: quem ad paſcha parandum cum Ioãne miſerat. Et cæpit flere, amarè vtique: quem dicunt ſeceſſiſſe in quan-*

quandam foueam, quæ eſt in deſcenſu veniendo à domo Caiphæ in vallem Ioſaphat, quam vidimus: diſtantia verò à loco horti, in quo dominus captus eſt, vſque in domum Caiphæ milliaris eſt vnius: In via ſita eſt Annæ domus, ideo Iudæi voluerunt illi hanc beneuolentiam captare, cùm per eius habitationem tranſirent, dominum illi obtulerunt, tanquam inimicum ſacerdotum, rem ipſi Annæ gratiſſimã facientes, cùm iam aliàs præcepiſſent ſacerdotes capi dominũ, & miniſtri reuerſi reſpondiſſent, interrogantibus illis: Quare nõ adduxiſtis eum? nunquam ſic loquutus eſt homo. Ioan. 7. Deinde tranſierunt in domum Caiphæ, in qua dominus aſſeruatus eſt ligatus tota illa nocte, poſtquàm illuſerunt ei: quam in oratione reconciliationis noſtræ, conſumptam eſſe credimus à filio Dei, qui ſoluit compeditos: quam inſomnem pro nobis totam ligatus pertulit. Illa hora eſt, qua ad matutinum dicẽdum, viri religioſi ſomno interrupto ſurgunt, duplex recolentes myſterium, & natiuitatis domini, & eius ligationis in domo Caiphæ. Vbiq; admirandum myſterium: & illic naſcitur matris virginitate ſeruata: & hìc ligatur ipſa beatiſſima caro à virgine ſumpta: vbique illi gratiæ reddendæ ſunt, hac porrò hora, & vbi naſcitur, & vbi ligatur. Quis ille eſſet, qui illa hora in vno illorũ, ſemper corde reperiretur loco, quo poſſet vagientem infantẽ fouere, & patienti domino compati, & ad eius prouolui pedes, ibique ſuorum pleniſſimam facere confeſſionem delictorum, & lachrymis ligatos rigare pedes eius, quos ſolutos lachrymis Maria Magdalena rigauit! Non dubium quin ligatus teneretur, ſecundùm carnẽ vinculis amoris quem erga nos habebat, qui aliàs funibus teneri non poterat, niſi volens: ſolueret igitur animam ſibi confitentem & compatientem, ibique ſua facinora plangentem. Neceſſe igitur eſt, gratias pro tantis beneficijs acceptis reddere redemptori, quod tunc verè facimus, cùm nos à noſtris vitijs retrahimus, nempe voce gratias reddere, & moribus iniuriam irrogare ſaluatori periculoſum eſt, ne fortè nobis dicat dominus, quod & dixit pha-

riſæis & ſcribis: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè eſt à me. Longè ſimus à peccatis, ne elongemur à Chriſto: qui enim pro nobis talia paſſus eſt, corde & animo illi gratiæ
1. Reg. 16. *ſunt agendæ, non lingua tantum. Homines, dicit ſcriptura, vident quæ apparent, Deus autem intuetur cor. Idcirco nõ dixit Dauid, linguam contritam, & corpus humiliatum, Deus non deſpicies: ſed, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Leuemus*
Hier. 3. *corda noſtra cum manibus, inquit Hier. ad dominũ in cœlos: præſertim cùm cernimus Dei filium corde & corpore pro nobis datum, & acerbiſſima paſſione vſque ad mortem crucis traditum: Hoc ſi nũquam à mente noſtra exciderit, magnam in nobis ſalutis confidentiam generabit, vt cum dies huius caliginoſi ſeculi vltima nobis aduenerit, de eius ore poſſimus audire: Euge ſerue bone & fidelis: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS I.

In cap. XV. beati Marci

ET confeſtim manè conſilium facientes ſummi ſacerdotes cum ſenioribus, & ſcribis, & vniuerſo concilio, vincientes Ieſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudæorum? At ille reſpondens, ait illi: Tu dicis. Et accuſabāt eum ſummi ſacerdotes in multis. Pilatus autem rurſum interrogauit eum, dicens: Non reſpondes quicquam? vide in quantis te accuſant. Ieſus autem amplius nihil reſpondit, ita vt miraretur Pilatus. *Summo ma-
ne conuenerunt in domo Caiphæ ſummi ſacerdotes, videlicet ipſe
& Annas, qui quidem cum ſummū ſacerdotium perpetuò in bono
homine reſidere, ſecundum legem deberet, ipſi pecunia data ſimo-* Num 20.
*niacè ſummū ſacerdotium à Romanis vſurpauerunt: De Cai-
pha enimuerò, inquit Ioan. cum eſſet pontifex anni illius, prophe-* Ioan. 11.
*tauit. de Anna legitur in actibus apoſtolorum, in diebus Pente-
coſtes iam induiſſe ſummi ſacerdotis officium: compleuerat enim
gener eius Caiphas anni circulū, ſui ſummi pontificatus præſcri-
ptum tempus: Factum eſt autem, inquit ſcriptura, in craſtinum vt* Actuū. 4.
congregarentur principes eorum, & ſeniores & ſcribæ in Hieruſalem, & Annas princeps ſacerdotum & Caiphas & Ioan. & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali. Iam igitur Annas ſummi pontificatus officiū gerebat: Quid enim aliud faceret gens iſta ſimoniaca, quàm concilium inire aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Concilium fuit tradēdi dominum in mortem per manus poteſtatis Romanorum, quemadmodum dominus ſæpe prædixerat diſcipulis ſuis: Et tradent eum gentibus, ad illudendum & flagellandum, & crucifigendū: multaque, prout inferius dicitur, conciliati ſunt domino opponere crimina. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis, vt poſſent Pilatū inducere in mortē eius: vinciētes, *igitur* Ieſum duxerūt,

& tradiderunt Pilato. *Volentes in hoc coram populo ſe iuſtos profiteri, tanquam nihil aliud volentes, niſi iuſtitiam fieri: Cæterum hoc vocibus & clamoribus, & ſuaſionibus iniquis, & falſis obiectis criminibus, quæ probare non poterant, & Pilato illum iudicante dimitti, clamoribus inualuerunt, concitantes turbam idipſum vocibus poſtulare. Vincientes igitur dominum, quem ſi vellet tenere nõ poſſent, cum omnia ipſe haberet in manibus, & ipſos illum vincientes: tanquam manſuetiſſimus agnus ductus eſt in domum Pilati: Noluerunt ipſum dominũ cum miniſtris tantùm, & accuſatione Pilato mittere, quin imo ipſi omnes adduxerunt dominum, nec vnquam defuerunt, quouſque aſpectantibus principibus ſacerdotum, & ſcribis & ſenioribus, illum in crucem actum proprijs oculis conſpicerent, & illuderent, prout inferius dicit Euangeliſta. Magno igitur populi concurſu ducitur dominus, à domo Caiphæ in domum Pilati: per mediam ciuitatem. Diſtat enim domus Caiphæ à domo Pilati, ferè medio milliari: non dubium quin fuerit ductio hæc, ſatis ignominioſa domino, cum vulgus inconſtans videns illum vinctum, & duci à ſummis ſacerdotibus & ſcribis, tanto cum ſtrepitu, ſuſpicaretur de illo aliquod malum, quem viderant tantis miraculis, doctrina & vitæ exemplo coruſcantem. Traditur igitur dominus Pilato, illo cauſam tanti tumulti requirente, in multis cœperunt illum accuſare Iudæi. Ne nos in multis accuſemur peccatis, dominus ſe permiſit in multis accuſari: Poterat vnuſquiſque noſtrorum dicere, ego ſum qui peccaui, ego qui iniquitatem feci, ego qui in multis ſum dignus accuſari criminibus, quoniam peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt ſcelera mea, & non ſum dignus videre altitudinem cœli: Iuſtus autem iſte nihil mali fecit, qui immaculatus agnus, peccatum non fecit, nec dolus inuentus fuit vnquam in ore eius. Cæterum diuina iuſtitia permittit, peccatorum ſolutorem in multis accuſari, quoniam pro multis ſe morti offerebat, & pro innumerabilibus noſtris peccatis patiebatur. Pilatus au-*

tem

tem prius, dicit Euangeliſta, cum illũ in manus ſuas traderent Iudæi, interrogauit eum: Tu es rex Iudæorum? hoc illi oppoſuerunt ſummi ſacerdotes, & ſcribæ: Dominus autem reſpondit: tu dicis. quaſi diceret, tu ipſe hoc loqueris, ego nunquam me Regem dixi eſſe Iudæorum: & meritò vtique, qui Rex eſt regum, & dominus dominantium, & qui iam negãti populo talem ſe profeſſi ſunt non habere regem. quod & diuino præueniente ſpiritu, Daniel Daniel. prophetauit, dum de aduentu domini ſermonem faceret, dicẽs: Et 9. non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Cœperunt tunc ſummi ſacerdotes, videntes hanc primam accuſationem friuolam eſſe, accuſare eum in multis. Pilatus autem rurſum interrogauit eum, dicens: Non reſpondes quicquam? vide in quantis te accuſant. Ieſus autem amplius nihil reſpondit, ita vt miraretur Pilatus. Dominus qui omnia nouerat, ſciebat Pilatum eius innocentiam cognoſcere, & Iudæorum malitiam non ignorare: ſciebat vtique friuolas accuſationes Pilatum non latere: non erat quid reſponderet iudici iniquo, qui veritatẽ cognoſcebat, & coram quo nihil criminis oppoſiti probabatur, eorum quæ ipſe falſa eſſe nouerat. miratus eſt nihilominus domini taciturnitatem, eo quòd ſoleant vincti multa in ſuam defenſionem adducere, neque opus eſt iudici dicere: loquere, ſed tace. Conſiderandum eſt in hac domini taciturnitate, quemadmodum ipſe pro peccatis noſtris voluntariè patiens, tacet: in ſe noſtrorum ſuſcipiens chirographum peccatorum vt affigeret illud cruci, pro quibus à nobis nulla poteſt dari reſponſio: Legimus enim Regẽ, cum intraret videre diſcumbentes, videntẽ hominem ibi non veſtitum veſte nuptiali, dixiſſe: amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? at ille, inquit Euangeliſta, obmutuit. Non eſt quid reſpondere poſſimus Mat. 22. Deo, peccata accuſanti. Cum igitur dominus pro noſtris criminibus patiebatur, obmuteſcebat nihil reſpondens Pilato: primum quidem quoniam ipſi iudici eius conſtabat innocentia: ſecundò autem quoniam nihil aliud dicendum erat, pro his quibus patie-

batur peccatis, quàm non excuſare, ſed in ſe illa conſumere flamma ignis ardentis mortis ſuæ. Ecce habemus peccatores quid compatiendum ſit domino, in hac ipſa accuſatione coram Pilato, quoniam ne nos accuſaremur verè in conſpectu Dei, ipſe voluit ſe accuſari, tot falſis impoſitis teſtimonijs, quæ illi magnam inferebant iniuriam: nempe audiente populo illum ſic accuſari à primis perſonis Iudæorum, ſuſpitionem de illo ſiniſtram concipere poterat. hoc autem totum ne damnaremur dominus in ſe pertulit, quibus operepretium eſt, & hæc in nobis ipſis ſentire, & peccata pro quibus hæc patitur non reiterare, & pro commiſſis veram pœnitentiam agere, quam cum omni humilitate & dolore ad pedes ſacerdotum, qui ligandi & ſoluendi ab ipſo domino poteſtatem obtinent, debemus poſtulare, vt gratia ibi per confeſſionis ſacramentum ſuſcepta, ipſum dominum in gloria regnantem cum patre & ſpiritu ſancto, poſſimus conſpicere. Amen.

TRACTATVS II.
In cap. XV. beati Marci.

PER diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcunque petijſſent. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium. Et cum aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quòd per inuidiã tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barrabam dimitteret eis. Pilatus autem iterum reſpondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum? At illi iterum clamauerũt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: crucifige eum. *Conſuetudine Iudæorum, volens*

Pila-

Pilatus liberare dominum, quem innocentem nouerat, turbæ petenti vnum in die illo feſto, qui per ſeptem azimorum perdurabat dies, ipſe propoſuit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? *Bene nouerat falſo hoc eſſe domino impoſitum, & tanquam pro ludibrio dixit: Regem Iudæorum: Sed fortè inde meliorem expectabat ſucceſſum: ipſi namque notum erat per inuidiam ſummorum ſacerdotum, dominum eſſe traditum. Pilatus enim gentilis cùm eſſet, ſola inuidia dominum eſſe traditum ſuſpicabatur. Cæterum illud erat malitia & odio ortum, à ſummorum pontificum & ſcribarum inextinguibili cupiditate, hypocreſi, ſuperbia, & corruptiſsimis moribus, quos cùm Chriſtus increparet, eum odio crudeliſsimo perſequuti ſunt, vt ſermo qui in lege eorũ ſcriptus eſt impleatur: Quia odio habuerunt me gratis. Inuidia etiam non defuit, & hanc Pilatus præſeferebat, præcipuam fuiſſe traditionis domini cauſam. Per inuidiam igitur tradiderunt ſummi ſacerdotes dominum, per odium, per malitiam, per omne ſcelus: canes rabie concitati, agnum manſuetiſsimum deuorare volebant, ita vt nomen eius non memoraretur amplius. Cùm autem audiſſent, Pilatum abſolutioni domini eſſe propenſum,* concitauerunt turbam vt magis Barrabbam dimitteret eis. *Turba enimuerò, vulgus inconſtans, quod tot à domino beneficia ſuſceperat, & quod die præterita ſexta acclamauerat: Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini. verſa in furorem turba, & magis credens nefandiſsimis ſacerdotum principibus, quàm his quæ viderat mirabilibus à domino factis, Barrabbam poſtulauit dimitti, ſeditioſum vtique hominem, & qui in ſeditione fecerat homicidium. Pilatus iterum quærit, quid velint fieri Regi Iudæorum?* At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum: *Cùmque Pilatus iterum, illis palam innocentiam Chriſti proponeret, dicens:* Quid enim mali fecit? illi magis clamabant: Crucifige eum. *Itaq; ter clamauerunt crucifige eum. Quoniam igitur morte domini ſoluendus erat peccator, cùm innocens* Ioan. 15.

 domi-

dominus morti damnatur, ſoluitur reus Barrabbas: omnia iſta plena myſterijs ſunt. Hinc iam attende quanta iuſtitia Iudæorũ turba, cum ſuis ſacerdotibus, ſcribis, phariſæis & ſenioribus morti & vaſtationi, poſt domini aſcenſionem traditur, cùm ipſi qui à domino tot receperant curationũ & ſaturitatũ bis in deſerto beneficia, vt ſibi ſacerdotes haberẽt propenſos, omni virtute poſtpoſita, clament: crucifige eum, & dimitte Barrabbam. O turpiſſima turba, ô fœdiſſima natio, quorum fætor vſque hodie permanet, & permanebit vſque in finem, quouſque reliquiæ eorum conuertantur in toto terrarum orbe: ipſi tanquam ſtercora ab omnibus dedignantur, præcipuè ab infidelibus, qui vſque hodie conſpuunt illorum faciem, & alapis cædunt, quin etiam lignis percutiunt, & bonis, ſi venit in mentem ſpoliant. Fœlices verò qui ſacro baptiſmi lauacro ſuſcepto inter nos commorantur, cognoſcentes ipſi Meſſiam, & redemptorem omnium dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui pro omnibus mortuus eſt, vt nos ad cæleſtia regna perduceret, ſi non peccatis & prauis moribus vitam finiamus. Deus igitur qui dixit, mihi vindictam & ego retribuam: illis ſecundùm facinus in Chriſtum perpatratum retribuit, quia iam diu Dauid prophetauerat, dicens: In ducens primò innocentiam & reuerentiam Chriſti filij Dei, deinde eorum luendas pœnas per Dei ſpiritum pronuntians, ait: Tu ſcis improperium meũ & confuſionem meam, & reuerentiam meam. Nemo enim certiſſimè exprimere poteſt mortalium, reuerentiam filij Dei, nec eius improperium in paſſione, quam pertulit dignè exiſtimare. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum & miſeriam: & ſuſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur & non fuit, & qui conſolaretur & non inueni. Quoniã ſcilicet omnis clamabat turba coram Pilato, crucifige eum: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in retributiones & in ſcandalum: obſcurentur oculi eorum ne videant,

&

& dorſum eorum ſemper incurua: Infunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet: Quoniam quem tu percuſsiſti perſequuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorũ addiderunt: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam: deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Hæc omnia, quæ David ſpiritu prophetico præſcripſit, venerunt ſuper Iudæos, quæ non optandi modo accipienda ſunt à propheta eſſe nunciata, ſed modo prophetico, quæ ante futura ſunt. Optatiuo enim modo pro enunciatiuo vtitur, vt ſciant iniqui quanto digni ſunt ſupplicio: quorum pœnas ſpiritus dum prænunciat, optatiuo modo prænunciat: turba cæca, malitioſi ſacerdotum principes, iniquus Iudex Pilatus hæc fecerunt. Ille proponit quem vellent dimitti, iam quaſi ſint pares innocens dominus, cum ſeditioſo Barrabba: Sacerdotes cũ Pilatum vidẽt cunctantem, concitant turbam, turba autẽ vulgus iniquum, non ſemel, atqui ter clamat: crucifige eum. *Quid anima Chriſti domini, ſecundùm inferiorem portionem auditis his clamoribus ſentiret, facilè eſt cogitare: cùm videret illum populum, quem à ſeruitute Pharaonis eripuerat deſcendentem à tot ſanctis patriarchis, quem induxerat tot mirabilibus in terram illam, quibus veniens tanta bona contulit doctrinæ, miraculorum, manſuetudinis, exempli & innocentiæ: Qui non ſolum credere noluerunt, ſed quod peius eſt morti addixerunt. Hoc totum, quoniam pro noſtra ſalute factum eſt, in cordibus noſtris ſæpe voluere & ſentire debemus, quatenus hîc compatientes domino, mereamur cum illo regnare. Qui cum patre & ſpiritu ſancto, viuit, regnat & imperat, in æternum. Amen.*

Tra

TRACTATVS III.

In cap. XV. beati Marci.

PILATVS autem volens populo ſatiſfacere, dimiſit illis Barrabbam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam. Et cœperunt ſalutare eum: Aue Rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine, & conſpuebant eum: & ponentes genua adorabant eum. *Vir inconſtans Pilatus, huius ſeculi filius, iudex iniquus, qui cum nouiſſet Dominum innocentem, & dixiſſet, quid enim mali fecit? eo quòd populus peruerſus clamauit: crucifige eum: quando dicturus erat, ego non damno innocentes, voluit populo ſatiſfacere omiſſa iuſtitia, & dimiſit homicidam Barrabbam, Dominum verò tradidit vt crucifigeretur. Itaque priùs quàm vltimò Dominus à Pilato traderetur ad crucifigendum, flagellis cæditur: Quanta autem fuerit hæc flagellatio non dicit Euangeliſta, ſed diutinam & crudelem oportet intelligi, cùm propheta hanc annuncians,*
Pſal. 72 *dicat: Et fui flagellatus tota die. Et Eſa. ait de Meſſia: Vi-*
Eſa. 53. *dimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum, vnde nec reputauimus eum. Leproſus autem toto corpore, ſignis ſcabiei & glandinum lepræ ſpargitur, quæ in crucifixi hominis corpore ſigna non apparent, cùm tantummodo manibus pedibuſque perforetur. Conſtat igitur, tot ictibus ſibi inuicem ſuccedentibus, dominum in flagellatione fuiſſe percuſſum, vt toto*

cor-

corpore lacerato, plagis & tumoribus inde impreſſis, leproſus reputaretur: Lepra noſtra mundabatur, quæ vt ſanaretur tanto fuit ſanguine tincta, riuuli cruoris manabant vndequaque è toto corpore domini, guttulas inæſtimabilis pretij terra ſorbebat, & vſque ad laſſitudinem peccantibus nobis, prout dicit de impijs ſcriptura: laſſati ſumus in via iniquitatis, vſque ad laſſitudinem Sapiẽ. 5. *tortorum flagellatur innocens dominus. De domo Pilati per deambulatorium tranſitur in alteram partem viæ, quæ ducit à prima domo in aliam domum, in qua factam fuiſſe hanc flagellationem vſque hodie dicitur in Hieruſalem. Columna cui dominus alligatus fuit, cubiti eſt craſſitudine, ex porphido laſpidis coloris, rubeis videlicet & albis maculis tota conſperſa: ſanguine verò domini precioſiſſimo, rubeo liquore multo longè dignior facta quàm ſit ſuapte natura, colore albo rubeoque variata. Oſtenditur adhuc fragmentum quod obſeruatur Hieroſolymis, quod vidimus, adorauimus, & oſculati ſumus; cuius longitudo cubiti eſt cum dimidio: Dolore grauiſſimo dominus affectus eſt, in iſta flagellatione rigoroſa, tum propter corporis teneritatem, & delicatiſſimam complexionem: tum etiam propter militum fortem percuſſionem. Hæc ſunt peccata noſtra ô viri chriſtiani! hæc ſunt ſcelera noſtra ô viri peccatores: hæc eſt lepra noſtra ô viri legis diuinæ tranſgreſſores: tanquam agnus innocens dominus tacet, nec vox eius exauditur; corde verò & mente, hæc omnia flagella, & omnes dolores, & totum hic ſanguinem fuſum patri æterno, in noſtrorum peccatorum remiſſionem offerebat. Sic flagellatum tradidit illum Pilatus, vt crucifigeretur: milites autem quorum cauſa ignota eſt, aliam ſuper vulnerum pœnam crudeliſſimam addiderunt, vt impleretur ſcriptura: Et ſuper dolorem* Pſal. 68. *vulnerum meorũ addiderunt.* Milites *igitur,* duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortẽ, *militũ videlicet gentiliũ, quibus vnus tribunus præerat,* & induũt eum purpura; & imponunt ei plectentes ſpineã coronã. Et cœperũt ſalutare

eum:

eum: Aue rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine, & conſpuebant eum: & ponentes genua adorabant eum. *Dolor certè magnus, ſed maior iniuria: nunquam legimus ſic illuſum aliquem homicidam, vel patriæ proditorem: ſpinulæ hæ inſertæ erant iuncis marinis, eo modo quo ſunt inſertæ ſpinæ, in noſtris arboribus citreis duriſsimæ, & totum illud diuinum caput, in quo theſauri omnis ſcientiæ, & ſapientiæ ſunt abſconditi perforantibus, fundebatur ſanguis ſuper faciem & collum Ieſu, & totus eius ſacratiſsimus vultus cruentabatur: congelabantur ad inuicem capillorum cincinni, & iam ſpecioſo ſuper filios hominum non erat ſpecies, neque decor. vnde inquit propheta: Nec reputauimus eum. Huic illi inflictæ pœnæ pro noſtris reatibus, iniuria nefanda cumulatur, cùm conſpuitur, & pro regali ſceptro, arundine caput eius percutitur: adoratione illuditur dicentium militum: Aue rex Iudæorum. Nimium dolenda nobis eſt hæc domini illuſio, hæc ſpinarum corona, cùm pro vaniſsimis capitis noſtri imaginationibus, & peccatorum machinationibus, ſic caput innocentiſsimi agni cruentatur: quin etiam illuditur & blaſphematur, & ſpurciſsimis ſputis fœdatur. Ne igitur cauſeris gens hebræa, ſi inter ſpurciſsimos infideles ſputibus fœdaris, & calcibus percuteris: tu caput diuiniſsimum arundine feciſti percuti, tu feciſti ſputis vultum filij Dei fœdari. Nec hoc fecerunt milites domino, prout communiter exiſtimatur, in ſede aliqua ſedenti, ſed illum groſſæ columnæ, quæ hodie oſtenditur in templo ſancti ſepulchri, & montis Caluariæ applicauerunt: ibique pedibus aſtanti illuſerunt, & ſpinis coronauerunt. Columna eſt ibi in capella quadam obſeruata, quæ nobis fuit oſtenſa, groſſa quidem, & ex porphido viridi fabricata, quæ ad aliquam oſtentationem, ſiue ſuſtentationem in atrio prætorij erat collocata. pauperes quidam religioſi duo Maroniti, illam habent in ſua cuſtodia, ſub cancellis & ſera velo coopertam. Vtinam illam habeamus ſemper & nos in cordibus noſtris obſer-*

Eſa. 53.

obſeruatam, & ſemper oculis mentis contemplemur dominum illi applicatũ, illuſum, & ſpinis coronatum. Nota etiã quomodo paſsio domini de gradu in gradum augetur: ſi recolis quæ paſſus eſt in domo Annæ & Caiphæ, iam maiora ſunt quæ patitur in domo Pilati, & multo grauiora erunt, quæ in monte Caluario: quoniam peccata addidit genus hominum peccatis, & declinauerunt in grauiora facinora. Dominus etiam voluit addere dolorem ſuper dolorem, iniuriam iniuriæ, opprobrium opprobrio, ſanguinis effuſionem ſanguinis effuſioni: cum & iam mortuus ex eius ſacratiſsimo latere, fons ſanguinis, deinde aquæ effluxit. Quis ſapiens & ruminabit hæc? & intelliget miſericordias domini. Non igitur tantis beneficijs acceptis reddamur ingrati, ſed hæc ſemper memoria recolentes, vitam noſtram huic domini benedictiſsimæ paſsioni aptemus, & peccata vitantes, & mortificantes membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, tanti effuſi ſanguinis gratiam conſequamur & gloriam. In qua dominus cum patre & ſpiritu ſancto, viuit regnat & imperat, in æternum. Amen.

TRACTATVS. IIII.

In cap. XV. beati Marci.

ET poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & educunt illum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntẽ quempiã Simonẽ Cyrenęũ, venientem de villa, patrẽ Alexandri & Rufi, vt tolleret crucẽ eius, & perducunt illũ in golgotha locum: quod eſt interpretatum, Caluariæ locus: Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & nõ accepit: Et crucifigentes eũ, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus cauſæ eius ſcriptus: Rex Iudęorũ: *Quòd in illuſione coronationis, ſuu fuerit veſtibus*

ſpo-

ſpoliatus, & ſuper nudo purpura indutus dominus, ſequentia nunc verba oſtendunt: exuerunt illum purpura, & induerunt eũ veſtimentis ſuis. *Ter igitur nudatur dominus in paſſione ſua, cùm flagellatur, quando ſpinis coronatus, & purpura indutus illuditur, & dum crucifigitur: operepretium tertiò erat, à nobis veterem hominem expoliare cum moribus & actibus ſuis, expoliare inquam, à poteſtate diaboli, à tyrannide carnis, à violentia mundi.* Et angariauerunt prætereuntem quempiã Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, vt
Ioan. 19. tolleret crucem eius. *Meminiſſe oportet quod Ioan. dicit: Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locũ, ne fortè dubitatio inſurgat ſuper hanc crucis baiulationem, cum Simon tantùm dicatur illam baiulaſſe, quod ſic accipiendum eſt: Dominus à domo Pilati exiuit baiulans ſibi crucem, & peruenit vſque quo deſcendendo perueniatur ad viam, quæ ducit in Damaſcum, & vſque hodie dicitur porta illa ciuitatis, porta Damaſci: in hoc autem deſcenſu à domo Pilati, ferè iam appropinquantibus ad viam, quæ deſcendit à porta Damaſci, erat beatiſſima Dei genitrix cum alijs mulieribus, quæ non poterant amplius approximari domui Pilati præ multitudine populi, in quo loco adhuc extant ruinæ ſacelli, quod in deuotionem beatæ Dei genitricis Mariæ in eodem loco beata Helena, magni Conſtantini mater fecit fabricari: & dicitur beata Maria de ſpaſmo, non quia domina ibi corporales ſenſus amiſerit, ſed quia videns dominum fune ligatum, ſpinis coronatum, ſanguine vultum deformatum, comploſis manibus, oculis ſurſum leuatis, amariſſimè flere cœpit, & tanta admiratione attonita, terga in domus parietem, cui erat propinqua reclinauit. Dicunt dominum ibi, vel quia nimium feſſus erat, vel ob longitudinem tunicæ, quæ dum deſcenderet in anteriorem partem protendebatur, cecidiſſe ſub cruce: quod ſatis eſt veriſimile: vel ita lento progrediebatur gradu crucis pondere grauatus: Iudæi, ne Pilatus reuo-*

reuocaret ſententiam, & vt citius negotium concluderetur, quinque vel ſex paſſus vltra venientes in viam Damaſci, venientem de villa iſtum fœlicem Simonem Cyrenæum angariauerunt, vt tolleret crucem quam dominus humeris geſtauerat vſque in illum locum. Et ſic exiuit dominus ſecũdum Ioan. baiulans ſibi crucem, in eum qui dicitur Caluariæ locus, qui eſt mons altitudine à radice terræ viginti cubitorum: Erat autẽ extra ciuitatem, & à domo Pilati diſtabat per milliarium. Deinde iterum, quod beatus Ioã. dicit, ad eandem baiulationem ſpectat, nempe in media via huius milliarij, eſt domus illius fœlicis fœminæ, à qua exiens obtulit lineam tobaliam tripliciter plicatam domino, ad faciem tergendã ſudore & ſanguine madidam. Potuit dominus ambabus manibus ſudorẽ tergere, eò quòd crucem poſt eum adhuc portabat Simon Cyrenæus: Cum autẽ illa vidiſſet vultum domini in tobalia ſculptum, & retrouenientibus mulieribus oſtenderet, cœperunt mulieres magnis clamoribus dominum plangere & lamentari, prout dicit beatus Luc. & hoc per ſpatium quantum eſt ſagittæ iactus. Locus deinde adeſt, qui vſque hodie oſtenditur, à quo dominus vertit faciẽ ad mulieres, & illis loquutus eſt ea, quæ ſcribit beatus Luc. Cùm autem audirent Iudæi dominum mulieribus inter cætera, dicentem: Venient dies in quibus dicẽt: beati ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt: tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos: & collibus, operite nos. In quibus verbis dominus euerſionem Hieruſalem, & Iudæorũ punitionẽ prædicebat. Indignati quòd ſic loqueretur, iterum ab illo loco vſque in Caluarium, crucem illi baiulandam impoſuerũt, & Cyrenæus retrò crucis ſtipitem, manibus portando iuuabat, vt dominus facilius poſſet crucis pondus ſuſtinere. Itaque baiulans ſibi crucem, exiuit à domo Pilati dominus, & baiulans etiam in Caluarium duxit: & Simon Cyrenæus illam ſolus per dimidium milliare portauit: deinde vſque in Caluariũ ad baiulandam, domino adiutorium impendit. Pondere peccatorũ noſtrorũ

pre-

premitur ſub cruce dominus:cum Cyrenæo,illi ad leuius baiulandum adiutorium præſtemus,non nobis deerit angaria noſtra:pretium etenim ſalutis æternæ conſequemur. Cùm peruenirent in ſummitatem Caluariæ montis,erãt milites quatuor,quorum vnus ſuper ſaxum magnum locum cauabat,in quo crux affigenda erat: alter foramina vbi crux extenſa iacebat,ad manus pedeſque ſaluatoris clauis figendos faciebat: dominus in alio aſtabat loco proximus tamen,per quatuor paſſus tantũ diſtans,inter duos milites fune ligatus: & dabant ei bibere,*inquit Euangeliſta,*myrrhatum vinum,& non accepit.*Dabatur crucifigẽdis vinũ mirrhatum,eo quòd facilius vim doloris ſufferrẽt:aliquis impius Iudæus, dum vinum à milite propinatur,fel immiſit,ideo dominus non accepit.*

Mat.27. *Voluantur omnes ſcripturæ gentium,ſi talis vnquam crudelitas homini crucifigendo facta eſt? Quis nõ compatitur puniẽdis:quis non conſolatur?non(ſi opus eſt)aquam & vinũ adducit,vt refrigeret linguam patientis?ſoli domino defuit hæc conſolatio,quoniam cùm deberet myrrhato vino refrigerari & con-*

Pſal.21. *fortari,fele mixto non potuit bibere.Impleta eſt ſcriptura:Dederunt in eſcam meam fel:Fel draconum vinum eorum, prædixit*

Deut.32. *de illis Moyſes:& Hier.Circundedit me fele & labore. Ama-*

Tren.3. *ritudo peccatorum noſtrorũ,hoc ori domini fel propinauit: Quid enim peccato amarius eſſe poteſt?pro quo dominus fele potatur, ſed non ſumit: quoniam & ſi naturam ſumpſerat noſtram, ſed non culpam:ad delendum fel noſtrum,fel bibit,qui ſolus innocẽs poterat ſoluere peccata noſtra,fel non ſumit,cum guſtat pro nobis pœnas,quas pro noſtris reatibus paſſuri in inferno eramus:vt ſe ſine peccato oſtendat, fel non ſumit,pœnas noſtras ſumpſit, culpam non ſumpſit:pro alienis patitur peccatis,ideo fele vinum permixtum guſtat,ſed non ſumit. Memoremur igitur huius Iudaicæ impietatis,qua domino fel myrrhato vino permiſcuerũt, vt nunquam peccatis,pro quibus domino amariſſima porrecta eſt*

Tren.3. *potio,permiſceamur.Recordare,inquit Hier. paupertatis meæ,*

abſyn-

abſynthij & felis. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittẽtes ſortem ſuper eis, vt quis quid tolleret. *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, prophetatum eſt: erant enim ſecundum Ioan. milites quatuor, quibus datum fuit crucifigere dominum, quòd ait: fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem. Qui enim electos ſuos congregaturus erat à quatuor ventis, prout ſupra dictũ eſt, hoc eſt à quatuor mundi partibus, inter quatuor milites voluit veſtimenta ſua diuidi: tunicam autem interiorem, dicit beatus Ioannes, non fuiſſe in partes diuiſam, quoniam vna futura erat fides omnium credentium: Ait enim: fecerũt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam: erat enim tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Itaque propter tunicam miſerunt ſortem ſuper veſtes, vt quis quid tolleret, hoc eſt, vt vnà cum tunica, vnuſquiſque partem veſtium domini acciperet: qui pro omnibus patiebatur, omnibus volebat cum ſanguine & vita, veſtes etiam conferre.* Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. *Non modica exorta eſt inter graues etiam doctores, de hoc verbo beati Marci controuerſia: itaque multis verbis inſudarunt, reddere ſanctorum Euangeliſtarum concordiam: pro eo quod aiunt, dominum ſecundum Ioan. crucifixum fuiſſe hora ſexta, cum Marcus dicat: erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum: Quod equidem beatus Ioan. nuſquam negauit, nec dixit vnquam, dominum crucifixum hora ſexta fuiſſe. Ponam igitur vniuſcuiuſque Euangeliſtarum verba, vt facilius poſſimus cognoſcere veritatem: videlicet, dominum hora tertia fuiſſe crucifixum. Pro cuius clariore intelligentia aduertendũ eſt, in Iudæa aliam eſſe cõnſuetudinem horas denumerandi à noſtra diuerſam: quemadmodum etiam aliter in Hiſpania, aliter in Gallia, aliter in Italia diei horæ computantur. Iudæi igitur diſtributum habebant diem per horas ternas: à prima, hoc eſt, à ſolis ortu vſque ad tres decurſas horas, dicebatur apud Iudæos hora*

Pſal. 21. Ioan. 19. Marc. 13.

prima:tertia verò à tribus horis poſt primam, hoc eſt, vſque ad horam quam nos in Hiſpania dicimus duodecimam, hoc eſt meridiem: à meridie autem vſque ad tres decurſas horas, dicebatur hora ſexta: à tribus horis poſt meridiem, quando ſera finiebatur, vſq; ad tres alias dimiſſas horas, dicebatur nona: & à tribus poſt nonam, vſque ad ſolis occaſum dicebatur veſpera: vndecima verò dicebatur poſt ſolis occaſum, vſque ad noctis initium. Hoc manifeſtè oſtenditur apud Matth. cum dominus de patre familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam ageret: quoſdam vocauit hora prima, alios tertia, ſexta, vſq; ad vndecimam. Igitur ad horam crucifixionis domini reuertentes, inquit beatus Matth. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes: deinde ponit crucifixos latrones, addit etiam blaſphemiam Iudæorum & latronum, deinde ſubiungit: à ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt. Ecce igitur quemadmodum dominus hora tertia crucifixus eſt, cum poſtquam fuiſſet in crucem actus, beatus Matth. dicat, hora ſexta tenebras operuiſſe terram. Idem beatus Luc. ait: Et poſtquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum & latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris. & alijs interiectis ait: Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram, vſque in horam nonã. Iam igitur dominus erat crucifixus, quando factæ ſunt tenebræ, & tenebræ factæ ſunt hora ſexta. Priuſquam igitur eſſet hora ſexta crucifixus eſt, id eſt circa finẽ iam horæ tertiæ: hoc eſt quod dicunt tres Euangeliſtæ. Nunc autem videndum eſt, quid beatus Ioan. dicat: Pilatus autem, inquit, cũ audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali in loco qui dicitur lithoſtratos, hebraicè autẽ Gabbatha: erat autem paraſceue paſchæ hora quaſi ſexta, & dixit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabant: tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? reſponderunt pontifices: Non habemus Regẽ niſi Cæſarem. Tunc ergo tradidit

Mat. 20. Mat. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

dit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum & eduxerunt eum, & baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locũ, hebraicè autem golgotha, vbi eum crucifixerunt. Nihil enim aliud beatus Ioan. de hora, qua crucifixus eſt dominus loquutus eſt, præter hoc tantummodo verbum, quando iam Pilatus dominum morti damnabat: Erat hora, inquit, quaſi ſexta. Voluerunt igitur aliqui ſic diſcurrere, quando Pilatus dominum Iudæis crucifigendum tradidit, erat hora quaſi ſexta. Igitur cum perductum eſt ad caluarium, & dominus crucifixus eſt, erat perfecta hora ſexta: In hoc non omninò rem æqua lance perpenderunt, cum tres Euangeliſtæ dicant, dominum hora tertia crucifixum: duo Matth. & Luc. ante ſextam, hæc eſt tertia: Marcus verò hora tertia. Dicendum igitur eſt, cum inter tertiam & ſextam tres horæ diſcurrerent, quod beatus Ioan. ait: erat hora quaſi ſexta, poſt horam cum dimidia, & eo aliquid amplius temporis diſcurſum dicit verè, erat hora quaſi ſexta: adhuc tamen vſq; ad ſextam, hora vna cum tertia parte alterius deerat, vt eſſet plenè hora ſexta: Inter hoc autem ſpacium, dominus peruenit in Caluarium, Et crucifixus eſt: & cum eſſet leuatus in crucem, breui decurſo tempore, facta eſt hora plenè ſexta, à qua vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram. Cauſam ipſius poſuit Pilatus ſuper crucis ſtipitem, Rex Iudæorum, *nomen domini Marcus ſiluit, qui in iſta inſcriptione continebatur, eo quòd præcipua cauſa quæ domino falſò impoſita fuit, hæc erat, Rex Iudæorum. Mirabile eſt quod vidimus, in eccleſia ſanctæ crucis in Hieruſalem, cum finito ſacro concilio Tridentino, ſub nunquam interitura memoria beatiſſimi Papæ Pij. 4. Romã nos contulimus, ad limina beatorum apoſtolorum viſitanda, & tanti ſummi pontificis pedes exoſculandos: ibi enim dum nobis crucis ſanctiſſimæ pars, & tabella, in qua cauſa domini literis græcis, latinis & hæbraicis fuit conſcripta oſtenderentur, hæc dictio Iudæorum, abſtracta non arte ſed diuino con-*

ſilio fuit, in omnibus in quas in ſcriptis redacta erat linguas. Itaque tantummodo nunc hæc habentur verba: Ieſus Nazarenus Rex: tanquam oculis nobis oſtendatur prophetia Danielis: Et non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Qui enim illum negauerunt, non iuſtum eſt dici Regem eorum, atqui regẽ omniũ, quæ cœli & terræ ambitu continentur: Rex regum & dominus
Mat. vlt. *dominantium, ille qui dixit, poſtquàm ſurrexit à mortuis, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Sed nunc ad domini crucifixionem reuertamur, quam breuiſſimis nobis verbis beatus Euangeliſta propoſuit, dicens: Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Breuiſſimis continetur verbis, quod dominus paſſus eſt longiſſimis doloribus. Eſt quidem in Caluario monte locus, vt prædiximus, in quo crux perforabatur à milite: diſtat à ſummo lapide, vbi crux fixa erat domino iam crucifixo, paſſus ſeptem: ibi in terra fuit dominus cruci affixus, groſſis ſatis & quadratis clauis: Deinde quatuor milites, dominum cruci affixum manibus portauerunt, & illum ſimul cum cruce in altum leuauerunt, inferiorem partem crucis ſtipitis in concaua petra, quam perforauerant figentes. Attendamus igitur acerbiſſimos corporis dolores domini Ieſu, & hoc ſentiamus in nobis acclamante apoſtolo: quod*
Philip. 2. *& in Chriſto Ieſu. Primò enim cùm perforarentur ſic groſſis clauis manus pedeſque domini, omnes nerui dolore conſtringebantur, & nimio dominus dolore afficiebatur: patiebatur caro, nerui, cor, caput, & toto corpore nimio premebatur dolore. Cùm autem crux leuata eſt, & fixa ſimul cum corpore ſuper petram illam magnã, quæ eſt in ſummitate Caluarij montis, pondus corporis manus foramina, & pedum dilatabat: & ſic dolores augebantur domino: Qui ſi vellet caput reclinare ſpinis coronæ, quã in capite gerebat lacerabatur: Durus lectus, durus ſtratus, duriſſima ſedes: Ecce agnus qui tollit peccata mundi, ecce veſpertinum ſacrificium, ecce peccatorum redemptio, ecce mundi reconciliatio, ecce dominus cœli & terræ conditor duriſſimo in patibulo pendet,*

det, vt deleat noſtra facinora. Nullum erat in corpore membrum, quod non pateretur dolorem: quoniam nullum eſt in nobis membrum, quod non peccatis inſeruiat, caput & cor cogitando, oculi aſpiciendo, aures audiendo, odorando nares, lingua loquendo, os guſtando, manus & cætera membra peccando. Ideo voluit miſericors dominus, in omnibus pati etiam membris, grauiſsimos vtique dolores: quis ſapiens, & ruminabit hæc, & intelliget miſericordias domini: Ingrati ſceleſtique reputabimur, ſi tantis doloribus non compatiamur: compatimur vtique tunc, cum à noſtris vitijs pro quibus dominus paſſus eſt ceſſamus, & à voluptatibus retrahimur. Namque ſemel in anno audientes paſſionem domini celebrare, lachrymas fundere bonum eſt: ſed non multum placet Deo, ſi poſt triduum cum deberemus à ſepulchro vitiorum noſtrorum, in quo tamdiu ſepulti ſumus, reſurgere cum domino à morte corporis reſurgente, iterum atque ſæpius eadem vitia repetimus. Si igitur reuera volumus, prout tenemur, compati domino patienti, eadem quæ patitur in corpore, nos in corde noſtro ſentiamus, & illud pro quo patitur vitemus, attendentes ex diuinitatis parte eius maieſtatem, ex humanitatis parte eius acerbiſsimos dolores: ex parte noſtra, quid reddere nos oportet illi, à quo tanta recepimus: qui ſuam pro nobis vitam dedit, & non qualicunque modo, ſed illam dedit tot affectam laboribus, anxietatibus, perſecutionibus, vltimo illam morte doloroſiſsima, & turpiſsima pro nobis voluit expendere. Quòd ſi huic noſtræ meditationi, aliquantulum cogitationis addamus, citò futuram mortem noſtram (& ſi enim diu duret vita, breue eſt omne quod finitur) facilè omnia peccata deuitabimus, pro quibus ne damnaremur & cruciatus pateremur æternos, innocens agnus tot doloribus affectus in cruce immolatur: Cui nunc ad dexteram patris regnanti, cum eodem Deo patri & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium, per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

TRACTATVS V.

In cap. XV. beati Marci.

ET cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cum iniquis
Eſa. 53. reputatus eſt. Et prætereuntes blaſphemabant eũ, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas, ſaluum fac temetipſum, deſcendens de cruce. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes, ad alterutrum cum ſcribis dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram vſque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna, dicẽs: heloi, heloi, lamazabathani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Et quidã de circunſtantibus audiẽtes, dicebãt: Ecce Eliã vocat. Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum. Ieſus autem emiſſa voce magna, expirauit. *Omnem cauſam vituperandi dominum quæſierunt principes ſacerdotum, & operam dedere quomodo duos latrones præciperet Pilatus cum domino crucifigi; ex hoc etiam populus ſuadebatur, dominum reum eſſe ſupplicij: & minus ad illum attendebat populus, cum eum inter latrones reputari videbat. Securiores etiam reddebantur, vt ſi fortè aliqui ex diſcipulis nobilibus domini occultis, vellent eripere eum de*

manu

manu eorum, opponeretur illis velle latrones eripere, & ſic rei capitis fieret: Sed qui propter peccatores venerat, inter peccatores voluit mori, vt peccatores ſaluos faceret, & vt potentiam ſuam oſtẽderet, dando paradiſum latroni illi quem ſaluũ fecit, & pœnam æternam illi, qui damnatus eſt. Multi enim latrones & homicidæ ſaluandi erant iuxta crucem domini, per curricula temporum, quod iam nunc prætendebatur in his duobus latronibus, iuxta crucem domini crucifixis. Per ſex tantummodo palmos, vna quæque latronum crux diſtabat à cruce domini, prout ſæpe circunſpeximus & de menſi ſumus, cùm Caluarium frequentaremus: Impleta eſt ſcriptura Eſa. ſcilicet, quæ dicit: & cum iniquis reputatus eſt*: Blaſphematur dominus à populo illo, repetito teſtimonio.* Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas. *Summi verò ſacerdotes illudebant, ſpernentes miracula à domino facta, dicentes:* Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Chriſtus rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus: *Surrexit à monumento quod eſt magis, in quo triduo iacuit mortuus, & non crediderunt: venit ſpiritus ſanctus ſuper apoſtolos, qui ſignis & prodigijs diuinitatem domini oſtendebant, & non crediderunt: quomodo crederent ſi deſcenderet de cruce? gens nefanda, turpiſsima, omni fallatia & dolo plena, quæ non multos poſt annos ſuæ veſaniæ pœnas dedit, & dabit vſque in finem quouſque conuertantur ad dominum, quem crucifigi fecerunt, & cui tot doloribus circundato illuſerunt. Latrones etiam conuitia iactabant in dominum, qui pro omnium peccatorum ſceleribus cruci affixus, tenebatur charitatis clauis fortius quàm illis ferreis, quibus cruci affixus erat: Ecce trium generum gentes, blaſphemãt dominum: populus, principes, latrones. Vtinam non tunc etiam præfiguraretur noſtrorum omnium ingratitudo principum, & peccatorum & populorum, qui et ſi non lingua, moribus ſeparamur à domino. Ab illa hora qua dominus captus eſt in horto, vſque ad huius horæ tertiæ*

Eſa. 53.

finem permiſit dominus in ſe omne genus illuſionis, pœnæ & ſupplicij exerceri, ſecundùm tamen prophetias. O ineffabilis pietatis dilectio? Seipſum omni vilipendio permiſit improperari, vt improperia quibus omni die ſummũ bonũ, Deum videlicet noſtrũ ſceleribus multis improperamus aboleret: & vt nos Deo reconciliaret, in ſeipſum improperia permiſit iactari.. Facta verò hora ſexta oblato pro nobis ſacrificio ſatisfactus Deus, humanitatem Chriſti magnis volens miraculis illuſtrare, & innocentiſſimum agnum oſtendere, filiumque ſuum chariſſimum omnibus credendum prædicare, à Sole incipit miracula operari: Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, vſque in horam nonam. *Mirabile magnum, in lunæ oppoſitione eclypſim ſolis fieri: non tamen ſunt conuerſi Iudæi, videntes illud, contra totius naturæ rationem fieri, & qui cæcitate ſuæ malitiæ percuſſi, palpabant in meridie, non attenderunt nec recordati ſunt Dei, ſed denſioribus tenebris inuidiæ, odij, & malitiæ obcæcati, ſolis obſcuritatem non conſiderabant. In epiſtola ad Apolophanen, beatus Dionyſius Athenienſis philoſophus Areopagita, beati demum apoſtoli Pauli diſcipulus & martyr, fatetur, tunc in Heliopoli, quæ eſt Ægypti ciuitas, cum eodem Apolophane commoraſſe, & hora ſexta diei, quæ ſecundum ſupputationem noſtram eſt meridies, vidiſſe ſe lunam reuerſo ordine ſoli ſupponi, & magnam in omnibus illis partibus obſcuritatem reddidiſſe, & per tres horas perduraſſe: nempe naturalis eclypſis, quæ fit in coniunctione lunæ parum conſtat, cum luna ſuum motum tranſeundo percurrat, ſimiliter & ſol ſuum: Interrogaſſe refert beatus Dionyſius Apolophanen, quid ſibi de tam inſolita eclypſi videretur, cum omnium mathematicorum regulis eſſet contrarium? qui reſpondit: iſta ô bone Dionyſi, diuinarum retributiones ſunt rerum: Perinde ac ſi diceret, flagella ſunt alicuius magni in Deum commiſſi criminis: & quod maius eſſe poteſt, quàm filium Dei & verum Meſſiam crucifigere?*

Sunt

Sunt etiam qui dicunt, tenebras illas occupaſſe totam terram hanc noſtram ſuperiorem, Aſyæ, Africæ, & Europæ: & ideo Euangeliſtam dixiſſe, ſuper totam terram. Hoc verò luna, cum minor ſit ſole, facere minimè poterat, niſi diuino iuſſu: ſole retrahente lumen ſuum, quod ſuper Matth. expoſuimus. Eligat lector harum tenebrarum modum, vel ſecundùm Dionyſium, vel ſecundùm aliquorum expoſitorum ſententiam, fuiſſe factum: dummodò ſemper cum Euangeliſta fateatur, à ſexta hora vſque in horam nonam, tenebras totam terram occupaſſe: & vtroque modo miraculum ſemper immobile permanet.

Et hora nona exclamauit Ieſus, voce magna, dicens: Heloy, heloy, lamazabathani: quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? *Tria verba domini præceſſerant, iſtud quartum à beato Marco eligitur, cùm vellet nobis ſignificare corporis domini dolores & animæ eius, ſecundùm inferiorē portionem qua viator erat anguſtiam: Prophetatum fuit hoc verbum, pſalmo vigeſimo primo, dicente Dauid in Meſſiæ perſona: Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Bis dicit Deum ſuum: ſuum per vnionem hipoſtaticā, qua Deus eſt homo, & homo eſt Deus: ſuum per vnionē beatificam, qua anima Chriſti à ſuæ benedictiſſimæ conceptionis initio, ſecundum ſuperiorem portionē Deum vidit: quēadmodum in eodem pſalmo dicit: In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ, tu es protector meus. Quare igitur ſic me, ſecundum carnem & animæ inferiorem portionem dereliquiſti? in manibus ſcilicet contrariorum, & ſic crudeliter pati permiſiſti? Totius humilitatis verbum fuit & obedientiæ: quemadmodum dixerat Marta: Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare: Non enim volebat reprehendere dominū, nec querelam & verbum aſperum loqui, ſed piam proponebat querelam. Similiter ſi martyr aliquis, tormentorum cruciatibus*

ſummopere defatigatus, diceret: ô domine, quare me voluiſti pati ſic:idem eſt ac ſi diceret, poteram minoribus ſupplicijs te confiteri, mortem finire, veruntamen quia ſic voluiſti fieri, ſis in æternum benedictus. Milites verò cum eſſent Romani vocem heloy audientes, quæ hæbraica eſt, exiſtimauerunt dominum Eliam inuocare: In hoc temporis ſpacio dominus, ſecundùm Ioan. ſanguine exhauſtus, ſiti ardens ingenti, ſitio dixit. Tunc vnus militum, ſpongiam aceto plenam ori domini appoſuit: cùm accepiſſet dominus acetum, dixit: conſummatum eſt: & tunc peracta eſt hora nona: & emiſſa voce magna, hæc eſt ſecundùm Luc. Pater in manus tuas cōmendo ſpiritum meum: expirauit. Et iſte fuit ſummus & vltimus dolor, quem dominus paſſus eſt: ſummus quoniam ſenſit dolorem verum, ſeparationis animæ à corpore, quam ipſe ſponte pro nobis ſummo & æterno patri obtulit. Cæteris autem hominibus (dicunt medici & philoſophi) quando moriuntur prius eſſe illis non eſſe ſenſus, quàm non eſſe animæ: hoc eſt taliter prius, per aliquam moram maiorem vel minorem, ſecundùm diuerſitatem infirmitatum alienari: quòd non perfectè percipiunt illū vltimum, ſeparationis animæ à corpore dolorem: quoniam per organa ſenſuum, anima in corpore exercet actus ſuos ſenſibus hæbetatis, & iam nihil ſentientibus non fit ſenſatio: quod experientia in morientibus omni hora manifeſtat, qui et ſi antè exhalationem animæ aliquos patiantur motus, & hinc inde in lecto volutentur, adueniente puncto exitus animæ, omnibus orbati ſenſibus emittunt ſpiritum. Dominus autem ideo voce magna clamans, ſentiens ſupremum omnium dolorem, expirauit: tunc ſacrificium conſummatum eſt, tunc mortem noſtram moriendo deſtruxit, tunc deuictus eſt diabolus, qui mortem domini demolitus eſt, tam in corde Iudæ proditoris; quàm in mentibus Iudæorum, tunc reconciliati ſumus Deo, per mortem filij eius: tunc in virtute eius facta eſt pax inter nos & Deum, tunc reconciliatio noſtra

perfecta

perfecta eſt, tunc ianua regni cœlorum aperta. Quid enim aliud pro iſto dolore maximo compatientes, reddere poſſumus domino? arbitror illud eſſe: nihil vnquam agere quo à nobis irritetur Deus, deinde virili animo pro eius amore omnem tribulationem, & inimicorum perſecutionem libentiſſimè tolerare, & mortem pro illo oppetere ſemper optare. Nihil enim melius reddere domino poſſumus, quàm dum illi morienti compatimur, vitam noſtram & animam vſque ad vltimum flatum, ſecundùm illum & in illo, & pro illo dare: & interim fratribus noſtris compati, & illos iuuare quoad poſſimus: dicente domino: Quód vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt vita, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS VI.

In cap. XV. beati Marci.

ET velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſque deorſum. Videns autem Centurio qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longè aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome, & cùm eſſet in Galilæa ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. *Tantummodo beatus Marcus, huius ſigni in morte domini mentionem facit, ſcilicet de veli Sanctaſanctorum à ſummo vſque deorſum ſciſſione, cùm alia mirabia contigiſſent, quæ beatus enumerat Matth. Nihilominus tamen hoc dumtaxat beatus Marcus ſcripſit, tanquam nimis mirabile, eò quòd in Sanctaſanctorum ſit datum: quod quantum ſit, beatus*

apoſto-

apoſtolus Paulus in epiſtola ad hebræos ſatis oſtendit, cùm dignitatem illius tabernaculi deſcribit, dicens: Tabernaculum
Heb. 9. *enim factum eſt primum, in quo erant candelabra & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta. Poſt velamentũ autẽ ſecundum, tabernaculum quod dicitur Sanctaſanctorum: aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circuntectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ frondueràt, & tabulæ teſtamenti ſuperq; eam erant cherubin gloriæ, obumbrantia propitiatorium. de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. His verò ita compoſitis, in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſumantes: in ſecundo autem, ſemel in anno, ſolus pontifex: non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia: Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum. Ideo namque mortis domini ingens teſtimonium datum eſt, dum velum templi ſciſſum eſt, & propalata eſt via ſanctorum, cum iam omnis populus poſſet proſpicere ea, quæ ſolus ſemel in anno ſummus pontifex, ſanguine prius oblato, poterat conſpicere. Propterea beatus Marcus, de ſigno nuſquam facto, ſcilicet de veli Sanctaſanctorum ſciſſione, mentionem fecit, tanquam de certiſſimo ſigno, quo manifeſtabatur domini diuinitas, & aditus regni cœlorum, & legalium ceſſationem tunc futuram. Mirabilis omnino fuit illa veli Sanctaſanctorum ſciſſio in duo, à ſummo vſque deorſum, & mirabilis mirum inmodum Iudæorum obſtinatio, qui tanto viſo in templo obſtupendo miraculo, dominum non crediderunt verum Meſſiam, & redemptorem. Quis enim, vel qua ex cauſa in illa hora, qua dominus ſpiritum patri obtulit, potuit velum tam ſacrum inuiſibiliter contingere, & in duo partiri: & omni populo oſtendere, quod ſemel in anno ſoli ſummo pontifici aſpicere erat permiſſum, niſi ipſe Deus ibi inhabitans, ad oſtendendum iam eſſe viam ſanctorũ propalatã, & iam*

licere

licere omnibus, habere ad vitam æternam aditum per Chriſti mortem. Alia ſigna, domino moriente facta, quæ beatus Matth. enumerat miſſa facimus, quoniam in tractatibus ſuper eiuſdem vigeſimum ſeptimum caput, de his diſſeruimus: Vnum tantummodo, quod poſtea proprijs oculis conſpeximus, & manibus palpauimus referemus: quod quidem vſque in hodiernum diem, ſtabile permanet. Sic enimuerò beatus Matth. ait, domino moriente: Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſq; deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt: & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Ecce igitur quemadmodum in morte domini, quinque ſunt data eiuſdem diuinitatis & innocentiæ ſigna: terra tremit, velum templi ſcinditur, aperiuntur monumenta defunctorum, ſol primò obſcuratur, petræ ſciſſæ ſunt: omnia illa prima quatuor, tranſierunt ſuis peractis officijs: Sol iterum lucet, terra quieſcit, velum templi non apparet, quoniam nec templum vſquam eſt: corpora ſanctorum ſemel oſtenſa, amplius non ſunt viſa: petra verò quæ ſciſſa eſt, hæc vſque hodie permanet, teſtimonium reddens chriſtianis, Iudæis, paganis & omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt. Sciendum igitur eſt lapidem illum, in quo crux domini fixa fuit, vnà cum ſacratiſſimo corpore eius, magnum eſſe & in ſuperficie planum: in illo nempe non ſolum dominus, ſed & latrones crucifixi, poſiti cauato lapide fuere. Lapis iſte radicem habet inferius, terræ immobili inhærentem, habetque altitudinis cubitos viginti: hic lapis ſciſſus eſt à ſiniſtra parte domini, inter eius læuam & iniqui latronis crucem. Quando igitur ſciſſus eſt domino moriente, facta eſt in ſummitate eius ſciſſura, palmorum ſex longitudine, & duorum palmorum latitudine: fecit enim labra quædam aperta, per totam illam ſciſſuræ longitudinem palmorum duorum: Hoc miraculũ vſque hodie permanet, & ab

om-

omnibus euntibus in Caluarium montem, manifeſtiſsimè conſpicitur. Magnum ſignum hoc quidem, ſed adhuc mirabiliora reſtant dicenda: hæc autem ſciſſura, non ſolummodo facta eſt in ſummitate huius magni lapidis, ſed recta via peruenit vſque ad radicem ipſius lapidis, qui terræ inhæret inferius, & habet altitudinis (prout diximus) cubitos viginti. Adhuc autem reſtat mirabilius aliquid dicendum: hæc ſciſſura in inferiore parte lapidis aperta eſt, quantum poteſt homo medium caput intromittere, quod & ego feci, & manu accenſam candelam ceream tenens, totum intus lapidem proſpexi, qui per multas partes vndiquaque ſciſſus erat. Itaque non ſolummodo ſciſſus eſt ſuperius, ſed per medium vſque ad inferiorem partem: & non tantummodo vſque ad inferiorem partem, ſed ex vtroque latere multis eſt in locis ſciſſus: quod eſt mirabile, & vſque in hodiernum permanens diem. Videns autem Centurio quia ſic clamãs expiraſſet, ait: Verè hic homo, filius Dei erat: *Inſolitum quippe eſt, cum quis animam exhalat clamare, quinimo & tunc omninò voce deſtituitur: ideo viſum eſt centurioni, dominum filium Dei eſſe: nec tamen crediderunt Iudæi: omni repugnauerunt ſigno, omnibus ſunt facti ſurdi & cæci ſignis innumerabilibus vitæ & mortis domini. Impleta eſt Eſa. prophetia, dicentis: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiant, & corde ſuo intelligant, & conuertantur & ſanem eos. Mulieres autem de longè aſpiciebant, beatæ domini diſcipulæ, quæ finita paſsione eius aſcenderunt in montem: ſuperius nempe ad radicem montis oſtenditur locus, vbi fuere in principio crucifixionis domini: non potuerunt præ multitudine populi ſuperius aſcendere, quod poſtea fecerunt: Non dubium eſt eas amarè fleuiſſe, & ſingultibus magnis planxiſſe dominum, quem tantopere diligebant. Nos igitur, qui corde accedere propè crucem poſſumus, non deſinamus mortem eius ſentire, & peccata pro quibus paſſus eſt*

Eſa. ca. 6.

eſt omninò vitare, ſemperque illi gratias, pro tantis in nos in morte ſua collatis beneficijs inceſſanter reddere. Qui viuit & regnat, cum Deo patre & ſpiritu ſancto. Amen.

TRACTATVS VII.
In cap. XV. beati Marci.

ET cum iam ſerò eſſet factum (quia erat paraſceue quod eſt ante ſabbatum) venit Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnũ Dei. Et audacter introiuit ad Pilatũ, & petijt corpus Ieſu. Pilatus autem mirabatur, ſi iam obijſſet. Et acceršito cẽturione, interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet. Et cum cognouiſſet à centurione, donauit corpus *I*oſeph. *I*oſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum, inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria *I*oſeph aſpiciebant vbi poneretur. *Ioſeph ab Arimathia (quæ ciuitas quædam eſt, diſtans à Hieroſolymis triginta milliaribus) vir nobilis, domini occultus diſcipulus, mortuo voluit rependere domino, ipſo ſic occultè diſponente, quæ à viuo ſuſceperat ſalutis monita: Habitabat tunc Hieroſolymis: & ibi extra ciuitatem in planicie montis Caluarij, verſus occidentem habebat hortum, in quo conſtruxerat ſibi monumentum: hoc qui facit, ſe moriturum ſæpe cogitat. Hic* audacter introiuit ad Pilatum, *non reueritus ſummorum ſacerdotum animoſitatem, nec ſcribarum & ſeniorum vindictam: nec timuit ne illi opponeretur, in domum hominis gentilis in die introiſſe feſto: Ipſi enim, teſte Ioã. non introierunt in prætoriũ vt non contaminarẽtur, ſed manducarẽt paſcha: hoc eſt illis ſeptẽ diebus, in lege præſcriptis azimorũ: iam enim agnũ, in nocte feriæ quintæ proximæ, quæ erat quatuordecima luna, mãducauerãt. Petijt igitur corpus Ieſu*

Ieſu ſepeliendum: Pilatus autem mirabatur, ſi iam obijſſet. *Poſuit dominus animam ſuam quando voluit, reſurrecturus die tertia corpus ſuum, quia ſic ſuo ſapientiſsimo concilio diſpoſuit: oblatus eſt quia ipſe voluit. Superſtites adhuc, quouſque eis fracta ſunt crura, pendebant latrones: ideo Pilatus mirabatur, quia non adhuc tantum tranſierat temporis ſpatium, quo æſtimaretur mortuus dominus: cognito à cẽturione, qui aderat morti domini, eum iam mortuum eſſe, donauit corpus Ioſeph. Mercatus eſt ſindonem Ioſeph, vt omnia noua corpori domini aptarentur, linteamen & ſepulchrum. Omnia & nos debemus noua reddere domino, nouam animam, nouum cor, nouos ſenſus, nouam vitam, quemadmodum nos beatus apoſtolus Paulus monet: Renouamini, inquit, in ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Nouo homini Chriſto, noui reddendi ſunt homines: ipſe quippe nouus eſt homo, quoniam nullus ſimilis illi inuentus eſt, quoniam Deus re vera eſt, agnus innocens eſt, nouum fecit opus, qui pro noſtris peccatis mortuus eſt, vt viuificaret nos & Deo patri redderet conciliatos, & illum nobis pacatum.* Et deponens eum. *Aderat Deipara mater, aderat dilectus diſcipulus Ioan. aderãt & mulieres ſupra memoratæ: venit cum Ioſepho Nicodæmus: inſtrumenta neceſſaria ad deponendum corpus domini ſecum afferebant: quippe aſſociati aliquibus paucis familiaribus. Non dubium eſt quin planctus magnus tunc ab omnibus eſſe factus, videntes domini corpus ſic laceratum, & exhauſtum ſanguine. Appoſita cruci ſcala, abſtraxerunt clauos quibus dominus confixus fuerat, non ſine lachrymis & ſingultibus: quem piam matrem dicunt Hieruſalem, in gremio mæſtiſsimam ſuſcepiſſe, ibique factum eſſe planctum magnum, ſicut ſuper vnigenitum: Ex his qui aderant viris & mulieribus, vnus manum vnam domini oſculabatur, alter alteram, alter pedes, quos exiſtimandum eſt, Mariam Magdalenam non ſemel oſculatos fuiſſe, & nunc ſecundò*

Philip. 4. — 1. Zachar. 11.

cundò abundantiſsimo lachrymarum imbre rigaſſe, quemadmodum primo in conuerſione ſua fecerat. Tunc corpus domini deductum eſt inferius (prout nunc cernitur) ad montis deſcenſum in planicie & horti principio, qui vſque hodie dicitur locus vnctionis domini, cui nunc marmoris candidi tabula eſt ſuperpoſita, longitudinis corporis domini: Locus eſt circunſeptus cratere ferreo, ſunt etiam ibi lampades copioſæ: hic dominicum corpus inuolutum eſt linteis, aromatibus & ſindone antè & retrò coopertum, & ſic deductum eſt ad ſepulchrum, quod propè eſt, cuius fabrica eſt huiuscemodi. Sunt enimuerò ſacella duo: primi autem vna pars, eſt lapidibus & calce fabricata: altera pars huic coniuncta, quæ in ſimul faciunt ſacellum: Primum eſt in viuo lapide cauatũ, & quoniam paruum erat hoc ſacellum primum, addidit Ioſeph ab Arimathia, illam (quam diximus) partem lapidibus & calce fabricatam. Oſtium huius ſacelli primi eſt trium cubitorum altitudine, & vnius cubiti cum dimidio latitudine: hîc fuit appoſitus lapis ille magnus ad oſtium monumenti, de quo dicebãt, mulieres: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? erat quippe magnus valdè. Interius autem eſt ſacellum alterum in viuo ſaxo exciſſum, vnius cubiti cùm dimidio tantum habens oſtiolum: ad cuius dexteram eſt ſacrũ domini ſepulchrum, quod ſibi Ioſeph extruxerat in eodẽ ſaxo exciſſum, longitudine cubitorũ quatuor, in quo domini ſacratiſsimum corpus ſepultum fuit. Ex oſtio primi ſacelli aſpiciebat Maria Magdalene, & Salome, vbi poneretur intus corpus domini, ſi fortè in primo vel ſecundo ſacello, vel ad quod latus interioris ſacelli: iam præmeditantes quomõdo tranſacto ſabbato venirent ad vnguendum corpus domini, de cuius glorioſiſsima reſurrectione nihil cogitabant. Nos igitur animo & corde accedamus ad domini ſepulchrum, & ſocij ſimus Ioſephi & Nicodemi, & vnà cum mæſtiſsima matre & cæteris mulieribus, eius mortem plangamus, & cum Hier. dicamus: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? &

plorabo die ac nocte: In corde noſtro deinde mundum ſepulchrum domino præparemus, non terrena cogitantes ſed ſupercœleſtia, ibi cum illo viuo reſurgente lætemur. Itaque nunc corde mortuũ præmeditemur, & peccatis moriamur, & in mundo viuentes ſepultos nos eſſe ſemper exiſtimemus, nunc aliter, illum è ſepulchro reſurgentem præmeditantes ſpiritu ambulemus, & Chriſto ſemper viuamus. Cui cum Deo patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS PRIMVS.
In cap. XVI. beati Marci.

ET cum tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valdè mane vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam ſole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpeciẽtes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introëuntes in monumentũ, viderunt iuuenem ſedentẽ in dextris, coopertũ ſtola candida, & obſtupuerunt: Qui dixit illis: Nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, nõ eſt hic: ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. *Iam redit & virgo, redeunt cœleſtia regna: redit ab inferis Chriſtus, redit à mæſtitia mater, ad fidem iterum redeunt diſcipuli, redeunt & ſanctæ mulieres, quæ nimio Chriſti amore feruẽtes, cum tranſiſſet ſabbatum emerunt aromata, vt iterum quẽ reſurrecturum non credebant, ſecundò vngerẽt. Non enim benè vnctum ab hominibus corpus exiſtimabant, quia non credebant diuinitatẽ vnquam à corpore Chriſti fuiſſe ſeparatã, & ideo volebant illum vngere, ignorantes quod iamdiu prophetatum*

erat:

erat: Et non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, illum vtiq́ ſanctum, de quo angelus ad Deiparam virginẽ dixit: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Et valde mane vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum, *id eſt à domo exeuntes, veniunt ad monumentum, ſed peruenerunt orto iam ſole: fortè per viam lento greſſu inceſſerant, recogitantes domini mortem, & quantũ per viam illam ſub crucis pondere laborẽ, & dolorem ſuſtinuit. Cumq́; à longè Caluariũ conſpicerent, vbi crucifixus & mortuus fuerat dominus, amaris ſingultibus & lachrymis viam perfecerunt: Recordatæ autem lapidis, qui fuerat oſtio appoſitus monumenti, adinuicem dicebant:* Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumẽti? *Qui Deum verè quærit, etiam illa quæ humanis laboribus videntur impoßibilia obtinent, & vbi humanæ deficiunt vires, adeſt diuina potẽtia: Hæ ſanctæ mulieres, dum doloris magnitudine amotionis lapidis non recordantur, & humanum obliuiſcuntur ſecum ferre auxilium, diuino præueniuntur præſidio,* reſpicientes *enim* viderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus valde. *Oremus dominum vt dignetur angelum ſuum mittere, qui lapidem ab oſtio cordis noſtri amoueat, quo poßimus intra eius ſepulchrũ, non iam corpus mortuum ſed verè reſuſcitatum agnoſcere, quærere, diligere, & odore bonorum operum obſequium illi ſemper impendere. ſublato impedimento, quod timebãt.* Introëuntes in monumentum, *hoc eſt, in primum ſacellum monumenti,* viderũt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt: *ibi eſt intus in hoc primo ſacello, ſacri ſepulchri domini lapis, in quo ſedebat angelus in dextra parte: lapis iſte eſt eminens à terra palmus duobus, è regione oſtioli quo eſt aditus ad ſacellum ſecundum, in quo à dextris eſt ſanctißimum domini ſepulchrum ad angeli viſionem. Primò autem ſedit angelus (ſecundum Matth.) ſuper* Mat. 28. *lapidem quem ab oſtio monumenti euoluerat: obſtupeſcit fragilis humana natura. Cùm enim angeli ſint ſuperiores natura homini-*

Pſal. 15.

bus, anima noſtra à ſuæ naturæ ſubmiſſione, cùm angelum videt turbatur: cæterum ſuos diligunt angeli conſortes, maximè autem diſcipulos domini: ideo continuò angelus illas alloquitur & conſolatur, dicens: Nolite expaueſcere: *ac ſi diceret, eiuſdem domini ſerui ſumus.* Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic: ecce locus vbi poſuerunt eum. *Hæc vltima verba præſeferunt, angelum manu oſtendiſſe in interiori ſacello domini ſepulchrum, in quo poſitus fuerat. Omnem igitur ambiguitatem dominicæ reſurrectionis, à mentibus illarum angelus remouere voluit, cum nomen domini refert, & qua fuerat morte affectus: ſubiungit Ieſum Nazaræenum crucifixum: & illis quid quærant*
Mat. 28. *ſe ſcire præoſtendit, dicẽs: quæritis, ſcio enim, inquit beatus Mat. hoc dixit angelus, vt dominicam facilius crederent reſurrectionem. Cum enim illis quod quærunt annunciat, æquum eſſet credere quod illis dicitur, illud eſſe:* Sed ite, *ac ſi dicat, nolite moram trahere, ſed ite,* & dicite diſcipulis eius, & Petro quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis: *Poſtquã omnes diſcipulos dixit, Petrum ſolum repetit, tanquam totius eccleſiæ vniuerſalem paſtorem, & ne fortè Petrus negationis ſuæ recordatus non auderet quærere dominum, quem ter negauerat: ideo ne puſilanimus redderetur, illum ſeparatum ab omnibus repetit angelus: vt poſſent ei mulieres aſſerere, non ſolum angelum dixiſſe, vt omnibus nunciarẽt diſcipulis dominicam reſurrectionem, ſed etiam Petrum ipſum ſuo nomine appellaſſe. Non dubium eſt, angelum quod ſibi à domino fuerat imperatum dixiſſe: Vnde nec dubium eſt, Petri pœnitentiam domino placuiſſe, & illum iam ſibi conciliatum mente habere: nec legimus in Euangelio, dominum Petrum poſt reſurrectionem, de præcedenti trina*
Iacob. 1. *negatione increpaſſe. Hæc eſt Dei noſtri diuina natura, poſtquã ſemel parcit non improperat, dat omnibus affluenter & non improperat, niſi tu peccata repetas: nam tunc dignus eſt peccator & reprehenſione, inſuper & punitione. Dicite ergo diſcipulis eius,*

& Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis: Dixerat enim dominus: poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Non eſt accipiendum in Galilæam prouinciam, quæ diſtat ab Hieroſolymis milliaribus quadraginta: ſed in montem qui vicinus eſt monti Olїueti: Cum enim venitur in vallem Ioſaphat, ſunt tres præeminentes montes: mōs Oliueti in medio cæteris præeminens, mons Galilææ, & alter mons à dextris montis Oliueti, in cuius deſcenſu Iudam proditorem dicunt fuiſſe ſuſpenſum. Mons Galilææ dicitur, eo quòd Galilæi non erant in precio apud Iudæos, quoniam in Hieruſalem reges reſidebant vſque ad Salomonem: & primò dicebantur reges Iuda quàm Iſraël, quæ erat Galilæorum prouincia. Fecerunt igitur Galilæi in monte illo, qui Hieruſalem euntibus eſt à ſiniſtris montis Oliueti, domum amplam ad permanendū, quando Hieroſolymam negociorum cauſa veniſſent: hoc perdurauit vſque ad mortem Salomonis, quando Geroboan leuatus eſt contra Roboan filium Salomonis, vnde vſque in hodiernū diem, monti nomen indictum permanet Galilæa. Ad hunc igitur montem, dominus prædixerat ſe præuenturum apoſtolos, cum reſurrexiſſet à mortuis: & hoc eſt quòd angelus mulieribus inſinuat: præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis: non dixit ibi eum videbunt, ſcilicet apoſtoli & Petrus, ſed ibi eum videbitis: perinde ac ſi diceret diſcipuli & vos, quæ eum mortuum quæritis in monumēto. Eamus igitur in Galilæam, quæ interpretatur tranſmigratio facta: Tranſmigrat proculdubio ille, qui mores malos in bonos conuertit: faciamus tranſmigrationem à peccatorum morte in vitam, tunc glorioſum & feſtiuum à mortuis reſurgentem videre poterimus dominum Ieſum: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

Mat. 26.

In cap. XVI. beati Marci.

AT illæ exeuntes, fugerunt de monuméto: inuaſerat enim eas tremor & pauor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Surgens autem Ieſus manè prima ſabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia viueret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt. Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in villam: & illi euntes nunciauerũt cæteris: nec illis crediderunt. *Cùm dominus glorioſus, in ipſo ſacro ſuæ reſurrectionis die, aliquibus diſcipulis & mulieribus apparuit, vnus Euangeliſtarũ vnam ponit, alter alteram apparitionem: propterea vigilem hæ apparitiones requirunt lectorem. Cæterum, cùm tractatu tertio in vigeſimum octauum cap. beati Mat. de his omnibus domini apparitionibus diſſeruimus, ibi oſtendimus quemadmodum vnaquæque apparitio ſuo eſt reddenda loco, vt pariter & percipiantur, & ſanctorũ Euangeliſtarum infallibilis veritas eluceſcat. Nunc ab huiuſmodi labore vacandum cenſuimus: tantummodo quomodo accipiendum ſit vnum verbum beati Matth. cum eo quod beatus Marcus in præſenti dicit, differemus.* Exeuntes *igitur ſanctæ mulieres*, de monumento, fugerunt: inuaſerat enim eas tremor & pauor. *Natura fragilis à ſuperiori natura angelica, fulgenti in veſte candida ſuperata, fugere remedium eſt ſuſpicata:* & nemini quicquam dixerũt: timebant enim. *Beatus Matth. ait: Et exierunt citò de monumento, nunciare diſcipulis hæc: Lucas verò ait: Et regreſſæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Marcus verò ait: & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Hæc igitur ſic accipienda ſunt: illæ tremore & pauore exterritæ nemini dixerunt, timebant enim. In eo quod dicit Euangeliſta, timebant enim, rationẽ reddit quare nemini quicquã dixe-*

dixerunt, quoniam ſcilicet erant timore & pauore exterritæ: fortè in via, cùm aliqui ex diſcipulis domini illis obuiam occurriſſent, nihil eis dixerunt. vel quod veriſimilius eſt, primò propriam petierunt domum: habebant autem in Hieruſalem domum quandam, in qua habitabant eo tempore, quo dominus Hieroſolymis prædicabat, cuius vſque hodie permanent non parua veſtigia, quæ dicitur domus Mariarum. Huc ſe contuliſſe, prout diximus, veriſimilius eſt: tum ad reſumendum halitum & ſpiritum, quoniam de monumento exierant trementes & pauidæ: tum etiam ad inter ſe conſulendum, quomodo hoc diſcipulis nunciarent, qui diſperſi erant, & ad cognoſcēdum locum, ad quem ſe Petrus & Ioan. cæterique contuliſſent. Et hoc eſt quod ait beatus Marcus: nemini quicquam dixerunt, ſic pauore & tremore perterritæ: Cæterum reſumptis viribus, & cognito loco vbi erant apoſtoli, quod beatus Matth. & Luc. dicunt, nunciauerunt: nunciauerūt quippe illis vndecim, & cæteris omnibus diſcipulis hæc. Tunc quod beatus Ioan. dicit, hîc primo loco ponendum eſt: Petrus & Ioan. currebant duo ſimul, & venerunt in monumentum, quos ſecutæ ſunt tres iterum ad monumentum Mariæ. Tunc ſecundùm Lucam accipiendum eſt, cùm à Petro & Ioanne qui nihil præter ſepulchrum corpore vacuum & linteamina viderunt, mulieres quæſierunt an dominum vidiſſent? reſpondentibus autem illis, nec dominum nec angelum reperiſſe, introierunt iterum in monumentum, & tunc viderunt duos angelos, vnum ad caput & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat domini corpus: quæ iterum vultu dimiſſo exterrefactæ receſſerunt: & Maria Magdalena permanſit ſola, alijs duabus abeuntibus, & cœpit flere, ſecundùm Ioan. Maria autem, inquit, ſtabat ad monumentum foris plorans: Et iterum ſola introiuit in primum ſacellum, cui duo angeli qui intus erant dixerunt: mulier quid ploras? illa verò reſpondit: tulerunt dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet conuerſa eſt retrorſum, exiens ſcilicet à

monumento, & vidit dominum à longè, quantum vir fortis poteſt iacere ſaxum vnum grande, quod vnica poßit manu complecti, quemadmodum mos eſt viatoribus recreationis cauſa. Acceßit illa ad dominum, quem exiſtimauit hortulanum eſſe, diſtantia cubitorum quinque (prout vidimus) quam dominus præuenit, dicens: mulier quid ploras? quem quæris? cui illa, domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dic mihi vbi poſuiſti, & ego eum tollam. Deuotioni eius & amori reſpondit dominus, dicens: Maria: at illa ſe in terram proſtrauit, volens tenere pedes eius: quam prohibuit dominus, dicens: noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum, ſed vade dic fratribus meis: aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum. Cùm illa properaret ad hoc annunciandum diſcipulis, adhuc in via reperit alias mulieres, quæ cum ipſa ad monumentum venerant, quæ iam domui (quam diximus Mariarum) appropinquabant: ibi dominus omnibus illis apparuit, dicens: Auete, at illæ tenuerunt pedes eius. Iamque ſe dominus permiſit tangi à fidelibus, quoniam Maria iam illum tunc crediderat reſuſcitatum, & aliæ Mariæ illi dicenti, ſe illum vidiſſe crediderunt. De illa igitur apparitione in horto, quando dominus dixit Mariæ: noli me tangere, refert Euangeliſta Marcus, dicens: Surgens autem Ieſus manè prima ſabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant lugentibus, & flentibus. *Illi verò non crediderunt: poſtea autem viſus eſt in alia effigie euntibus in villam, hæc eſt Emaus, quæ diſtat à Hieruſalem ſeptem milliaribus: nec illis crediderunt. Cùm autem iſti duo diſcipuli Cleophas & Emaonus redirent à caſtello Emaus, inuenerunt congregatos (ſecundùm Luc.) vndecim diſcipulos: & domum his duobus intrantibus, cæteri illis nunciauerunt dominũ verè ſurrexiſſe, & apparuiſſe Petro. Illi verò narrauerunt quomodo illum habuerant comitem in via, & quemadmodum cognouerunt eum in fractio*

ctio

ctione panis: nec iſtis crediderunt, inquit nunc Marcus, quoniam aliqui illorum fuerunt nimis tardi & duri, ad credendum domini reſurrectionem, hoc Deo pro nobis diſponente, vt dubitaretur ab illis, ne dubitaretur à nobis, & arctius fides reſurrectionis illis ineſſet, dum tantis illam ſunt experimentis intuiti. Nos igitur qui tot teſtimonijs roboratam fidem habemus, ſalubre erit vitam noſtram, non iam tanquam carne viuentes diſponere, ſed tanquam omni die hanc reſurrectionis vitam præſtolantes glorioſam, noſtras actiones dirigere. Sic proculdubio beatus Paulus ſuos Colloſenſes hortatur, dicens: Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, cùm autem Chriſtus apparuerit gloria veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria: Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen. Collo. 3.

TRACTATVS III.
In cap. XVI. beati Marci.

NOuiſsimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis, non crediderunt. Et dixit eis: euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper

ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus quidem Ieſus, poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. *Silentio, alijs plurimis apparitionibus domini, (de quibus mentionem fecerunt alij Euangeliſtæ, & Luc. in actibus apoſtolorum) prætermiſſis, beatus Marcus ad vltimam accedit, vt inde conſequenter glorioſam domini aſcenſionem oſtendat: hanc autem vltimam fuiſſe domini apparitionem, hæc*
Actuū. 1. *ipſa verba demonſtrant, cùm dicitur:* Nouiſsime autem. *Quòd autem ait,* recumbentibus, *illud eſt quod in actibus legimus apoſtolorum: Et conueſcens præcepit eis, ab Hieroſolymis ne diſcederent: quod perſpicuum eſt in die dominicæ aſcenſionis contigiſſe. Voluit autem dominus vitam futuræ reſurrectionis multis argumentis oſtendere, & ſuam de ſepulchro glorioſam reſurrectionem per dies quadraginta palàm facere, ne vnquam de illa fidelibus aliqua poſſet ſuboriri dubitatio: & quoniam quadraginta horis iacuit mortuus in ſepulchro, rectè quadraginta diebus ſe viuum diſcipulis oſtendit. Iuſtè igitur increpat receſſurus apoſtolos, qui non crediderunt his, qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis: viderat quippe eum Maria Magdalena, viderat Petrus apoſtolus, viderant duo diſcipuli Cleophas & Amaonus, viderant & mulieres cum illas ſalutauit, dicens: auete: & illæ tenuerunt pedes eius. Cæterum hanc in finem ſeruauit increpationem, ne hoc illum latuiſſe arbitrarentur, quinimò ſcirent illum omnia noſſe, quæ apud illos agebantur, quo firmius eius crederent glorioſam reſurrectionem: Quin etiam & non ſcandalizarentur nec puſillanimi fierent, cum illi quibus prædicaturi erant, verbis eorum non facilè præſtarent aſſenſum: cùm ipſi quibus fuerat conceſſa per tantum temporis curſum domini familiaritas, duri & tardi ad eius vitā poſt mortē credendam fuiſſent. Verorum etiam amicorum eſt, amicis vera dicere,*

dicere, nec adulari permittit vera charitas: Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non im- Pſal. 140. *pinguet caput meum. Increpata eorum duritia, ad quod vocati fuerunt officium mandantur.* Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ, *dixerat enim quando primò illos miſit ad prædicandum in Iudæam: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorũ ne introie-* Mat. 10. *ritis, ſed ite potius ad oues quæ perierũt domus Iſraël. Nunc autem vt ſcirent tempus eſſe vocationis gentium, nec aduentum domini limitibus Iſraël coarctarent, in vniuerſo orbe, illis præcipit Euangelium nunciare: lumen enim ad reuelationem gentium (dixerat Simeon) Et David: Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Et alibi: Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. & poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & Eſa. Cùm ple-* Eſa. 11. *nitudo gentium intrauerit, tunc Iſraël ſaluus erit.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: *Semper quoties audis fidem, intellige: formatam charitate, viuam, non mortuam ſine operibus.* qui verò non crediderit, condemnabitur: *Sicut ali-* Ioan. 3. *bi dixit: qui non credit iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Paruulis autem baptizatis infunditur fides, ſpes, charitas: fidem etiam anadochi pro paruulis con-* Rom. 3. *fitentur: & quoniam omnes in Adam peccauerunt, & egent glo-* 1. Cor. 15. *ria Dei, ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. In Chriſto igitur paruuli baptizati viuificantur.* Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. *Quod viſibiliter in primitiua eccleſia fiebat, nunc autem inuiſibiliter adimpletur: dæmonia nempe eijcimus, cùm à peccatis deſiſtimus: linguis loquimur nouis, cum in laudem creatoris lingua aſſueta*

male

malè loqui conuertitur: ſerpentes tollimus, cum ab iniquis conuerſationibus, & ad peccatum inducentibus ſeparamur: ſiquid mortiferum bibimus à malis nos ſuadentibus hominibus, non nobis ſi non id facimus, nocet: ſuper ægros manus imponimus, cũ prædicationibus & exemplis, ægros fratres à vitiorũ infirmitate reuocamus. Et dominus quidem Ieſus, poſtquam loquutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei: *Ecce quomodo verbum in principio poſitum, nouiſſimè autem, indicat hanc domini apparitionem, de qua hic agit beatus Marcus vltimam eſſe, quoniam dicit: poſtquam loquutus eſt eis, hæc ſcilicet intelligenda eſt, ad proximiora nempe verba refertur hoc quod ait, poſtquam loquutus eſt eis: Tunc dominus in montis Olineti cacumine aſcendens, aſſociatus beatiſſimæ matri omnibuſq; apoſtolis & diſcipulis, aſſumptus eſt in cœlum propria virtute: & ſedet à dextris Dei, hoc eſt in potioribus gloriæ bonis reſidet, ſitu corporis in eminentiori loco empyrei cœli requieſcẽs: quod & Dauid pro-*
Pſal. 109. *phetauit, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum:* Illi autẽ profecti prædicauerunt vbique, *quod vbique accipiendum eſt, quoquo verſus ſe contulerunt, nulla facta Iudæorum & gentium exceptione: reſpondet illud vbique, illo verbo quod dixerat dominus: prædicate Euangelium omni creaturæ,* domino cooperante *interius videlicet, &* ſermonem confirmãte *exterius,* ſequentibus ſignis. *Itaque apoſtolorũ voce domini interiorẽ perſuaſionẽ & exterioribus ſignis fides orthodoxa aucta eſt: propterea apoſto-*
1. Cori. 3. *lus Paulus Corinthijs dicit: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus: Cui & patri, filioque & ſpiritu ſancto vna eſt gloria, honor, poteſtas & imperium, in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS IIII.
In cap. XVI. beati Marci.

IN hac glorioſa domini aſcenſione memorandum eſt, quemadmodum ab illo monte à cuius radice paſſio domini incepit, ab eius culmine glorioſa eius in cœlum prouectio principium ſumpſit, quo fortiores reddimur ad humilitatis virtutem ſectandam, cùm cernimus vitæ auctorem ab illo loco aſcenſionem incipere glorioſam, à quo incepit pati paſſionem ignominioſam: vna nocte & die ſequenti vſque ad horam nonam perdurauit paſſio: in æternum eius gloria ad patris dexteram permanebit. Ne nos igitur terreat ſeculi ignominiam pati, cum certi ſimus ſi in dilectione domini permanſerimus, in perpetuũ glorificandos eſſe. Eſt igitur in cacumine montis Oliueti, ſacellum octo angulis fabricatum, à quo loco dominus in cœlum aſcendit: illud eſt vndiquaq; muro vallatum, foribus & ſera clauſum: Lapis eſt quidã in pauimento, in quo impreſſa manſit pedis domini planta, quando recedere & à terra ſubleuari cœpit, quæ adorata & oſculata multis iteratis vicibus fuit à nobis. Plãta eſt dextri pedis: ſiniſtri verò ſimile erat in alio vicino lapide veſtigium, hunc turci in ſua poſuerunt moſchæa in domini monumento, quem ſacratiſſimum prophetam, & in cœlum euectum fatẽtur. Longitudinem huius dextri pedis domini veſtigij, dimenſus non ſum: minimè tamen ſatiabar aſpicere plantæ effigiem, quoniam nullam vnquam tali proportione, & digitorum compoſitione memini me vidiſſe: longum tamen veſtigium eſt & delicatum: præſefert corpus domini non obeſum, ſed tenue eſſe, quod certè tot laboribus, vigilijs & ieiunijs pro nobis erat extenuatum. Nos igitur vt cum illo regnemus extenuemur corpore, ſpiritu verò creſcamus: attendentes etiam & imitantes ea, quæ dominus cum vellet aſcendere fecit, quantum fragilitati noſtræ fuerit deſuper datum. Dominus igitur volens aſcendere, non credentes

diſcipulos increpat, cum illis mãducat, tertiò illis benedicit. Nos itaque ſic diſponamus aſcẽſiones noſtras, quemadmodum & Dauid dicit: Beatus vir cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in hac valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Pſal. 83.
Prima denique aſcenſio noſtra eſt, cum Dei adiutorio à peccatis ceſſare, & vitã noſtram culpatã acriter increpare: Qui in ſe profectò peccata animaduertit non facilè labitur, qui verò præterita peccata pro nihilo habet, facilè in peiora ruit: nihil enimuerò parũ eſt, quod mortale eſt. Si enim homines lætalia vulnera fugiunt, & quoad poſſunt ne lætaliter feriantur procurant, quanto magis debemus lætalia animæ vulnera fugere, cùm illa mortem minentur temporalem, iſta verò æternam. Quòd ſi nulla pro lætalibus his animæ vulneribus pœna nobis infligenda eſſet, nunquid ne ſummã Dei maieſtatẽ offenderemus, ſummopere à nobis vitãda eſſent? certè nullus eſt, qui intelligat hoc ſummopere reuerendum verbum, Deus, qui illum offenſum velit habere: Horrendum quippe, ait beatus apoſtolus Paulus Heb. eſt incidere in manus Dei viuentis. Heb. 10.
Quòd ſi quis, illius in nos amorem & beneficia collata conſideret, vbi quæſo pudor, vbi facies? vbi inuiolabilis iura naturæ? bruta nobis propenſa naturali quodam inſtinctu ac ratione diligimus: eodemque ſeruum fidelem proſequimur amore: quãto magis diuinam debemus diligere naturam, quæ nobis & præſtitit filium, & pro nobis tradidit occidendum. Prima igitur aſcenſio ſit noſtri increpatio, & præteritorum delictorũ correptio, Deoquè ſummam impendere dilectionem, vt merito cum apoſtolo Paulo clamemus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neq; vita, neque angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundum, Rom. 8.

neque

neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei,quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro.Secundus aſcenſus eſt,quemadmodũ dominus aſcenſurus cum diſcipulis manducauit:Quæ enim à corpore glorioſo eduntur,reſoluũtur in vapores:ita nos,poſtquàm in Dei dilectione perſtiterimus,ablutis primò peccatorum ſordibus, omnia quæ in mundo ſunt in vapores reſoluamus, ſcientes omnia eſſe caduca,& vaporibus ſimilia,qui cùm manè eleuantur,etiam ipſum obnubilant ſolem:paucis autem interiectis horis euaneſcũt, neque illorũ quiſquã poteſt inuenire veſtigium. Hoc & Iacobus Iacob.4. *apoſtolus in ſua nos epiſtola monuit, dicens:quæ eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicũ parens.Tertius aſcenſus eſt, quẽadmodum & dominus ſuis benedixit recedẽs,ſic & nos ſemper Deo benedicamus,illi omnia quæ acturi ſumus primò offerẽtes quàm nobis: hoc eſt,in omni actione noſtra prius conſideremus, quomodo illud ſecundũ Dei voluntatem ſit faciendũ,quàm quemadmodũ nobis illud poſſit proficere. Nec etiã obliuioni tradendum eſt, tres deſcendentiũ eſſe ſtatus,quẽadmodũ tres diximus eſſe aſcendentiũ: Primus igitur deſcendentium in infernum gradus peccantium eſt: ſecundus perſeuerantium,hoc maius malũ:tertius conſuetudinem habentium,hoc peſſimum.Qui enim peccato aliquo aſſuetus eſt ita facilè peccat,vt non poſſit velocius auis volare:nec id ſentit cũ facit,vt facile eſt videre in illis, qui prauã illam & deteſtabilem iurandi conſuetudinem habent:omni enim verbo,nihil præmeditantes iuramentum addunt, tanquam ſi vnã & alteram oculorum palpebram moueant.Neceſſe igitur eſt quiſquis non vult deſcendere caueat peccatum,caueat maximè perſeuerantiã,caueat magnopere conſuetudinem:alioquin deſcendet recto tramite in infernum.Qui verò cum domino aſcendere cupit,pœnitentiam prætelitorum faciens peccatorum,vaporem inanem omnia huius vitæ reputans,in omnibus Deo placere primò quàm ſibi procuret.Cui cum patre & ſpiritu ſancto,eſt honor,gloria,& imperiũ in æternum. Amen.*

Tra-

TRACTATVS V.

In cap. XVI. beati Marci.

QVoniam verò dominus (apoſtolis in vniuerſum mundum miſſis) ſalutem in fide & baptiſmo conſtituit, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit: non erit ab re ſi aliqua de fide diſſeramus: de fidei ſcilicet neceſſitate, ſine qua impoſſibile eſt, hominem placere Deo: Ideo dominus cũ apoſtolis dixiſſet, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ: non dixit qui baptizatus fuerit & crediderit: ſed qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Sic Eunuchus Reginæ Candaciæ, cùm à Philippo de fide domini noſtri Ieſu Chriſti inſtrueretur, dixit
Actuũ. 8 Philippo: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Ad quem Philippus: ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens Eunuchus, ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. Et iuſsit ſtare currum, & deſcenderũt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Ecce igitur quemadmodum in adultis præexigitur fides vt baptizentur: Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore au-
Ro. 10. tem confeſſio fit ad ſalutem, inquit beatus apoſtolus Paulus. Iam prædiximus ſuperiore tertio tractatu, anadochos pro paruulis fidem in ſacro baptiſmo confiteri, eoſdemque paruulos fidem infuſam, vnà cũ ſpe & charitate ſuſcipere in baptiſmo, & in Chriſto viuificari. Sicut abſque proprio conſenſu in Adam peccaue-
Ro. 5. runt, teſte apoſtolo Paulo: omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chri-
1. Cori. 15. ſto omnes viuificabuntur. Si igitur paruulus in Adam moritur, quid mirantur hæretici, quòd in Chriſto per baptiſmi ſacramentum paruuli viuificentur? Nulla denique eſt ambiguitas, nec de hoc vnquam hæſitauerunt beati apoſtoli: quinimo teſte Dionyſio cap. vlt. eccleſiaſticæ hierarchiæ, fieri probauerũt & ſtatuerunt, cuius verba recenſebo, omiſſò de hoc beati Auguſtini diuino proceſſu, in libro quem de baptiſmo paruulorum edidit, & alijs in locis.

locis. Ait beatus Dionyſius, cùm iam illo tempore non deeſſent hæretici huius rei ſubſannatores: Quòd autē pueros non dum diuina intelligere valentes, ſacræ participes fieri diuinæ generationis, & ſacratiſſimorum diuinæ communicationis ſymbolorum. Videtur quidem (vt ais) immundis blaſphemo riſu dignum, ſi audire non valentes edocent ſummi ſacerdotes diuina, & non intelligentibus imagines tradiderunt ſacras traditiones. Et quod adhuc riſibilius eſt, quomodo pro eis alij abrenunciationes dicunt & ſacras confeſſiones? Oportet tuam hierarchicam intelligentiam non anguſtari in errantibus, ſed & timens ſimul & eorum luciducatus gratia diligens, defendere aduerſus pro eis prolatas inſidias, proponentem & hoc iuxta legem diuinam, quia non in noſtra ſciētia omnia diuina circumſcribuntur. Verumtamen & de hoc ea dicimus quæ quidem Deiformes noſtri ſancti præfectores ab antiqua eruditi traditione in nos adducebāt. Aiunt enim quod quidē eſt verum, quia ſecundùm legem diuinam ducti infantes ad habitum ſanctum venire omni purgandi errore & immunda vita. Multum hoc diuinis noſtris ducibus in animum veniēs probauerunt recipi infantes, ſecundum hunc ſacrum modum. Sacrum modum dixerunt apoſtoli fidei confeſſionem & abrenunciationem fieri per anadochos, & ſic infantes baptizandos, & veſte indui candida ſecundùm morem: Nec vnquā fuit vir ſenſatus qui audiens verbum domini ad Nicodæmum, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpū ſancto non poteſt introire in regnum Dei, aliter ſentiret. Hæc igitur miſſa facientes, ad fidei neceſſitatem accedamus: Hanc habuerunt angeli in cœlo priuſquàm beatificarentur, habuit Adam fidem & Eua in paradiſo delitiarum: habuerunt viri probi. Eſt enim magnopere neceſſarium homini cognoſcere à quo ſit, ſub quo ſit, quo tendat, & quis illi ea quæ habet largitus ſit. Si enim hominem offenderes à quo peteres, tu cuius es? reſponderet ille neſcio. ſub cuius igitur cura viuis? reſponderet ignoro. quo pergis? diceret haud ſcio. quis tibi hæc quæ portas dedit?

Eccleſi. Hier. ca. 7.

Ioan. 3.

reſponderet minimè ſcio. Non ne diceres hūc non rationalem ſed beſtiam eſſe? neceſſe eſt enim homini qui rationis eſt particeps, omnia hæc quatuor agnoſcere: à quo ſit, ſub quo ſit, quo pergat, quis ſit eius benefactor: Hæc quidem cognoſcere non poſſumus quàmdiu nō videmus illū à quo ſumus, ſub quo ſumus, ad quē tendimus, & qui nobis omnia præſtat. Fide igitur cognoſcendus eſt Deus: & quod hominis anima intellectu, neque oculis corporis capere poteſt, hoc fide ſuſcipiat, credens ſe eſſe à Deo, & ab illo ſuum eſſe habere, factum ad eius imaginem & ſimilitudinem, & ſub Deo eſſe, illique in omnibus eſſe ſubiectum, eiuſque leges intactas cuſtodire debere, & ad illum tendere, boniſque operibus ad illum pergere, illumque eſſe finem ad quem ſemper tendere debet: omnia quæ poſsidet eius eſſe & ab illo recipi, ſenſus, vitam, animam ipſam, bona omnia tranſitoria, & omnia ſpiritualia bona,
Iacob. 1. *ſecundùm illud Iacobi: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Hæc omnia vera fides prædicat, hæc omnia fide percipimus: & bene operando mediante fide, per gratiam in æternum moriendo conſequimur. Illud eſt & eo tendit, quòd beatus apoſtolus Paulus fidem*
Heb. 11. *nimis extollit ad Heb. dicens: Eſt autem fides ſubſtantia operan-*
S Tho. *darum rerum, argumentum non apparentium. Subſtantiam accipe*
2.2. queſt. 4. artic. 1. *pro inchoatione, & argumentum pro certitudine. Fide intelligimus aptata ſecula verbo Dei, fide Noe aptauit arcam, fide plurimā hoſtiam Abel quàm Caim obtulit Deo, fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſsibile eſt placere Deo. Fide qui vocatur Abraham, obediuit exire in locum quem accepturus erat in hæreditatem, fide demoratus eſt in terra promiſsionis tanquam in aliena, fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit, fide obtulit Abraham Iſaac cùm tentaretur, fide de futuris benedixit, Iſaac Iacob & Eſau: fide Iacob moriēs ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ*

eius

eius:fide Ioſeph moriens de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt,& de oſſibus ſuis mandauit:fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis:fide reliquit Ægyptum non veritus animoſitatem Regis:fide celebrauit paſcha:fide tranſierunt mare rubrum tanquam per aridam terram:fide muri Hierico corruerunt. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus enarrantē,de Gedeon,Barach,Samſon,Gepte,Dauid,Samuele, & prophetis,qui per fidem vicerunt regna,operati ſunt iuſtitiā, adepti ſunt repromiſſiones. Fides igitur illa,de qua apoſtolus:quæ per charitatem operatur, neceſſaria eſt omni homini,qui ſperat conſequi æternam ſalutem:de qua dominus:Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit. Cui cum patre & ſpiritu ſancto,eſt honor,gloria,& imperium in æternum. Amen. Gal. 5

TRACTATVS VI.
In cap. XVI. beati Marci.

QVI verò non crediderit condemnabitur:de neceſſitate fidei cum dixerimus, reſtat vt de damnatione iuſtiſſima nō credentium,aliquid dicamus:Qui non credit,iuſte damnatur,quoniam non poteſt habere conſortium cum illo, quem nunquam nouit. Si nunc in domo alicuius vellet commorari perpetuò homo,qui patrem familias domus nunquam cogitauit nec nouit,meritò mereretur repulſam: Quis enim in alicuius regis regno,vel in alicuius domini dominio habitare dignus eſt,qui nec regem nec dominum nouit: quinimò debita illi iura ſemper negauit? Ille igitur qui non habet Dei fidem,vel qui negat in Deo diuinarum perſonarum numerum trinum,vel qui Dei filium incarnatum non confitetur:quomodò in domum Dei recipi,vel quo iure hoſpicium fœlicitatis æternæ poterit poſtulare? fide nempe cognoſcimus Deum, charitate diligimus. Neceſſe igitur eſt, quicunque vult cum Deo fœliciter

commorari; primò cognoſcere per fidem Deum, ſecundò huic ſummo regi debita tributa præſtare: hæc eſt fides operans, quæ videlicet per charitatem operatur: nam aliàs qui nec regem nouit, & illi reddere tributa negat, pellitur à regno. Itaque qui Deum trinum & vnum, & Dei filium incarnatum, paſſum & reſuſcitatum non nouit, nec illi debitam perſoluit mandatorum obſeruantiam, pelletur à regno cœlorum. Operepretium igitur eſt, & Deum fideliter cognoſcere, & illi debitum obſequium præſtare: Infideles vtroque carent, ideo perpetuò damnantur: Sunt aliqui inter non credentium turbam, qui Deum vnum confitentur, ſed diuinarum perſonarum indiuiduam trinitatem negant, neque filium Dei fatentur incarnatum. Hi ſunt Iudæi & alij, qui ſub mahumetana ſecta inſeruiunt diabolo, qui omnes damnantur, eo quòd vera illis de Deo cognitio deeſt, quæ per veram habetur fidem, & vnum Deum ſibi conſtituunt qui verus Deus non eſt, nempe cùm ille non ſit Deus quem cogitant, quoniam neceſſe eſt, Deum eſſe trinum & vnum. Qui enim non eſt trinus & vnus ille non eſt verus Deus, ſed ad vnius cuiuſque voluntatem fabricatus Deus: Qui porrò filium Dei negat incarnatũ, ille verum Deum non cognoſcit, cùm proculdubio verus Deus filium ſuum miſerit, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Sunt enim quædam corollariæ conſequentiæ ſibi inuicem ſuccedentes, ex quibus vera fides conſtat: nempe quòd vnus eſt Deus: deinde quòd eſt trinus in perſonis: tertiò quòd filius Dei eſt incarnatus. Deinde ſequũtur reliqua de morte, reſurrectione, aſcenſione domini, & futuro iudicio, & ſacramentorum vſu: quæ ſancta à Dei filio edocta ſemper confitetur ſacroſancta mater eccleſia: qui hæc igitur non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Nemo ea de cauſa miretur, ſi non habentibus veram fidem, hoſpitium in regno veri Dei negetur, cùm neque verum Deum cognoſcant, nec eius iura cuſtodiant: cui enim tributa præſtant, cuiuſque leges & præcepta cuſto-

Gal. 5. (margin, beside "licet per charitatem operatur")

Ioan. 3. (margin, beside "non credit in nomine vnigeniti")

cuſtodiunt, in huius recipiuntur inferni domo, vnà cum diabolo & eorum apoſtaticis ſodalibus. Horum non credentium quadruplex eſt caterua, Idolatrarum gentium, Iudæorum, mahumetorum & hæreticorum: Primi à ſeipſis damnantur, cum mundi fabricatorem & rectorem (hoc enim importat hoc nomen Deus) negantes, creaturis nunc ſupernis, nunc terrenis, ſummi Dei tribuunt honorem. Fuerunt aliqui inter ipſos melius philoſophantes, de quibus apoſtolus Paulus ad Romanos ait, cognouiſſe vnum ſummum creatorem: Sed cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium. Hi vnica ratione conuincuntur: cum ſiquidem illum (qui Deus dicendus eſt) creatorem & gubernatorem eſſe omnium quæ cernimus, neceſſarium ſit: quod ipſi non credunt. Ab aliquo enim hæc omnia facta ſunt, quem oportet eſſe non factum, ſed per ſe habere ſemper eſſe & viuere: cumque omnia videmus vno conſono curſu moueri, viuere ſemper neceſſe eſt, qui hæc omnia ſuis quæque nectit ordinibus. Damnantur igitur iſti quia verum Deum negant, & omnia penatibus implent: impudentiſſimi Iudæi damnantur eo quòd non credunt Dei filium in carne veniſſe, hi conuincuntur à tempore aduentus Meſsiæ, quem dominus illis ſæpe inculcauit, dicens (cum ab eo ſignum aduentus ſui poſcerent) Facto veſpere, dicitis: ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum: Faciem ergo cœli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis? Et alibi: Cùm videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis: Nimbus venit, & ita fiet: Et cum Auſtrum flantem, dicitis: Quia æſtus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? De tempore autem,

Rom. 1.

Matt. 16.

Luc. 12.

hoc prophetauit Iacob Gen.39.non auferendum ſceptrum Iuda vſque quo veniret Meßias: quando autem venit, ſub iugo & ſceptro Romanorum erant Iudæi: prophetauit Moyſes Deut. 18. prophetauit Daniel ſupputans etiam annos aduentus eius, cap.9. prophetauit Aggæus & Malachias. Non fuit nec erit vnquam tempus aduentus Meßiæ, ſecundùm ſcripturas à Deo, qui fallere non poteſt, niſi illud tempus in quo natus eſt ſaluator, & dominus noſter Ieſus Chriſtus. Confunduntur etiam ab alijs duobus, doctrina ſcilicet, vita & miraculis à domino factis, de quibus duobus ipſe diſcipulis ſuis proximus paßioni, dixit:
Ioan.15. *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt me, & patrem meum. Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis. Hæc tria teſtimonia dominus ipſe adducit, quibus perquàm maximè confunduntur Iudæi: tempus ſcilicet aduentus eius, doctrinam, vitam & miracula, eo quòd quemadmodum diximus tempus prophetatum fuiſſe, ſic Chriſti domini vita, conuerſatio, doctrina & miracula prophetata ſunt ab Eſa. Hieremia, & omnibus prophetis: Nihil aliud fermè in omnibus eorum ſcripturis, reuelante & ſignante Deo per os omnium prophetarum legimus, niſi ſigna quibus agnoſceretur Meßias, quæ omnia videmus in Chriſto domino fuiſſe completa. Mahumetorum autem multiuaga ſecta, hinc inde ligna colligens ad inferni accendendum ignem, tot contraria, quædam rationi, alia legi Iudæorum, alia Euangelio inſeruit, vt in poſtremis ſui alchorani dogmatibus ad illam peruenerit inſaniam, vt diceret: nulli licere ſuæ legis rationem reddere, nec audire de illa diſputantes, ſed armis tantummodo eſſe tuendam. Regna armis tuentur, lex verò ratione: ille à tota prorſus ratione alienus eſt, qui legem ſuam non ratione, ſed armis præcipit eſſe tuendam: Sunt iſti*

velut

velut ſine ratione pecora, fœlicitatem in delitijs corporalibus ponunt, & cernunt cadauera iacentia in ſepulchris, & gladio tuentur animas manducare, & bibere, & vxores ducere: ac ſi anima haberet dentes & ventrem, & eſſent animæ maſculi & fœminæ, & huiuſmodi tot irrationabiles leges obſeruant, vt nullus ad eas confundendas opponeretur labor, ſi non aures obturaſſet illis, videns quas condiderat irrationabiles leges ſuus mahumetus ne rationem ſuæ legis redderent, neque impugnantes audirent, ſed haſta & gladio defenderent. Hæreticorum porrò in mille partes ſectæ turbæ à principio naſcentis eccleſiæ tot gladijs confunduntur, quot per illos errores excitantur: nempe ſcripturis ipſis confunduntur, quas falſò ad ſe trahere nituntur. Hi antiquis temporibus (Dei gratia) à ſanctis patribus ſæpe exiere confuſi: Qui nunc militant aduerſus eccleſiam, nuper damnati & confuſi ſunt per ſacrum œcumenicum Tridentinum Conciliũ. Ad eorum autem perſpicuam damnationem, vni huic ſolo verbo velim reſpondeant: Iſti diuiſi ſunt in ſectas quinquaginta, quas negare non poſſunt, quorum hic ponentur nomina: Deus autem vnus eſt, quomodo vni Deo, cui vna tantummodo fides debetur, iſti quinquaginta tribuunt? conſequentia beati apoſtoli Pauli ad Ephe. 4. *Epheſios hæc eſt, quam ipſi negare non poſſunt: Unus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Uni domino, vna danda eſt fides: omnes orthodoxi vnanimiter idem credunt, & eandem publicè confitentur fidem, quomodo iſti quinquaginta afferunt credendi modos? ex quo perſpicuum redditur, omnes has ſectas eſſe falſas, omnes hæreticas: Ne autem id negent, agnoſcant nunc nomina ſuorum patronum. Luther, Melanthon, Munzeriani, Anabaptiſtæ, Adamitæ, Stebleri, Sabbatarij, Clancularij, Manifeſtarij, Dæmoniaci, communia habentes, Condormientes, Eiulantes, Georgiani, Dauidici, Polygamiſtæ, Caroloſtadij, Tropiſtæ, Energici, Arrabonarij, Adeſſenarij, Metamorphiſtæ, Iſcariotiſtæ, Neutrales, Sacramentarij, Inconoclaſtæ, Anti-*

nomi, Samoſateni, Jnfernales, Infernales alij, Antidæmoniaci, Amſdorffiani, Anthidiaphoriſtæ, Antoſiandri, Antiſchvenkfeldiani, Anticaluiniani, Manus impoſitorij, Biſacramentales, Sacerdotales, Inuiſibiles, Biblijſtæ, Adiaphoriſtæ, Triſacramentales, Quadriſacramentales, Lutherocaluiniani, Semioſandrini, Maioriſtæ, Pœnitentiarij, Noui Pelagiani, Noui Manichæi, Syncretizantes, Oſiandrini. Quid igitur hæc turba errantium poterit vnquam, non dico homini mediocriter docto, ſed ruſtico agricolæ reſpondere de fide vnius Dei, cùm quinquaginta ſint inter illos, diuerſi contrarijque credendi modi? O turba pluſquam cæca! ô gens infœlix! qui cum ex aduerſo videant omnes conuenire catholicos, vnamque credere & ore confiteri fidem, vnum Deum ſe dicant cognoſcere, & filium eius dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in tantam deuenere veſaniam, vt vnicam tunicam inconſutilem in quinquaginta laborent ſciſſuras conſcindere? quod equidem erit impoſsibile: Illa enimuerò Chriſti tunica inconſutilis, à militibus indiuiſa permanſit. Mittant igitur nunc rationis ſortes, & videant vnicam neceſſe eſſe fidem, vnicam matrem eccleſiam, ſiquidem vnus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti: Vnus dominus, clamat Paulus, redde illi vnicam fidem: vna fides, inquit, vnum baptiſma. Hac de cauſa, nullus illorum voluit ſacro œcumenico adeſſe Tridentino Concilio, cum illis vicini eſſemus: nouerant quidem hoc inſolubile argumentum: vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma. Et cum ſe ſcirent quinquaginta ſectionibus eſſe diuerſos, nec inter ſe conuenire vnquam poſſe, atqui quot capita tot fides, venire omnino recuſauerunt, cum illis amplior ſit ſaluus conductus conceſſus, qui vſque in illam diem vnquam fuit hæreticis datus. Deum autem qui fons bonitatis eſt, arbitror permiſiſſe illos in tot ſectas eſſe diuiſos, vt conſpiciant ſe omnes in errore ingenti eſſe, cernentes quinquaginta inter ſe habere diuerſiſsima capita. Nullum animal vnquam ſic monſtruoſum reperiri potuit: miramur animal

mal aliquod duplici capite natum, vel manibus, ſiue duplicatis cruribus: multò magis mirandum eſt in vna natione, quinquaginta ſectarum capita a ſe inuicem differentia orta eſſe. Orandũ nihilominus eſt, & aſsidue domino preces fundendæ, vt huius verè miſerabilis gentis miſereatur, quorum omnium animæ ſine dubio damnantur, receptaculiſque inferni perpetuò cruciandæ traduntur: Vnuſquiſque verumtamen qui hæc legerit, agnoſcat nulli illorum eſſe credendum: Eorum enim omnium non vnus ſed differens eſt ſenſus, quo fit vt falſi omnes reddantur: Vna ſola vera eſt fides, cum vnus tantum ſit Deus, & ſi trinus in perſonis vnus tamen in eſſentia, & vnus dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cui vnica tantum eſt fides danda. Qui cum patre & ſpiritu ſancto, viuit, regnat, & imperat, in æternum: Amen.

V v *Tra-*

TRACTATVS VII.

In cap. XVI. beati Marci.

QVoniam quidem omnia quæ dicta ſunt in ſacroſancto domini Euangelio credenda etiam & opere adimplenda ſunt, neceſſarium eſt animam noſtram firmiter tenere eſſe immortalem, hoc penè in fine huius operis, cùm iam hoc & ſequẽti octauo tractatu, vltimã huic commentario (Deo fauente) manum eſſemus impoſituri, paucis voluimus, ſed apertè explanare. Omni enim adiutorio fragilitas eget humana, quando omnem lapidem mouere non ceſſat cacodæmon, fratrum tentator & accuſator, quod primùm ex ſacro Concilio Lateranenſi vltimò, ſub Iulio. 2. & Leone. 10. celebrato, ſeſſione octaua probatur: ibi enim dicitur: Quicunque dixerit, ex naturalibus principijs non poſſe probare, animã rationalẽ hominis eſſe immortalẽ, anathema ſit. Hoc autem ſic deducitur: primò ex parte ipſius animæ non habentis contrarium, omne enimuerò quod corrumpitur, ideo corrumpitur quoniam habet aliquod contrariũ: hac ex cauſa corpus & omnia animalia, plantæ & quidquid in terra viuit corrumpitur, quoniam habet ex ſui natura compoſitionem: habet contrarium videlicet calidum, ſiccum, frigidum, humidum. Quis enim ſic brutum induit, qui neſciat omnium generabilium in terra principia eſſe cõtraria, animæ verò noſtræ nihil, quoniam in ſui ſubſtantia non habet compoſitionem nec contrariorũ permixtionem: ſimiliter etiam nec ab extrinſeco aliquo corrumpi poteſt, prout in nobis omni hora experimur: Anima quippe intelligit contraria, diligit contraria, memoriam etiam habet contrariorum: intelligit namque ignem calefacere eſſe verum, intelligit etiã ſimul & ſemel, ignem non calefacere eſſe falſum: intelligit ſolem lucere eſſe verum, & non lucere eſſe falſum: diligit in proximo aliquid, odit in illo etiam aliquid. Itaque in eodẽ homine amat diligen-

ligentiam & odit furtum, memoratur eiuſdem hominis ingeniū, & memoratur in aliquo caſu eiuſdem hominis hæbetudinem: contraria intelligit reſpectu eiuſdem, contraria diligit in eodem homine, contraria etiam memoratur: nec hæc & ſi ſibi inuicem ſint contraria, eo corrumpitur anima, vel hæbetatur eius intellectus, vel deficit eius voluntas, vel decidit eius memoria: hæc omnia ſibi inuicem contraria, animæ ipſi non ſunt contraria. Cui igitur nihil eſt contrarium, perpetuum eſt: nempe nulla alia ratione ab omnibus datur corporum corruptio, niſi quia habent in ſe contrarium humorum naturam: ideo pugnantibus humoribus contrarijs, neceſſe eſt corrumpi omne corpus terrenum. Rurſus etiam hoc ex alio oſtenditur naturali principio: impoſsibile nempe eſt, naturale vniuerſale deſiderium in vnaquaque ſpecie fraudari; ita ſi deſiderium naturale eſt omnium volatiliū volare per aëra, & ſi aliquod volatile ob particularem aliquem defectum non volet, nihilominus omne volatile volat: non enimuerò naturæ fraudatur vniuerſali deſiderio: & ſic de alijs dicendum eſt in vnaquaque ſpecie. Cum igitur omnis homo deſideret ſemper eſſe, & nunquam deficere ſi poſsit, hoc deſiderio fraudari non poteſt: in corpore autem ratione ſuperiori minime poteſt fieri, quoniam corpus habet contrariorum compoſitionem, & corrumpi neceſſe eſt. Secundùm igitur animā, hoc deſiderium quod quidem vniuerſale eſt in omni natura hominum conſequitur, præcipuè cum non habeat hominis anima contrarium, à quo poſsit hoc intimum & perpetuum ſuum deſiderium impediri: nec Deus optimus maximus hominis animæ hoc permanēdi perpetuò deſiderium daret, niſi immortalem eſſe dediſſet: Deus enim & natura nihil fruſtra fecere: quomodo igitur deſiderium hoc intrinſecum, & omni homini intimè inſitum perpetuò permanendi Deus daret, niſi dediſſet animæ eſſe immortalem. Idem rurſus oſtenditur & tertiò, ratione quietis: fateri enim neceſſe eſt, hominem nobiliorem huius mundi creaturam eſſe, hoc experientia docet, omnia namque illi ſubiecta ſunt; cum igitur

homo nobilior ſit mundi creatura,niſi eius eſſet anima immortalis, ignobilior & infœlicior omnibus eſſet creaturis:Omnis namque creatura in aliquo ſuo fine quieſcit,videlicet grauia in terra, quibus ſi detur locus,deſcendent vſq; ad centrum:leuia ſurſum feruntur: bruta pecora cùm paſcuntur & ſomno reficiuntur abundè,nihil aliud illis eſt curæ:ſolus homo nullo quieſcit fine,neq; ſi ſurſum dignitate leuetur,neq; ſi deorſum deprimatur,nec ſi mediocri eius vita ſorte terminetur:nuſquam reperietur homo qui ſua poßit eſſe ſorte contẽtus,ſemper enim aliquid deficiet,quo deficiente nõ omnino poßit quieſcere. Neceſſe eſt igitur dare aliquem finem,in quo iſta,omnibus huius ſeculi longè nobilior creatura conquieſcat. Corpus igitur corrumpitur,& morte finire cernitur,ſecundũ animam huic debet eſſe optata fœlicitas,quæ ſi corrũperetur iam fœlicitas non eſſet: immortalitas illi igitur inhæret,qua nullis iſtis inferioribus quieta ad aliam fœliciorẽ immortalis anima,vbi quieſcat aſpirat. Rurſus etiam & quarto idem oſtenditur,ex parte ſummi & iuſtißimi Dei:Videmus namque in hoc ſeculo homines aliquos malos,alios verò probè viuere:fermè iſti boni opprimũtur à malis:videmus etiã prauos aliquando diuitijs & fortuna augeri, bonos vero inediam pati:moriuntur iſti,decedunt & illi.Si igitur alia nõ eſſet vita,in qua Deus bonis bona,malis mala compenſaret,nõ videretur eius eſſe æqualis iuſtitia:ſecundùm corpus in hac vita nõ redduntur bonis bona,nec malis mala, quoniã vtrorumq; iacẽt corrupta cadauera.Immortalẽ habent igitur homines animã, in qua & iniqui à iuſto Deo ſuarum iniquitatũ mercedẽ recipiũt, & boni ſuorũ bonorum præmiũ.Hæc itaq; & ſimilia,philoſophi vſq; ad fictos poëtas conſiderantes,coacti ſunt fateri hominis animam eſſe immortalem:quorum aliqua ponemus exempla,quibus pateat nunquam vſquam fuiſſe hominem, qui ratione ſe ſineret dirigi, qui hoc in ſuis tanquam manifeſtum non relinqueret monumentis expreſſum. De Platone autem ſuperfluum aliquid dicendum exiſtimaui, quoniam ipſe in hac re pluſquam

philoſophus videatur: Ariſtoteles ſecundo de anima, inquit: ſeparatur hoc ab hoc tanquam perpetuum a corruptibili. agit enim de anima & concludit: quando morte corpus corrumpitur, animam ab illo ſeparari tanquam perpetuum à corruptibili: Trimegiſtus ad Aſculapium, planè confitetur animæ immortalitatem his verbis: Omnis anima humana eſt immortalis. Cicero etiam de ſomnio Scipionis ait: Conſtat igitur loca eſſe in cælo, in quibus beatæ animæ æternitate fruantur perpetua. & iterum: Illi verè viuere dicuntur, qui è corpore tanquam è carcere exierunt. Apuleius de Deo Socratis, inquit: Homines ratione viuunt, & animabus immortalibus fruuntur: Seneca Epiſtola quinta, ait: Stoici animam magno pondere preſſam dicunt, quam eſſe immortalem certiſsimè affirmamus. & epiſtola. 97. de Scipione loquens, ait: Anima eius in cælo habitat. Refert etiam Valerius Maximus cap. 42. & 52. in certis Indorum regionibus, tanta animæ immortalitate gentem illam affici, vt moriente viro vxor ſe interficiat, pro certo exiſtimans animam eius animæ aſſociari viri: tanta eſt etiam apud barbaros immortalitatis animæ clara probatio. Nos verò qui Dei dono catholici ſumus, non rationibus tantum neque exemplis moti, ſed præcipuè ſacro nos compellente eloquio, animam immortalem eſſe verè confitemur & credimus: Dicit enimuerò ſcriptura, in principio quando Deus creauit hominem: faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Si vtique homo non haberet intellectum, vel voluntate careret, non diceretur factus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei: quoniã Deus noſter intellectu & volũtate, & memoria fæcundiſsima eſt præditus. In hoc autẽ dicimus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei factũ ſecundum animã, eo quòd anima tres habet potentias in vna animæ eſſentia: cum ſiquidem vna ſit anima habẽs intellectum, memoriam & voluntatem, cuius memoria non eſt voluntas, nec intellectus memoria, & cũ à ſe diſtinguãtur potentiæ, nihilominus eadem eſt anima: Similiter ſi anima finiretur Gen. cap. 1.

tur non eſſet ſimilis Deo, qui permanet in æternum. Colligitur itaque cùm Deus dicit, hominem ſuæ imagini & ſimilitudini ſimilem factum, illum ſecundùm animam eſſe immortalem: quod etiam oſtenditur cùm capit. ſequenti ait ſcriptura: Et inſpirauit in eo ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Iacob cùm illi Ioſephi tunica ſanguine tincta deferretur, inquit: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum: nullus vnquam qui veram habuit fidem fuit, qui in limine fidei non fateretur, animã hominis rationalem immortalem eſſe. De iniquis Iob dicebat: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. & alibi: Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei? Omnia hæc præoſtẽdunt animæ immortalitatem, cum omnium corpora vſque in vltimam reſurrectionem, in ſuis permaneant corrupta ſepulchris. Dauid etiam ait: In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me domine Deus veritatis. Non enim ſuum Deo ſpiritum cõmendaret, niſi à Deo haberet, animam hominis eſſe immortalem. Secundo autem Machabæorum vltimo, Iudas Machabæus vidit Ananiam ſacerdotem ſummũ iam defunctum, & Hieremiam prophetam: quos vtique non cerneret, ſi eorum animæ immortales non eſſent. Quod ore domini confirmat beatus Marcus ſupra cap. 12. cum dominus Sadducæis, qui animam immortalem eſſe negabant reſponderet, dicens: De mortuis autem quod reſurgant non legiſtis in libro Moyſi ſuper rubum, quomodo dixerit illi Deus inquiens: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum ſed viuorum: vos ergo multũ erratis. Et cap. 8. inquit: Quid enim proderit homini ſi vniuerſum mundũ lucretur, & detrimentũ animæ ſuæ faciat. Idẽ dominus Luc. 16. oſtendit, dicẽs animã Lazari deductam in ſinum Abrahæ, diuitis verò epulonis in infernum. Et latroni in cruce pendenti, ait dominus: Hodie mecum eris in paradiſo. Beatus autem

[Margin notes: Gen. ca. 2. — Gen. 37. — Iob. 21. — Iob. 14. — Pſal. 30.]

tem

tem Stephanus, Actuum.18. cùm iam à crepitantibus ſaxis penè mortuus, ſe ſentiret mox ſpiritum emiſſurum, ait: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Et beatus Ioannes in ſua apocalypſi cap. 6. ait: & cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vſque quo domine ſanctus & verus non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? Et cap. ſequenti ait: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, ſtantes ante thronum in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Tota igitur conſona ſacra ſcriptura, animæ noſtræ immortalitatem prædicat, quam nuſquam homo ſanæ mentis negauit, quandoquidem ex ipſis principijs naturalibus, & philoſophorum doctrina comprobatur. Cùm igitur perpetuò ſecundùm animam viuere debeamus, talia opera neceſſarium eſt faciamus, quibus non in loco damnatorum, ſed in beata fœlicitate ſanctorum, à ſummo Deo noſtro collocemur, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti. Cui cum patre & ſpiritu ſancto, eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

Apoc. cap. 6.

Apoc. cap. 7.

Tra-

ſæpe obtulit ſacrificium, miraculo ereptus eſt de Hur Caldæorum, orationem Deo ſæpe fundebat: de Moyſe etiam longum eſſet recenſere, quotuplex ſacrificium obtulerit, quot orationes fuderit, quantiſque miraculis populum de duriſſima ſeruitute Ægyptiorum eripuerit. Iob etiam cùm eſſet fidelis, & ſi inter gentes habitabat, ſacrificium tamen legimus pro filijs obtuliſſe, cap. primo. Cogita igitur omnem gentem, memorare omnem hæreticorum ſynagogam, nuſquam profectò reperies hæc tria: Si falſo ſacrificium dijs offerant carent miraculis, quod nimium conſcientias noſtræ tempeſtatis hæreticorum remordet, cùm vtique illi qui apud illos defuncti in vera catholica fide ſunt, quamplurima miracula Dei gratia edant. Nullus autem, qui ſecundùm eorum aliquam ex illis quinquaginta viuit ſectam, miraculum poteſt operari, Deo clementiſſimo renuente, qui ſumma veritas eſt: Datum eſt etiam illud in eorum ampliorem confuſionem, vt ſacrificia tollant, orationes publicas & ſolemnes reſpuant, ſed nec miracula per eorum manus Deus vnquam operatus eſt, vt deſtituti omni ſigno habentium catholicam fidem, ſe in hæreſi magna viuere, ſi modo velint attendere cognoſcant. Cæteri autem illos hoc modo videntes, perſpicuè cernant non eſſe in illis Deum, qui trino fidei teſtimonio ab Abel vſque in hodiernum diem verè credentibus dato carent. Operepretium etiam eſt ad hæc tria quæ ſequuntur diligenter oculos ſemper dirigere, nempe illud pro vero & catholico habere, quod vniuerſum, quod antiquum, quod ab omnibus conſenſum: Illud tale verum eſſe credere debemus, quod vniuerſa eccleſia toto orbe diffuſa ſemper docuit, tenuit & credidit. Namque dominus dixit: neceſſe eſt enim vt veniãt ſcandala: Apoſtolus Paulus ait: Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt in vobis manifeſti fiant. Quomodo ergo probabimus, vel quali regula ſeparabimus catholicum ab hæretico: hoc ſcilicet habeamus pro ſigno: Qui tenet vniuerſum ille tenet verum, qui recedit ab

Mat. 18. Corin. 1. cap. 11.

vni-

vniuerſali eccleſiæ intelligentia, ille tenet hæreſim: quantumcunq́ verba malè inducta Euangelij, vel alterius inducat ſcripturæ.
Matth. 7. *Hoc eſt enim quod dominus cauẽdos lupos nos docuit, dicẽs: Attẽdite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Veſtis ouina authoritas eſt ſacræ ſcripturæ, qua hæretici ſunt induti, eam deprauant, vt eorum error à ſimplicibus credatur. Cum igitur aliquid docet homo, vel aliquam ſcripturæ inducit authoritatem eo ſenſu, quem non recipit vniuerſalis eccleſia, ille ſuſpectus omni debet eſſe catholico. Qui itaque permanere in vera fide concupiſcit, vniuerſalitatem ſemper debet attendere, & ſecundùm hanc ſentire & viuere. Si quis enim hanc doctrinam non affert & venit ad vos,*
2. Epiſt. *inquit beatus Ioannes, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: Qui enim dicit illi aue, communicat eius operibus malignis: ecce prædixi vobis, vt in die domini non confundamini. Attendamus ergo quanta cum acrimonia beatus Ioan. eum præcipit vitari, qui doctrinam vniuerſaliter ab eccleſia ſuſceptam non affert: & qui illum in domum vel in ſalutationem recipit, communicare dicit eius operibus malignis: quoniam morbida ouis totam caulam maculat: & modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Neceſſe eſt etiam antiquitatem, vnà cum vniuerſalitate coniungere: ita vt ſenſus noſtros non ſeparemus à ſenſibus ſanctorum patrum antiquorum, quorum vita & miracula ſuæ veræ fidei teſtimonium perhibuerunt. Qua enim fronte quis relinquet Dionyſium & Ignatium, Cyprianum, beatos martyres: Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Ilarium, Baſilium, Chryſoſtomum, Gregorium Nazianzenum, Damaſcenum, & reliquos huius ſanctitatis & antiquitatis viros, & adhærebit ſenſui putidi, & ebrioſi incontinentis cuiuſdã nouelli hæretici? Hinc oritur tertium, cui ſemper oculos intentos habere oportet, conſenſio videlicet: communis conſenſus ſequendus eſt ſemper, ita quòd ſi contingat de alicuius authoritate*

ſacræ

ſacræ ſcripturæ ſenſu dubitare, Doctoreſque variè illam interpretentur, ille qui vult non errare ſequatur, ſenſum illum, qui communi plurimorum conſenſu celebratur: qui fecerit hæc tria, & ad illa ſemper habuerit oculos intentos, in vera fide, Dei gratia permanebit.

Gloria ſit patri, filioq́ eius domino noſtro Ieſu Chriſto, vnà cum ſancto ſpiritu in æternum. Amen.

LAVS DEO.

CONIMBRICÆ.
Typis Joan. Barrerij chalcographi Academici: Calend. Septemb. Anno D.
M. D. LXVI.

1-6-3